

THEOLOGIA
MORALIS
BEATI A.-M. DE LIGORIO.

EDITIO NOVA,
CUI NOTÆ ACCEDUNT AMPLISSIMÆ

CURA ET STUDIO

DOMINI RECEVEUR,
PROFESSORIS IN SORBONA.

TOMUS OCTAVUS,
PRAXIS CONFESSARII, EXAMEN ORDINANDORUM,
EPITOME DOCTRINÆ MORALIS ET CANONICÆ EX OP. BENED. XIV.



PARISIIS,
APUD GAUTHIER FRATREM ET SOC., BIBLIOPOLAS,
IN VICO NOMINE HAUTE-FEUILLE, N. 6;
ET VESONTIONE APUD EOSDEM.

1835.

Digitized by Google

MONITUM.

CUM in hoc volumine sub diversis titulis contineatur breve compendium totius doctrinæ moralis quæ fusiùs in aliis voluminibus explicatur, non huic addenda duximus notamina, ne jam alibi dicta repetere cogeremur. Quare lectorem monitum velimus ut, cum decisiones vel regulas ex jure Civili aut Canonico invenerit, si quod dubium sibi occurrat, in aliis voluminibus adeat notamina, ex quibus dignoscet utrùm illæ sint conformes nec-ne Galliarum legibus vel cujuslibet diocesis disciplinæ.

THEOLOGIA

MORALIS.

PRAXIS CONFESSARII

AD BENE EXCIPIENDAS CONFSSIONES.

INTRODUCTIO.

1. MAGNA utique erit merces, qua in æternitate compensabuntur boni Confessarii, et de sua prædestinatione ita securi sunt ii qui se ad Animarum salutem occupant, ut Jacobus Apostolus (*Epist. c. 5 §. 20.*) perspicuè hoc testetur his verbis: « Qui » converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus (nempe ejus qui converti fecerit, et ut loquitur » textus græcus, Animam suam) à morte, et operiet multitudinem peccatorum. » Sed luget atque lamentatur Ecclesia, videns tot filios suos propter malorum Confessariorum sive imperitiam, sive incuriam, sive impietatem ad gehennam destinari; etenim ex illorum bono aut malo regimine potissimum Populi perniciis, aut salus pendet. Habeant idonei Confessarii (dixit S. Pius V.), ecce omnium Christianorum omnimoda reformatio. Non enim est dubitandum, quin, si omnes Confessarii ea pollerent scientia, et morum bonitate, quas tantum Ministerium exigit, nec, Mundus ita peccatorum cæno deturpatus esset, nec infernus tot baptizatorum Animabus repletur. Et cum *bonitatem* dico, non hîc intelligo illam solam habitualem, quæ simplicem Gratiae statum, sed positivam bonitatem, quæ Ministrum Pœnitentiæ decet, cui tanquam nutrici duplex alimentum opus est, unum ad sui, alterum ad prolis sustentationem; Quoniam cum Confessarius aliorum Conscientias dirigere debeat, maximè ei cavendum erit, ne nimia indulgentia, aut immoderato rigore erret. Debet enim tot peccatorum ulcera tractare, quin se deturpet: cum Mulieribus et Adolescentibus sæpe versari, eorum Confessiones de iis rebus, de quibus magnopere erubescunt, excipiendo, quin sibi aliquid damni evenisse sentiat: Cum personis præclaris, abscisso omnium humanarum rerum respectu, magna fortitudine armari. Et, ut omnia unico verbo complectar, debet esse in charitate dives, in mansuetudine mellifluus, in prudentia gravis. Qua de re, ut hæ

TEHOLOGIA

MORALIS.

EX TYPIS L. GAUTHIER, YVESONTIENE.

THEOLOGIA
MORALIS
BEATI A.-M. DE LIGORIO.


EDITIO NOVA,
CUI NOTÆ ACCEDUNT AMPLISSIMÆ

CURA ET STUDIO

DOMINI RECEVEUR,
PROFESSORIS IN SORBONA.

TOMUS OCTAVUS,

PRÆXIS CONFESSARII, EXAMEN ORDINANDORUM,
EPITOME DOCTRINÆ MORALIS ET CANONICÆ EX OP. BENED. XIV.



PARISIIS,

APUD GAUTHIER FRATREM ET SOC., BIBLIOPOLAS,

IN VICO NOMINE BAPT. FROILLER, N. 10.

ET VESONTIONE APUD EOSDEM.

1838.

Digitized by Google

MONITUM.

CUM in hoc volumine sub diversis titulis contineatur breve compendium totius doctrinæ moralis quæ fusiùs in aliis voluminibus explicatur, non huic addenda duximus notamina, ne jam alibi dicta repetere cogeremur. Quare lectori monitum velimus ut, cum decisiones vel regulas ex jure Civili aut Canonico invenerit, si quod dubium sibi occurrat, in aliis voluminibus adeat notamina, ex quibus dignoscet utrùm illæ sint conformes nec-ne Galliarum legibus vel cujuslibet diœcesis disciplinæ.

Digitized by Google

MONITUM.

CUM in hoc volumine sub diversis titulis contineatur breve compendium totius doctrinæ moralis quæ fusiùs in aliis voluminibus explicatur, non huic addenda duximus notamina, ne jam alibi dicta repetere cogeremur. Quare lectorem monitum velimus ut, cum decisiones vel regulas ex jure Civili aut Canonico invenerit, si quod dubium sibi occurrat, in aliis voluminibus adeat notamina, ex quibus dignoscet utrùm illæ sint conformes nec-ne Galliarum legibus vel cujuslibet diocesis disciplinæ.

TEHOLOGIA

MORALIS.

Alph 01150

Digitized by Google

ZIL

EX TYPIS L. GAUTHIER, VESONTIENSIS.

THEOLOGIA
MORALIS
BEATI A.-M. DE LIGORIO.

EDITIO NOVA,
CUI NOTÆ ACCEDUNT AMPLISSIMÆ

CURA ET STUDIO

DOMINI RECEVEUR,
PROFESSORIS IN SORBONA.

TOMUS OCTAVUS,
PRAXIS CONFESSARII, EXAMEN ORDINANDORUM,
EPITOME DOCTRINÆ MORALIS ET CANONICÆ EX OP. BENED. XIV.



PARISIIS,
APUD GAUTHIER FRATREM ET SOC., BIBLIOPOLAS,
IN VICO NOMINE BAPTISTE-FRÉVILLÉ, N.° 2;
ET VESONTIONE APUD EOSDEM.

1838.

Digitized by Google

MONITUM.

CUM in hoc volumine sub diversis titulis contineatur breve compendium totius doctrinæ moralis quæ fusiùs in aliis voluminibus explicatur, non huic addenda duximus notamina, ne jam alibi dicta repetere cogeremur. Quare lectorem monitum velimus ut, cum decisiones vel regulas ex jure Civili aut Canonico invenerit, si quod dubium sibi occurrat, in aliis voluminibus adeat notamina, ex quibus dignoscet utrum illæ sint conformes nec-ne Galliarum legibus vel cujuslibet diœcesis disciplinæ.

THEOLOGIA

MORALIS.

PRAXIS CONFESSARII

AD BENE EXCIPIENDAS CONFESIONES.

INTRODUCTIO.

1. MAGNA utique erit merces, qua in æternitate compensantur boni Confessarii, et de sua prædestinatione ita securi sunt ii qui se ad Animarum salutem occupant, ut Jacobus Apostolus (*Epist. c. 5 §. 20.*) perspicuè hoc testetur his verbis: « Qui » converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus (nempe ejus qui converti fecerit, et ut loquitur » textus græcus, Animam suam) à morte, et operiet multitudinem peccatorum. » Sed luget atque lamentatur Ecclesia, videns tot filios suos propter malorum Confessariorum sive imperitiam, sive incuriam, sive impietatem ad gehennam destinari; etenim ex illorum bono aut malo regimine potissimum Populi perniciēs, aut salus pendet. Habeantur idonei Confessarii (dixit S. Pius V.), ecce omnium Christianorum omnimoda reformatio. Non enim est dubitandum, quin, si omnes Confessarii ea pollerent scientia, et morum bonitate, quas tantum Ministerium exigit, nec, Mundus ita peccatorum cœno deturpatus esset, nec infernus tot baptizatorum Animabus repletur. Et cum *bonitatem* dico, non hęc intelligo illam solam habitualement, quæ simplicem Gratiaē statum, sed positivam bonitatem, quæ Ministerium Pœnitentiæ decet, cui tanquam nutrici duplex alimentum opus est, unum ad sui, alterum ad prolis sustentationem; Quoniam cum Confessarius aliorum Conscientias dirigere debeat, maximè ei cavendum erit, ne nimia indulgentia, aut immoderato rigore erret. Debet enim tot peccatorum ulcera tractare, quin se deturpet: cum Mulieribus et Adolescentibus sæpe versari, eorum Confessiones de iis rebus, de quibus magnopere erubescunt, excipiendo, quin sibi aliquid damni evenisse sentiat: Cum personis præclaris, abscisso omnium humanarum rerum respectu, magna fortitudine armari. Et, ut omnia unico verbo complectar, debet esse in charitate dives, in mansuetudine mellifluus, in prudentia gravis. Qua de re, ut hæc

omnes partes, ut par est, adimpleantur, non vulgari opus est bonitate, quam certe nunquam assequetur ille, cui oratio non est perfamiliaris, nec meditatio est quotidiana; etenim alia via lucem, et gratias huic tanto muneri (etiam ipsis Angelicis humeris, ut dici solet, formidando) necessarias obtinere nemo potest. Sed deveniamus ad nostri laboris institutum, nempe ad praxim Confessiones excipiendi, de qua dumtaxat hic fiet sermo. In hac Praxi multas delibabo doctrinas ad ipsammet spectantes; sed ne repetam ea quæ in Opere morali fusiùs descripsi, hic tantùm (per interjectas litteras indicantes) annotabo loca Operis ad quæ lectorum remittam, ut copiosius doctrinàs rationibus et autoritatibus confirmatas perlegat.

CAPITULUM PRIMUM.

DE OFFICIIS CONFESSARII.

2. QUATUOR sunt Officia, quæ bonus Confessarius exercere debet. Patris nempe, Medici, Doctoris, et Judicis. In hoc Capitulo de quolibet istorum sigillatim sermo erit.

§ 1. Circa Officium Patris.

3. CONFESSARIUS, ut boni patris partes adimpleat, debet caritate esse plenus. Et primo caritatem adhibere debet in benignè excipiendi omnes sive pauperes, sive rudes, sive peccatores smt. Nonnulli tempus solummodo insumunt in audiendis Confessionibus aliquorum devotorum, aut personarum spectabilium, quia. ut has à se repellant, non est eis tantus animus; si tamen ad se aliquis miserabilis peccator accedat, ægrè auditur, et conviciis oneratus arcetur; unde fit, ut ille miser, qui postquam sibi maximam vim intulerit, quo ad sua peccata confitenda veniret, se tam asperè acceptum sentiens, odium in Pœnitentiæ Sacramentum concipiat, et desperans se posse invenire qui sibi opituletur, et se absolvat à peccatis, in perditæ vitæ lubricum laxis habenis præceps ruat, et in salutis desperationem incidat. Secus boni Confessarii agunt; cum ad se hujusmodi peccatores confluant, benignè hos excipiunt, et (quasi victor capta præda) exultant, perpendentes sibi sortem contigisse, Animam de manibus dæmonis eripere. Sciunt hoc Sacramentum propriè non pro justis fuisse constitutum, sed pro peccatoribus; etiam enim veniales culpe, ut remittantur, non indigent Sacramentali Absolutione, cum multis aliis modis deleri possint. Sciunt quoque Christum protestatum fuisse his verbis: *Non veni vocare justos, sed peccatores. Marc. 2. 17.* Propterea Confessarius caritatis viscera induens, quæ magis Animas peccatorum multitudine et atrocitate coinquatas reperiat, eo magis, ut Deo ipsas lucrificet, majore caritate eas amplectatur, eisque animum præbeat;

his aut similibus verbis. « Eia frater ! bono animo esto , noli timere ; peccata tua impavidè confitere. Aperi omnia confidenter , nullius te pudeat. Nihil refert , si in omnes tuæ conscientiæ sinus non introspexeris : sufficit si ad interrogata respondeas. Age Deo gratias qui te hucusque ad pœnitentiam expectavit. Nunc tibi mutanda est vita. Lætare , quia Deus certè omnia peccata , quantumvis ingentia , tibi remittit , si bonam habes voluntatem ; ideoque te expectavit , ut tibi parceret. Igitur hilari animo dic omnia , nihil involucris tegas. »

4. Charitatem deinde longè majorem ostendere debet in Confessionem excipiendo. Caveat ne se impatientem , aut tædio affectum exhibeat ; nec ostendat admiratione percelli de peccatis quæ narrantur ; modò Pœnitens non sit ita animo durus , aut petulans , ut plura et atrociora peccata sine ullo rubore , et sine ulla displicentia animique sensu exponeret , quia tunc opus est pro viribus efficere , ut à Pœnitente quanta sit illorum deformitas , et magnitudo percipiatur ; ideoque tunc acrior requiritur correctio , ut ipse à lethali lethargo expergefiat. Verùm quidem est , quòd (ut dicunt Doctores) in actu Confessionis abstinere debeant Confessarii à correctione facienda , ne fortè exterriti Pœnitentes peccata reticeant ; nihilominus hoc intelligitur regulariter loquendo , cæterum multoties expedit ad ulteriora non procedere , et statim Pœnitentem corripere , præcipuè cùm confitetur peccatum valde enorme , aut si ipse fuerit in aliquo vitio habituat , ut peccati gravitatem comprehendat. Advertat tamen , ne eum exasperet , nec perterreat. Quapropter postquam eum , quantum opus fuerit , corripuerit , statim ei animum faciat ad reliqua peccata confitenda , dicens : « Eia frater ! vis te ab hoc vitio respiscere ? Non ita est ? Et quoniam hoc facere es paratus , esto animo hilari. Itaque enarra reliqua peccata , nihil reticens. Cave , quæso , ne sis aliquod sacrilegium commissurus ; hoc enim esset maximum omnium peccatorum , quæ hucusque commisisti. Igitur dic omnia animo forti , vince teipsum : confitere omnia sincerè : Deus enim paratus est tibi parcere. »

5. Deinde in fine Confessionis oportet , ut Confessarius vehementiori ardore ac studio incumbat , ut Pœnitenti percipere faciat gravitatem , et multitudinem ejus peccatorum , ac miserum damnationis statum in quo reperitur ; sed hoc semper maxima cum charitate fiat. Verumtamen est congruentius tunc verbis gravioribus uti , ut sic meliùs ad bonam mentis frugem redire possit ; nihilominus efficere debet , ut Pœnitens intelligat hoc , quod ei dicitur , non ab animo irato , sed ex singulari amore et commiseratione erga suam Animam procedere. Quod poterit hoc modo exprimi « Fili mi , considerasne vitam damnati , quam duxisti ? Percipisne malum , quod operatus es ? Quid tibi mali fecit unquam Deus tuus , quem tu ita perditè contempsisti ? Si Jesu Christo nullus fuisset tibi inimicior , potuisses cum illo te gerere peiorè ? Sed quæso , animadverto quis sit hic Jesus. Hic est ille qui cùm esset Deus , nullius egens , factus est homo propter te : voluit

» mori in Cruce, ut te de inferno redimeret. Ah fili! si interim mortuus esses, si in hac nocte, quò iturus fuisses? ubi nunc esses? esses in æterno igne Inferni. Quid de te factum erit, si vitam hactenus ductam pergas in posterum vivere? Poteris sic salvari? Expergiscere, et vide, quòd nisi mores in melius mutes, jam sis damnatus. Quid boni ex tot peccatis tibi collegisti? Nonne consideras, quòd duplicem infernum tibi paras, unum hinc angoris et miseris, alterum illic pœnarum? Age Fili, averte à malo, desine peccare, et te totum in Dei brachia, quæ ad te suscipiendum sunt extensa, committe: sufficit quantum ei peccasti. Ego totis viribus, et toto corde te adjuvare volo, veni ad me semper ac tibi lubet, quoniam invenies Patrem, qui te benigne suscipiet. En firmiter nunc statue te sanctum velle effici. Per te stat; Deus enim semper paratus est, et ad hoc tibi hoc tempus impertitus est, ut avertas à malo, et facias bonum. O! quàm bonum est amicum habere Deum! etc. » (S. Franciscus Salesius, ut Deo alliceret peccatores, potissimum curabat, ut ipsi cognoscerent pacem qua fruuntur illi qui Deo adhærent, et vitam infelicem quam ducit qui à Deo alienus est.) Postea adjuvabit eum ad doloris actum efformandum, et si dispositus est, eum absolvat; et remedia salutaria, quibus possit se à peccatis servare, suggeret, atque ei pœnitentiam imponat (sed de his §. sequenti agetur) Si autem fuerit absolutionis incapax, aut expediens videbitur differendam esse absolutionem, assignet ei diem in quo regredi debeat, dicendo ei sic: « Eia Frater! tali die te expecto, ne prætermittas ad me redire; animo forti magnoque sis, ut tibi dixi; commenda te quotidie Beatæ Virgini, et veni ad me. Si fortè tunc invenies me aliorum Confessiones excipientem, accede, te enim ante alios audiam: Si alibi ero, fac ut me arcessant, omnia deseram, ut tu confitearis. » Et sic dulcibus verbis à se dimittat. Hæc est via qua peccatores salvi fieri possunt, nempe cum eis agere quanta maximè fieri potest charitate alioquin, si ipsi in Confessarium incident, qui cum eis inclementer agat, à Confessione horrebunt, confiteri negligent, et effrænate in perditionem ibunt.

§ II. Circa Medici Officium.

6. CONFESSARIO, ut sui Pœnitentis infirmitatibus remediis opportunis occurrat, cognoscenda est origo, et causa omnium spiritualium ejus morborum. Nonnulli Confessarii, præter species et numerum peccatorum, nihil aliud inquirunt. Si pœnitentem dispositum vident, statim eum absolunt: sin minus, quin unum verbum impendant, illico dimittunt, oculo retorto dicentes: « Discede à me, quia te absolvere non possum. » Aliter procedunt boni Confessarii, hi enim priùs investigare incipiunt morbi originem et gravitatem, interrogando de peccandi consuetudine, de occasionibus, de tempore, de loco, de personis quibuscum, quo rerum concursu. Sic enim meliùs poterunt Pœnitentes corripere, eos ad Absolutionem disponere, et remedia salutaria adjungere.

7. His interrogationibus adhibitis, et cognitis morbi origine ac gravitate, Confessarius procedat ad debitas animadversiones faciendas. Et quamvis ipse tanquam Pater debeat caritate Pœnitentes auscultare, tamen ut Medicus tenetur (quantum opus est) eos monere et corrigere, eos præsertim qui nullis mortalibus gravati, ad Pœnitentiæ Sacramentum raro accedunt. Et hoc munus etiam adimplere debet, si Pœnitens aliqua illustri qualitate fulgeat, nimirum si fuerit Magistratus, Princeps, Sacerdos, Parochus, aut Prælatus, si de aliquo sui muneris sine minimo animi sensu se accusaret. Ait Summus Pontifex Benedictus XIV (*Bulla*, Apostolica. §. 12.) Confessarii admonitiones Concionibus ipsis esse efficaciores; et jure merito, quia Concionatorem latent circumstantiæ particulares, quæ Confessario aperte innotescunt, ideoque multò meliùs poterit debitas adhibere animadversiones, et remedia quæ morbis expediunt applicare. Nec Confessarius tunc debet attendere alios Pœnitentes qui ipsum circumstant; nam, ut aiebat S. Franc. Xav. (*Tursell. in Vita l. 6. c. 17*), meliùs est paucorum Confessiones rite factas audire, quàm multorum inordinatas, et sine fructu. Hic animadvertere oportet, quàm perperam agant illi Confessarii, qui si Pœnitentem indispositum nanciscuntur, ne cum illo aliquid insumant temporis, statim à se eum abire jubent. Sciant propterea istiusmodi Confessarii, validis niti rationibus sententiam illorum Doctorum (*Tom. 6. l. 6. n. 608. v. Hic adverte*), qui volunt pro viribus teneri Confessarium Pœnitentem, licèt accedat indispositus, ad Absolutionem disponere; considerata ei proponendo v. g. injuriam maximam, qua Deum suis sceleribus afficit, periculum imminens ejus damnationis, etc. Et parùm refert quòd alii expectent, aut inconfessi discedant; Confessarius enim de hoc tantùm qui sibi nunc confitetur, non verò de alijs in die Judicii rationem reddere debet.

8. Et ita etiam Confessarius tenetur admonere Pœnitentem de aliqua illius ignorantia culpabili, sive hæc sit juris naturalis, sive positivi. Quòd si Pœnitens teneretur ignorantia inculpabili; tunc si ea esset circa media scitu necessaria ad salutem, debet Confessarius ab hac ignorantia eum remove; si erit circa alia, de quibus potest dari ignorantia invincibilis; licèt sit juris divini, et prudenter Confessarius existimet admonitionem non esse profuturam pœnitenti, tunc abstinendum erit ab admonitione, et pœnitens relinquendus in sua bona fide. Et in hoc conveniunt Doctores rigidioris sententiæ; ratio est, quia magis cavendum est à periculo peccati formalis quàm materialis, quia Deus tantùm formale punit; siquidem hoc solummodo in suf offensam habet; hoc fusè probatum est in Opere Morali (*Num. 610.*) cum communi DD. paucis exceptis. Qua de re hïc etiam cum communi (*Num. 611.*) infertur, quòd si quis Matrimonium contraxisset invalidum propter aliquod occultum impedimentum, et in bona fide maneret; et contra periculum subesset infamiæ, scandali, aut incontinentiæ, si manifestaretur Matrimonii nul-

litas, tunc Confessarius debet cum in sua bona fide relinquere, donec dispensationem à sacra Pœnitentiaria illi obtinuerit (excipe tamen, si dispensatio statim, et facile obtineri possit.) Et in hoc casu, nempe cùm in bona fide vivitur, si fortè pœnitens se accusaret negasse debitum conjugale sine justa causa, dicunt Doctores (*Ibid.*) Confessarium debere pariter ad hoc illum obligare, dicendo in generali, quòd conjuges tenentur sub gravi invicem debitum reddere. Quomodo aut se gerere debeat Confessarius cum Sponsis, qui jamjam contracturi sunt Matrimonium nullum, et timor prudens esset peccati formalis, aut scandalis, si manifestaretur ejus nullitas? Observentur resolutiones in Opere scriptæ (*lib. 6. n. 613.*), ubi fusè probatum est communem esse, et tutam sententiam posse Episcopum dispensare in impedimento dirimenti, stante illa urgenti necessitate. Et si aditus ad Episcopum etiam esset difficilis, et nullo modo posset evitari gravissimum periculum infamiæ aut scandalis, retulimus (*ibid. n. 613. in fine.*) sententiam Auctoris (*Instruct. pro novis Confess. p. 2. num. 32. ex Ronc. Surd. et Pignat. t. 3. consult. 33. n. 5.*) qui ait non improbabile esse, imò tutum in praxi posse Parochum, vel alium Confessarium declarare, quòd lex impedimenti tunc non obliget, atque cesset, utpote potiùs nociva, quàm utilis. Sed observa quæ loco citato fusiùs dicuntur. Ita pariter omittenda esset correctio de restitutione facienda, si certè prævideatur futurum, ut pœnitens, qui nunc esset in bona fide, non pareat monitioni.

9. Nihilominus excipiendi sunt sequentes casus. I. Si ex ipsa ignorantia redundandum esset damnum contra bonum commune (*N. 615.*), quia tunc Confessarius, cùm ipse constitutus sit minister in bonum Reipublicæ, tenetur præferre bonum publicum bono privato pœnitentis, licèt prævideat correctionem huic non esse profuturam. Qua de re omnino admonendi sunt Principes, Prætores, Confessarii, Parochi, et Prælati, qui proprio officio desunt; quia horum ignorantia, etiam invincibilis, semper damno erit Communitati, dum facili negotio alii putare possunt sibi licere quod vident à Superioribus factitari. Et ut docet SS. Pontifex Bened. XIV. (*Bulla, Apostolica. §. 20.*), eodem modo se gerere debet Confessarius cum iis, qui frequentant Sacramenta, ne licitum judicetur ab aliis, quod impune ab his exerceri animadvertitur. Excipitur II. Si pœnitens interrogasset, quia tunc Confessarius teneretur pandere veritatem (*l. 6. n. 616.*); in eo enim casu ignorantia non esset omnino invincibilis, prout requiritur ad hoc, ut omitti possit admonitio. Excipitur III. Si brevi esset pœnitens admonitioni assensurus, licèt in principio non acquiescat (*Ibid. v. Excipiendum III.*). Quid autem faciendum sit in dubio, an correctio sit profutura, an nocitura? vide in Opere (*Ibid. v. Utrum autem.*)

10. Post debitas correctiones, sive monitiones, præstat, ut laboretur ad disponendum pœnitentem ad absolutionem per actus veri doloris, et propositi; quocirca monitos esse volo Confessa-

rios, perpaucos esse illos poenitentes, praesertim rudes, qui proposito actu doloris ad confitendum accedunt. Nonnulli Confessarii putant satis suo muneri fecisse, si duntaxat huiusmodi poenitens sequenti modo interrogent: « Eia postulasse à Deo » veniam de omnibus his (quod reverà non est verus actus » doloris): An te poenitet ex corde omnium peccatorum? » Et nullo alio verbo interposito, absolutionem eis elargiuntur. Totum ab hoc aliud est bonorum Confessariorum institutum, hi enim in prisca elaborant, ut poenitentes (sermo est de iis qui lethali-bus tenentur) verum dolorem et detestationem peccatorum concipiant. Et prius per attritionis actum eos praeparant, v. g. « Fili » mi, ubi nunc esse deberes in aeternum? In Inferno! Ah in illo » igne semper cruciandus esses! Nec tibi ulla spes amplius res-taret, ut te illinc eripere posses! Ibi esses moraturus ab omni-bus derelictus, à Deo rejectus per totam aeternitatem! Igitur » te poenitet te Deum offendisse, propter infernum quem me-ruisti? » Advertendum hinc est non fieri actum attritionis si quis diceret, se poenitere peccati commisi, quia meruit infernum, sed opus habet, ut dicat se poenitere offendisse Deum, propter quod meruit infernum. Postea curet, ut eliciatur actus Contri-tionis hoc modo: « Fili mi, quid egisti? peccasti in Deum sum-mum et infinitum bonum: nullam illius rationem habuisti. » Avertisti faciem tuam ab eo: projecisti eum post tergum » tuum: contempsisti amicitiam, et gratiam ejus. Eia ergo, quia » offendisti Deum bonitatem infinitam, nunc ex toto corde te » poenitet? Detestare et odio habe super omnia mala omnes in-jurias, quibus immeritò Deum tam bonum affectisti. Nonne » jam promptus es millies mori, quàm hæc in posterum commit-tere? » Notandum hinc 1. quòd si poenitens, obtenta absolu-tione, est immediatè post confiteatur aliud peccatum, ut denuo absolvatur, ei novus actus doloris eliciendus est, cum tunc no-vum fiat iudicium (*l. 6. n. 448.*) Notandum 2. esse probabile apud plures Doctores (*Num. 445.*), ad hoc, ut Confessio sit Sa-cramentalis, debere novo dolore informari: quare cum aliquis confitetur, quin prius actus doloris praecesserit, non sufficit, (cum agatur de valore Sacramenti) si terminata Confessione eliciatur dolor, sed requiri amplius, ut post dolorem elicitedum re-plicetur Confessio, saltem dicendo: « me accuso de omnibus iis » quæ modò confessus sum. »

11. Demum incumbendum est Confessario, ut applicet ea re-media, quæ opportuniore iudicabit pro salute poenitentis, impo-nendo ei eas satisfactiones quæ magis convenient ejus morbo, et eas quas prudenter iudicabit illum fore executurum. Advertatur hoc, quòd licet satisfactiones debeant respondere culpæ juxta Tridentinum (*Sess. 14. c. 8.*) quod declarat participes alienorum peccatorum, eos Confessarios, « qui levissima quædam opera pro » gravissimis delictis injungunt; » nihilominus justis de causis pot-est Confessarius minuere poenitentias, si nempe poenitens com-punctione vehementi affectus sit aut si Jubilæi, aut Indulgentiæ

plenariæ curreret tempus, et præsertim si infirmitate aliqua, sive corporis, sive animæ, laboret. Et denique (ut paucis me expediam) semper et quando prudens timor exoritur, quòd ipse correspondentem culpæ satisfactionem non sit adimpleturus. Ita communiter docent Doctores cum S. Th. (*lib. 6. n. 509.*) Non negamus in Tridentino (*Sess. 14. c. 8.*) haberi, injungendas esse satisfactiones pro modo culpæ; sed scimus etiam ibidem subungi eas debere esse *pro pœnitentium facultate salutare, et convenientes. Salutare*, nimirum saluti pœnitentium utiles: *et convenientes*, correspondentes nempe, non solum culpæ, sed etiam viribus pœnitentis. Unde fit non esse salutare, nec convenientes eas, quibus vires pœnitentis, spectata spiritûs debilitate, non sunt pares; tunc enim illi essent venenum potius, quam remedium. Et in hoc Sacramento potius intenditur vitæ moderatio, quam omnimoda satisfactio; idemque Rituale Rom. (*De Sac. Pœnit.*) ait à Confessario habendam esse pœnitentis rationem. S. Thomas (*Supplem. q. 18. art. 4.*) dicit: « Sicut ergo medicus... non » dat medicinam ita efficacem, ut propter debilitatem naturæ » majus periculum oriatur; ita Sacerdos divino instinctu motus » non semper totam pœnam, quæ uni peccato debetur, jungit, » ne infirmus... desperet, et à pœnitentia totaliter recedat. » Et » alibi (*Quodlib. 3. art. 28.*): « Sicut exiguus ignis extingui- » tur, si multa ligna superimponantur; ita accidere potest, ut » parvus pœnitentis contritionis affectus pondere pœnitentiæ de- » ficiat. Et subjungit: Melius est ut Sacerdos pœnitenti indicet » quanta pœnitentia esset injungenda, et injungat nihilominus » quod pœnitens tolerabiliter ferat. Et alibi (*Opusc. 64. §. 4.*): » Tutius est imponere minorem debito, quam majorem, quia » melius excusamur apud Deum propter multam misericordiam, » quam per nimiam severitatem, quia talis defectus in Purgato- » rio supplebitur. » Et idem docent Gerson, Caj. et præcipue S. Anton., qui (*Vide l. 6. n. 509. et 510.*) ait eam pœnitentiam injungendam esse, quam judicatur pœnitens postea verisimiliter executurus esse, et quam lubens acceptaturus. Et si pœnitens protestetur sibi tantas vires non esse, ut debitam persolvat pœnitentiam, sic S. Archiepiscopus concludit: « Tunc quantumcumque delique- » rit non debet dimitti sine absolutione, ne desperet. » Cum sufficiat tunc (idem ait) imponere generalem pœnitentiam, nempe totum quod boni egerit, usurpando eadem verba Ritualis: *Quidquid boni egeris, etc.* quæ opera injuncta in Sacramento ut docet Angelicus (*Quodlib. 3. art. 28.*) virtute ejusdem Sacramenti, majoris erunt valoris ad satisfaciendum pro peccatis. Item addunt probabiliter Doctores multi (*Lib. 6. n. 510. v. Idem*) justam esse causam diminuendi pœnitentiam, si judicetur pœnitens hoc modo magis allici ad Sacramentum. O! quanti valet sapiens illud consilium S. Thomæ de Villanova (*Serm. fer. 6. post Dom. Lætare*): « Facilem unam injunxeris, acriorem consu- » lueris. » Expedit quoque, ut pœnitens cognoscat pœnitentiam, quam mereretur; propterea potest valde prodesse, si indicentur

pœnitentiæ Canonum Pœnitentialium (quarum in Libro notabiliores annotantur (*Lib. 6. n. 530.*) Juvabit pariter (ut dicit S. Thom. de Villan.) suadere graviorem : postea verò imponere eam quam prudenter judicabit à pœnitente adimplendam. Insinuat S. Franciscus Salesius (*Instruct. Conf. c. 8.*), et idem confirmat Rituale Parisiense (*Lib. 6. n. 509. circa finem*) prodesse idcirco pœnitentem interrogare, an sibi ad illam pœnitentiam sufficientes sint vires, alioquin in aliam commutabitur. Juvabit quoque aliquando, inter opera satisfactoria injuncta imponere aliquam satisfactionem gravem, sed non sub gravi culpa (*Lib. 6. n. 518. Dub. 3.*) aut aliud opus aliunde præceptum, aut debitum (*N. 513.*)

12. Ex hoc quod dictum est colligitur, quàm imprudenter operari quosdam Confessarios, qui pœnitentibus imponunt satisfactiones eorum viribus impares. Quot istorum non dubitant absolute recidivos indispositos, et eos pariter qui in proxima occasione peccandi versantur; et insipienter putant se eos recuperare, si gravibus pœnitentiis à se oneratos dimittunt, licèt prævideant illos has non esse executuros : v. g. injungunt illi, qui vix semel in anno dudum confessus est, ut octavo quovis die per annum confiteatur; quindecim decades Rosarii quolibet die recitandas illi, qui, ne solitus quidem fuit quinque in hebdomada recitare : disciplinas, orationem mentalem illi, qui nec nomen unquam audivit. Et quid hinc eveniet? Eveniet quòd licèt inviti acceptent quod imponitur, ut absolutionem accipiant, nihilominus postea nihil horum executioni demandent; et credendo iterum esse in peccatum se delapsos, quinimo putando (præcipuè rudes) nullius momenti fuisse Confessionem factam, quia pœnitentiæ impositæ non satisfecerunt, propterea ad pristinum perditè vivendi modum redeunt : et perterriti ob pœnitentiæ impositæ pondus, à Confessione horrent, et ita pergunt in peccatis tabescere. Et hic est fructus qui in perniciem tot miserorum colligitur ex hujusmodi satisfactionibus, quas convenientes vocant, sed meliùs dicendæ forent inconvenientissimæ.

13. Cæterum extra casus infirmitatis et compunctionis extraordinariæ, non bene ageret Confessarius si pro culpis gravibus injungeret levem satisfactionem, quæ inducat levem obligationem; etenim, licèt (cùm expedit) possit injungi opus, quod habita ratione peccatorum sit leve, attamen semper debet imponi satisfactio gravis quæ obligat sub gravi. Et hic oportet annotare aliqua pertinentia ad praxim circa pœnitentias imponendas. Notandum I. Cùm pœnitens oblitus fuerit pœnitentiæ, communis est sententia (*Lib. 6. n. 520.*) ad nihilum amplius eum teneri, nisi facile esset sibi, ut posset à Confessario, qui eam imposuit cognoscere. II. Non potest imponi pro occultis peccatis publica satisfactio; tenetur autem Confessarius has imponere, si alia via non possit occurri scandalo dato, vel honori alicujus palam detracto; sed non est adstringendus pœnitens ad publicam pœnitentiam faciendam, si ipse renuat, et alio modo possit scandalum re-

parare, nimirum Sacramenta frequentando, Ecclesias visitando, ad aliquam Congregationem se aggregando, etc. (N. 512.) III. Aliquando potest imponi aliqua pœnitentia sub conditione, si pœnitens reinciderit (Num. 524.) Sed animadvertendum hujusmodi pœnitentias fortè multoties felicem non habere exitum, præcipuè si per longum tempus duraturæ erunt; quia facilliter postea in lapsu negliguntur, et peccata multiplicantur. IV. Si unquam pœnitens sibi mutari pœnitentiam ab alio Confessario impositam petierit; volunt multi Doctores ei repetendam fore totam Confessionem huic Confessario, saltem in confuso, ut status suæ conscientiæ huic notitiam præbeat. Sed multi alii etiam probabiliter dicunt (Num. 529. Dub. 1.), hoc non esse necessarium, cum sufficiat, quòd Confessarius judicium faciat, ad hoc, ut mutet pœnitentiam, esse insufficientes pœnitentis vires illi oneri ferendo; cum contra possit ex ipsamet pœnitentia imposita arguere materiam peccatorum, pro quibus illa injuncta erat, et ita se dirigere potest, aut in mutando, aut diminuendo. Et probabiliter potest id Confessarius (*Ibid. in fin.*) ex se efficere, cum prævidet, quòd pœnitens verosimiliter pœnitentiam, ut antea, negligere perget. Attamen Confessario inferiori non est permissum immutare pœnitentiam impositam à Superiore pro reservatis; extra casum quo pœnitens difficulter posset regredi ad Superiorem, et contra gravis causa urgeret ut pœnitentia mutetur, quia tunc rationabiliter præsumitur Superioris conniventia (*Dicto n. 529. Dub. 2.*) V. Non potest mutari pœnitentia extra Confessionem, ne ab ipso quidem Confessario; tantum potest hoc fieri ab illo immediatè post datam Absolutionem, et antequam pœnitens à Confessionali discedat (*Dicto n. 529. Dub. 3.*)

14. Circa satisfactiones in particulari imponendas, advertendum, satisfactionem non solum debere esse medicalem, sed etiam culpæ præteritis satisfactoriam. Regula harum requirit ut imponantur opera carnem coercentia pro peccatis sensualibus, eleemosynæ pro peccatis avaritiæ, oratio pro blasphemis, etc. Sed considerandum quid magis expediat, aut magis utile sit pœnitenti. Quamvis autem maximè utile sit imponere Sacramentorum frequentationem, orationem mentalem, et eleemosynas, nihilominus praxis habet has reddi damnosas iis, qui aut nihil aut parum habuerunt horum usum. Satisfactiones utiles generatim pro omnibus hæc solent esse, nimirum aggregari ad aliquam Congregationem; quolibet vesperi (saltem ad tempus) actum doloris elicere, et quolibet mane propositum renovare, dicendo cum S. Philippo Nerio. « Domine, ne auferas hodie manus tuas à me, ne tui proditor efficiar: » Visitare quotidie sanctissimum Sacramentum, et Imaginem quoque Mariæ sanctissimæ, ab eis perseverantiæ gratiam postulando; Rosarii saltem tertiam partem, et ter salutationem Angelicam mane et vesperi, dicendo: « Mater mea, adjuva me hodie, ne Deo peccem. » (Hanc tamen pœnitentiam ter recitandi salutationem Angelicam cum prædicta supplicatione ego plerumque solitus fui injungere, aut sal-

tem consulere iis, qui ea uti non solerent.) Cùm cubitum iverint, dicere in lecto: « Nunc mihi morandum fuisset in Inferni » igne, » aut dicere: « Veniet dies, quo mihi in hoc lecto morandum erit. » Iis qui legere sciunt, et potissimum Ecclesiasticis, quotidie legere aliquem librum de rebus spiritualibus agentem. Monet autem S. Franciscus Salesius (*Instruct. Conf. c. 8.*) non esse gravandum poenitentem multis rebus, ne confundatur et terrefiat.

15. Sermonem autem facturus de remediis, quæ insinuari debent poenitentibus, dico, alia esse generalia, alia particularia pro aliquo vitio particulari. Generalia omnibus insinuanda, sunt 1. amor erga Deum, cùm ipse ad hunc solum finem nos creaverit. Et curetur pariter, ut poenitens cognoscat pacem interiorem qua donantur, qui Dei amicitia fruuntur, et Infernum quem ante tempus experiuntur, qui alieni sunt à Deo; addita pernicie temporali, quam secum trahit peccatum. 2. Sæpe se commendare Beatæ Virgini, Rosarium recitando, se commendare Angelo Custodi, et alicui Sancto peculiari protectori. 3. Frequentia Sacramentorum, et si unquam in aliquod peccatum mortale incidit, statim se confiteri. 4. Veritatum æternarum consideratio, et præ cæteris consideratio mortis: et patribus familiâs insinuanda est quotidiana mentalis oratio in communi cum familia, aut saltem Rosarium unâ cum filiis. 5. Dei præsentia, cùm urget tentatio, dicendo: *Deus me videt*. 6. Quolibet vesperi conscientiam scrutari, cum animi dolore, et proposito. 7. Sæcularibus, ut in aliqua congregatione se adscribant, et Sacerdotibus oratio mentalis, et gratiarum actiones post Missam. Et ut perlegant saltem aliquem libellum spiritualem ante et post Missam.

16. Remedia autem particularia assignabuntur pro vitiorum diversitate; v. g. illi qui aliquo odio tenentur, insinuetur, ut quotidie commendet Deo illum quem odit, recitando pro ipso orationem Dominicalem, et salutationem Angelicam; et cùm se turbari sentit memoria injuriæ sibi illatæ, reminiscatur contumeliarum quibus ipse Deum affecit. Illi, qui in peccata turpia prolapsus est, ut otium vitet, malos socios et occasiones aufugiat; et illi, qui habitum pravum per longum tempus contraxit in hoc vitio, ut non solum vitet proximas occasiones, sed etiam quasdam remotas, quæ sibi tam debili ad resistendum factæ erunt proximæ. Huic præcipuè imponatur, ne unquam intermitat recitare ter Salutationem Angelicam in honorem Puritatis Beatissimæ Virginis, mane et vesperi, repetendo semper coram ejus Imagine propositum non peccandi, et supplicationem, ut sibi perserverantiam impetret. Potissimum autem Confessarius curet, ut frequenter hic communicet, cùm Eucharistia dicatur *vinum germinans virgines*. Illi, qui solitus fuit blasphemias proferre, insinuetur, ut novies, vel quinquies lingua signet crucem super terram, et ut quotidie saltem semel dicat orationem Dominicalem, et salutationem Angelicam in honorem Sanctorum, in quos execratus fuit; et ut quolibet mane dum è cubitu surgit,

renovet propositum patienter ferendi occasiones indignationis, et ter dicat. B. Virgini quolibet mane : *Domina mea, dona mihi patientiam*; et id non solum inserviet, ut Maria sanctissima sibi opituletur, sed etiam ut in occasionibus reperitur habitus factus dicendi eadem verba. Aut assuescat dicendo. « Maledictum sit peccatum meum; maledictus sit dæmon, etc. » Alia remedia assignabit Confessarius pro sua prudentia, inspectis circumstantiis occasionum, personarum, et munerum.

§. III. Circa Officium Doctoris.

17. « **LABIA** Sacerdotis custodient scientiam, et legem requirunt ex ore ejus (*Malach. 2. 7.*) » Confessario, ut Doctoris officio ritè fungatur, opus est, ut bene sciat legem; qui enim eam ignorat, non potest alios docere. Sed hęc advertendum est id quod scribit S. Gregorius, nempe officium dirigendi animas per viam salutis æternæ esse artem artium : *Ars artium regimen animarum*. Et S. Franciscus Salesius dicebat officium audiendi Confessiones esse omnium maximum et difficillimum. Revera ita est. *Est omnium Maximum*, quia est omnium scientiarum finis, qui nihil aliud esse debet quàm salus æterna; estque omnium *difficillimum*, dum primò, Confessarii munus requirit omnium scientiarum, omnium officiorum, atque artium notitiam; secundò, quia scientia Theologiæ Moralis complectitur tot materias inter se diversas; tertio quia in magna parte constat ex tot legibus positivis, et Sacris Canonibus, quorum intelligentiam debet accipere secundum suam veram significationem : præterea quælibet harum legum redditur difficilis, cùm ratione circumstantiarum, quæ casus dissimiles efficiunt, resolutiones variandæ sint. Quidam, qui eruditos, et Theologos magnæ notæ se jactant, Moralistas, quos *Casuistas* (nomen ignominia apud ipsos) appellant, dedignantur ne cursim quidem legere. Dicunt hi sufficere, ut Confessiones ritè excipi possint, principia generalia moralis callere; illis enim posse resolvi (aiunt) omnes casus particulares. Quis negare potest, omnes casus particulares esse his principiis resolvendos; sed totum opus, et totus labor est in adaptando ad casus particulares, tam diversis circumstantiis irretitos, principia hujusmodi, utque discernatur quodnam principiorum occurrentibus circumstantiis congruat; nequit id fieri sine magna discussione rationum quæ pro utraque parte adsunt. Et hoc est illud, quod Moralistæ effecerunt, dum elaborarunt in explicando à quibus principiis multi casus particulares resolvi deberent. Præterea, hac nostra tempestate, ut dictum est, adsunt tot leges positivæ, tot Bullæ, tot Decreta, quæ nequeunt sciri, nisi Casuistæ legantur, qui ea collegerunt, et prout materiarum varietas postulat, ibi opportunè illa inveniuntur; ideoque, quò recentiores hi Moralistæ sunt, eò antiquis utiliores. Justa ratione motus auctor Instructionum pro novis Confessariis (*Part. 1. 18.*) affirmat; multos Theologos quantò profundiores in scientiis speculativis, tantò qu-

diiores in scientiis moralibus, quæ, ut scribit Gerson (*Tract. de Orat.*), omnium difficillimæ sunt, et nemo doctus, quantumvis sit in his versatissimus, est, cui indies nova non accident; ex quo infert, nunquam Confessario deserendum esse Theologiæ Moralis studium. Doctissimus *Sperelli* (*De Episc. p. 3. c. 4.*), pariter dicit longè errare eos Confessarios, qui totos in Scholasticæ studio se applicant, æstimantes tempus in Morali frustra expendi: et postea nesciunt distinguere lepram à lepra; qui error (subjungit) Confessarios simul et pœnitentes in æternam perditionem trahit.

18. Non negamus autem minorem scientiam exigi in audientibus Confessionibus simplicium, et rusticorum, quàm Curialistarum, Negotiantium, Ecclesiasticorum, et similium. Minor item scientia requiritur, ut audiantur Confessiones in Oppido, quàm in Civitate: et præcipuè si alicubi sit tanta Confessariorum inopia, ut pœnitentes deberent aut per longum tempus à Confessione se abstinere, aut aliò proficisci (*L. 6. n. 628.*) Sed hoc non sufficit ad excusandos aliquos Confessarios, qui cursim, lecta aliqua brevi Summa morali, temerè ad excipiendas Confessiones se intromittunt. Oportet saltem, ut Confessarius sciat I. ad quæ sua jurisdictio se extendat. Advertat hïc quisque, Sacerdotes sæculares et regulares alterius Ordinis non posse audire Confessiones Religiosorum, sine licentia suorum Prælatorum; exceptis casibus, si iter agant, si alibi morentur, et socium non habeant, aut alium Sacerdotem idoneum ejusdem Religionis. Et tunc Religiosi possunt absolvi ab omni simplici Sacerdote, dum Superiores tunc, dando licentiam his subditis, intendunt eam dare juxta consuetudinem, scilicet confitendi cuivis Sacerdoti idoneo (*Lib. 6. n. 578.*) Item quivis Confessarius scire debet casus, et Censuras reservatas, saltem eas in quas frequentius incurri solet, prout sunt Excommunicationes Papales quæ sunt in Bulla Cœnæ, hæresis externa, lectio aut retentio aut venditio librorum Hæreticorum, qui ex professo de religione tractant, aut continent hæresim formalem: item quinque casus Papales Clementis VIII. qui sunt, percussio enormis, aut mediocris Clerici, vel Monachi, simonia realis, aut confidentialis, violatio Clausuræ Monialium ad malum finem, violatio immunitatis Ecclesiasticæ, et duellum; item excommunicationes à Pontifice Benedicto XIV, emanatæ in absolventes Complices in materia turpi (*Lib. 6. n. 553.*), et in eos qui docent posse à Confessario exquiri nomen complicitis etiam per absolutionis Sacramentalis negationem, si revelare recuset (*Num. 491.*); et aliæ excommunicationes obviæ, quæ observari possunt in tractatu de censuris. II. Sciat distinguere peccatum veniale à mortali, saltem in suo genere, quod communiter occurri solet; et de aliis saltem dubitare sciat. III. Sciat interrogationes quas facere debet, circumstantias peccatorum saltem speciem mutantem: quid constituat occasionem proximam, quid inducat restitutionis obligationem; item qualis esse debeat dolor et propositum, et denique remedia ad

emendationem efficaciora. Et ut brevibus me expediam affirmo in stata damnationis esse eum Confessarium, qui sine sufficienti scientia ad Confessiones excipiendas se exponit. Deus ipse his verbis eum reprobat: « Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne » Sacerdotio fungaris mihi » (*Lib. 6. n. 628. Oseea cap. 4.*) Nec excusabit eum Episcopi approbatio, si manifestè se noverit inhabilem: approbatio enim non infundit scientiam necessariam, sed supponit. Dico *Manifestè*, dum qui tantùm dubitaret, bene potest, imò debet quiescere in sui Superioris iudicio confisus, si saltem seduliori studio se habilem reddere satagat. At nullus Confessarius intermittere debet Theologiæ moralis studium, quia ex tot rebus tam diversis, et inter se disparibus quæ ad hanc scientiam pertinent, multa quamvis lecta, quia rarius accidunt, temporis progressu è mente decidunt; qua de re oportet semper frequenti studio eas in memoriâ revocare.

§. IV. Circa iudicis Officium.

19. **POSTREMUM** Confessarii Officium est Iudicis, et hoc importat, ut sicut Iudex tenetur prius rationes cognoscere, inde causæ momenta discutere, et deinde sententiam proferre: ita Confessarius prius debet conscius fieri pœnitentis conscientiæ, postea ejus dispositionem inspicere, et postea absolutionem impertire, aut negare. Et quoad primum munus, quod est peccata pœnitentis cognoscere, quamvis debitum examinandi conscientiam sit præcipuum pœnitentis, nihilominus, quidquid alii Doctores (*Apud Lohner Instruct. pract. p. 33.*) dixerint, non est dubitandum, quin si Confessarius cognoverit pœnitentem non satis diligenter conscientiam suam discussisse, teneatur ipse eum interrogare, prius de peccatis in quæ verosimiliter incidere poterat, et postea de eorum specie, et numero, ut probatur ex *c. Omnis utriusque sexus, de Pœnit. et ex Rit. Rom. (Vide l. 6. n. 607.)*.

20. Et hæc multa animadvertenda sunt: I. perperam eos agere, qui rudes dimittunt, ut melius se examineat. Hoc *P. Sognari (Confess. Inst. c. 2.)* vocat errorem intolerabilem, et jure optimo: quia hujusmodi homines, quantum laborent, difficulter se examinant, ut par est, et ita exactè sicut potest ipse Confessarius eos examinare; et contra, cum dimissi sunt; periculum erit, ut exteriori difficultati se examinandi, à confitendo retrahantur, et in peccatis obdurescant (*ibid. v. Sed hæc, ut n. I.*); qua de re Confessarius debet ipse ex hujusmodi pœnitentibus peccata exquirere, eos interrogando secundum ordinem præceptorum, præcipue si sunt famuli, aurigæ, muliones, milites, satellites, caupones, et alii hujus generis, qui vitam solent ducere æternæ salutis negligentes, et rerum Divinarum ignorantes, procul à Concionibus et ecclesiis et hoc pejor error esset, si ob defectum examinis dimitteret aliquem rudem, qui antea propter ruborem aliquod peccatum reticuerit, quamvis repetendæ essent Confessiones multorum annorum, propter majus periculum quod tunc subest,

nempe quòd si non redeat, peribit (*Ibi ad n. III.*) Advertat nihilominus Confessarius se non teneri tam minutè hos interrogare; interroget tantùm de peccatis, in quæ faciliter incidere possunt, spectata eorum conditione et capacitate; imò cum pœnitens, licet rudis, videatur sufficienter esse instructus, et diligens in confitendo peccata cum suis circumstantiis, juxta statum suum et capacitatem (alio enim modo tenetur se examinare doctus, et alio rudis), tunc Confessarius nihil aliud tenetur interrogare (*Ibi ad n. II.*). Notandum, melius esse si Confessarius sigillatim examinet peccata statim ac ea exponit pœnitens, quàm ut differat examen usque ad finem; quia autem faciliter Confessarius obliviscitur eorum quæ audivit, aut obligandus esset pœnitens cum suo gravi onere ad repetenda confessa (*Ibid n. IV.*). III. Errare eos Confessarios, qui volunt certum judicium facere de peccati qualitate, an sit grave, vel leve, exquirendo à rudibus istis si pro mortali habebant an pro veniali; hi enim multoties respondent, ut casus sibi verba suggerit; et hoc experientia testatur (ut ego nullies observavi.) Quòd si confessarius nullo post iterum interroget, respondent modo toto à primo diverso. IV. Advertendum circa numerum peccatorum, quorum pravo habitu aliqui tenentur, cum non possit haberi numerus certus, curet Confessarius statum pœnitentis cognoscere, nempe vivendi modum, applicationem quam impendit ad alia negotia, tempus consuetudinis cum complice, locum ubi potissimum moratus est; et deinde interroget de numero, interrogando pœnitentem, quoties circiter peccaverit in die, aut in hebdomada, aut mense, propones ei plures numeros, ex. gr. ter aut quater, octies vel decies, ut videat cum numero potius ille adhæret et si pœnitens numero majori adhæret, optimum factu erit, si iterum interrogetur de numero majori. Sed in hoc Confessarius advertat, ne formet de numero judicium certum; notet frequentiam in genere, et in confuso judicium faciat, apprehendendo peccata quotquot sunt coram Deo. Aliqui Doctores dicunt, quòd circa peccata interna habituatorum, ut sunt peccata odii, delectationum pravarum, et desideriorum, sufficit plerumque interrogare de tempore, per quod duravit malus habitus; sed hoc mihi omnino non satisfacit, quia potest esse quod aliquis magis sit intentus ad externa negotia, aut moretur ubi sic occurrent pauciores occasiones cogitationum pravarum; alius erit magis alia animi passione affectus: ideoque opus est interrogationes generales adhibere, de propria applicatione, de loco, de animi inclinatione, etc. ut formet judicium majoris, vel minoris frequentie actuum internorum. Cæterum post duas vel tres interrogationes, non debet angri confessarius, si ei judicium, quod facit, videtur esse nimis confusum; nam ex conscientis implicatis et confusis moraliter impossibile est, majorem claritatem sperare. V. Oportet animadvertere, quòd, licet Confessiones generales sint utilissimæ, nihilominus non debet Confessarius esse valde rigorosus ad efficiendum, ut Confessiones jam factæ repetantur (*Lib. 6. n. 505.*)

Unde ait *P. Segneri* non esse obligationem repetendi Confessiones, « nisi in casu manifestæ necessitatis, et in quo error sit » evidens. » Neque relapsus sunt certa indicia nullas fuisse Confessiones factas, præcipuè si per aliquod tempus non ceciderit, aut si antequam caderet sibi aliquam vim fecerit. Aliud tamen iudicium fieri debet, si pœnitens plerumque statim ceciderit, post duos nempe, vel tres dies à Confessione facta, quin aliquo modo tentationi obstitit, tunc enim videtur moraliter certus doloris ac propositi defectus.

CAPITULUM II.

De Interrogationibus faciendis pœnitentibus rudibus.

21. NON speret hęc meus lector me sermonem facturum de omnibus doctrinis ad Dei et Ecclesiæ præcepta pertinentibus, quoad ea quæ in ipsis permittuntur, aut prohibentur; de his enim satis actum in Opere Morali (*Tom. 1. l. 3. ex n. 14.*) Hęc tantum annotabimus interrogationes à Confessario plerumque faciendas pœnitentibus rudibus, qui iudicantur non sufficienter suam conscientiam perquisisse; et pauca alia quæ præcipuè notari debent, ad praxim maximè facientia, aliter quàm speculativè tractantur.

22. Circa I. *præceptum*. Interroget 1. pœnitentem, an mysteria fidei calleat; nam si quatuor mysteriorum principalium ignorantia teneatur, nempe Deum esse, remuneratorem esse boni et mali, mysteria Sanctissimæ Trinitatis et Incarnationis ac mortis Jesu Christi, erit absolutionis incapax, juxta propositionem 64. proscriptam ab Innocent. XI. Item an sciat Symbolum fidei, præcepta Decalogi, Sacramenta, etc. saltem in substantia. Sed hęc bene advertit celebris ille, et doctus Missionarius P. Leonardus à Portu Mauritio in suo *Discursu mystico, et morali, num. 26.* teneri Confessarium instruere pœnitentes rudes in Mysteriis fidei, saltem in quatuor principalibus; quapropter sic subiungit: « Bonum non est consilium dimittere similes ignaros, ut » ab aliis hæc doceantur, quia nullus alius sperabitur fructus, » nisi ut sic ignari remaneant; ideoque expediens est breviter eos » docere prædicta Mysteria principalia, efficiendo pariter, ut se » cum efforment actus Fidei, Spei, Charitatis, et Contritionis, » obligando tamen eos, ut imposterum perfectè instrui se faciant » circa cætera mysteria scitu necessaria de necessitate præcepti. » Et idem Auctor loquens de personis urbanis salutis propriæ negligentibus, quæ sibi magno rubori, et contumeliæ habent se de eis interrogari, ait decere Confessarium, ut ipsis sic dicat: « Eia » eliciamus unà simul Actus Christianos, dic mecum Deus meus, » quia es veritas infallibilis, et quia sanctæ Ecclesiæ tu revelasti, » credo quidquid Sancta Ecclesia me docet credere; credo præcipuè te esse unum Deum, et tres Personas; credo Filium, » cùm Deus esset, se fecisse hominem, mortuum esse in cruce, » resurrexisse, et ad Cælos ascendisse, et illinc venturum esse » omnes iudicaturum, ut boni Paradisi gloria fruantur, et mali

» in æterno igne crucientur. » Præterea advertendum id, quod dicit Bened. XIV. in *Constit. 42. de Doctrina Christ* (§. vide in *Bullar. tom. 1.*) nempe negandum esse absolutionem pœnitenti, qui culpabiliter neglexit addiscere res fidei scitu necessarias de necessitate tam mediæ, quàm præcepti. Sed circa res præcepti, ait posse absolvi ignorantem, si verè promittat addiscere, his verbis : « Eò quandoque casu pœnitens absolvi potest, quò se » vincibilis hujus ignorantia reum agnoscit, et promittit operam » se daturum addiscere necessaria necessitate præcepti. » 2. An superstitiones exercuerit, aut alios docuerit, et si in ipsis aliorum ministerio usus fuerit, quos ad suo peccato cooperandum induxerit; quocirca debet rudes admonere, superstitiones nunquam esse licitas, quamvis ex charitate, aut in necessitate fiant. Quæ autem actiones sint nec ne superstitiones, vide in *Opere* (7. 3. *ex num. 3.*) 3. An unquam olim rubore suffectus in Confessione aliquod peccatum reticuerit? Et hac interrogatione ut plurimum curet sciscitari rudes, et mulierculas, qui rarò frequentant Sacramenta, dicendo eis : « Forsan aliquis vitæ antea actæ scrupulum » te mordet; cura nunc bene confiteri, dic omnia libenter, noli timere, omnem scrupulum ab anima tuâ deponere, etc. » Hac interrogatione, aiebat quidam diligens Operarius, à se multas animas à Confessionibus sacrilegis fuisse liberatas. Si autem reperiat jam hujusmodi sacrilegia fuisse patrata, ut de numero certus fiat, interroget quoties, intra hoc tempus, à quo peccare cessavit, confessus sit, et communicaverit? et si quotiescunque confitebatur, vel communicabat, ad sacrilegium advertebat? Contingit enim aliquibus interdum sacrilegè confiteri, præcipuè in pueritia, et postea horum oblivisci; hi enim non tenentur ad repetendas Confessiones oblivionis tempore factas. Item interroget, utrum scirent se talibus Confessionibus, et Communionibus etiam Præceptum Paschale transgressos fuisse? expedit autem ut hæc interrogatio de sacrilegiis fiat in principio Confessionis, ne si postea fiat, et reperiat jam commissum sacrilegium, tempus teratur inutiliter in repetenda Confessione, quæ forsân nihil habet dissimile à præteritis. Oportet autem operam dare, ut qui peccata reticuerunt, cognoscant, quàm maximum peccatum hoc sit, conculcare nempe pedibus Sanguinem Jesu Christi. 4. Interroget, si pœnitentiæ satisfecerit? Et si omiserit, an hoc acciderit propter oblivionem, aut quia noluit eam adimplere, aut quia distulit in posterum faciendam, aut ut sibi commutare faceret? et si in ea dilatione putabat peccare? 5. Circa scandala, si induxerit alios ad peccandum, aut si ut peccatum exequeretur abusus fuerit ministerio aliorum? Si cooperatus sit peccatis alienis? Tabernarios interroget, si ministraverint vinum illis qui soliti fuerunt inebriari (1. 2. *num. 69.*)? Mulieres interroget, si verbis parum honestis, jocis, saltibus, risu, aut si fixis oculis aliquem inspiciendo, tunica nimis elevata, aut pectore aperto provocaverint viros ad malas cogitationes? Si munera ab illis ad malum finem data acceperint?

23. Circa hanc ipsam materiam scandali, potest interrogare insuper, an pœnitens cooperatus fuerit peccato alicujus; sed Confessarius in hoc debet esse valde peritus, ut dignoscat quando cooperatio sit formalis, et quando materialis. *Formalis* est, cùm cooperatur actuali peccato alterius, ut evenit in fornicatione, aut cooperatur malæ voluntati alicujus, ut si in suam tutelam furem reciperet, quod vulgò dicunt, *guardar le spalle*. *Materialis* autem est, cùm operam suam exhibet actui alicujus ex se indifferenti, illi qui ea abutitur ad malum finem, ut est præbere vinum volenti se ebriare; et hæc potest esse licita, cùm adest justa, et cooperationi proportionata causa. Hoc punctum, quod magni momenti est, et multa consideratione indigens, non mediocris mihi fuit laboris, ut veluti res exigebat expenderetur; observent ideoque rationes, et resolutiones in Opere (*Lib. 2. n. 63. v. Ad distinguendum, et l. 3. n. 571.*) congestas.

24. Circa II *Præceptum* interroget de perjuriis, de votis transgressis, et de blasphemiiis. Quoad perjuria interroget pœnitentem, si falsum juraverit, et an in judicio, vel extra, quia pejerando in judicio, etiam justitiam læsit, propter quod aliquando tenebitur aut se retractare, aut damnum reficere. 2. Interroget de modo quo juravit, si *per Deum, per Sanctos, per animam*; si enim juravit per conscientiam, aut *per fidem*, quin addiderit *fidem sanctam* aut *Christi*, probabilissimè potest excusari à perjurio (*Tom. 2. l. 3. n. 143.*). Advertatur hæc, multos rudes non apprehendere ut peccatum grave, pejerare per Sanctos, cùm alterius damnum non intervenit. Et plerumque, cùm in filios, aut famulos, irascentes dicunt, « per Deum, per Sanctos, per Christum te » occidam, si iterum hoc facies, » non intelligunt tunc pejerare, etiamsi revera minas exequi non intendant; saltem non advertunt.

25. Quoad vota facta pariter Confessarius diligenter exquirat à pœnitente, si illud quod emisit, sit verum votum, quia vulgus sæpe confundit desideria, aut proposita cum votis. Ad hæc distinguenda parùm juvabit eum interrogare, ut nonnulli solent, an unquam habuerit intentionem se voto obstringendi sub gravi peccato? Siquidem rudes sic interrogati faciliè negant; satius erit interrogare, si tunc cùm votum emisit, existimabat se graviter peccaturum fuisse, an non, si postea non satisfacisset; et ita melius cognoscetur, an sub gravi, vel levi se voto obligaverit. Certus de hoc factus Confessarius hoc fuisse verum votum, exquiret, an si ob dilationem putaverit peccare mortaliter, aut judicabat se ab hoc excusari, quia sibi erat propositum illud adimplendi imposterum.

26. Hæc juvat annotare aliqua circa votorum Dispensationem, et Commutationem. Jam sciuntur quinque vota reservata, Religionis nempe, Castitatis perpetuæ, et trium peregrinationum, Romam, Jerusalem, et ad S. Jacobum Gallæciæ, non posse nisi à Papa dispensari, dummodo sint absoluta, non autem pœnalia, et conditionata (*Lib. 3. n. 261*). His adde votum perseverantiæ in

aliqua Congregatione, vel Communitate solitum emitti (prout fit in Congregationibus Missionariorum S. Vincentii à Paulo, et in nostra SS. Redemptoris) quod Benedictus XIV in Bulla *convocatis*, sub die 25 Novembris 1749. §. 32. sibi reservavit (Num. 255.). Alia vota possunt commutari aut dispensari ab Episcopis, qui possunt hanc facultatem aliis delegare (Num. 256.); aut à Confessariis regularibus (*Lib. 3. n. 257. v. Immo*), aut ab aliis Confessariis per facultatem, Jubilæi, aut alterius privilegii sibi concessam. Loquendo autem de Commutatione, Confessarium monitum esse volo, ne sit scrupulosus circa causam, quia quodlibet rationabile motivum pro causa haberi potest. Sufficiens est, ut ex commutatione voti sit minus periculum transgressionis (Num. 244. *in fine.*;) nec circa materiam æqualiter subrogandam, etiam non requiritur æqualitas lance libranda, sed sufficit, ut sit æqualis moraliter. Interroget pœnitentem, quæ opera soleat exercere præter debita ex præcepto, aut ad quæ majorem habeat propensionem, et in ea commutet vota. Commutatio autem securior in omni votorum genere erit frequentia Sacramentorum (Num. 243.) Advertat vota perpetua bene posse commutari in temporalia; dummodo adsit debita proportio; et sic etiam realia possunt commutari in personalia; et contra personalia in realia (*Lib. 3. n. 247. v. Notandum.*) Loquendo autem de Dispensatione, ad hanc requiritur causa gravior, nimirum periculum grande transgressionis, magna difficultas executionis, levitas, aut imperfecta deliberatio qua votum emissum est (Num. 252. et 253.) Nihilominus semper laudabile erit adjungere hujusmodi dispensationibus aliquam commutationem. Hæc autem Dispensationes et Commutationes possunt fieri extra Confessionem, modò facultas non sit concessa sub tali conditione, ut in Jubilæo (Num. 257. *v. Immo*); sed consilii est eas facere in Confessione.

27. Quoad blasphemias interroget, si execratus fuerit in Sanctos? et quibus verbis usus fuerit, an dixerit malè habeat vulgò, *managgia*, vel *Atta*, aut *Potta*? Etenim dicere *managgia*, certum est esse mortale: *Atta* in se est veniale, quia tale verbum non continet contumeliam, sed aliqui rudes eundem concipiunt horrorem ac cum dicunt *Managgia*, et tunc oportet accipi pro gravi blasphemia, et simul instruere pœnitentem tale effatum non esse blasphemiam. Dicere *Potta* in se esset grave peccatum juxta Idioma Hispanicum, sed in nostro blasphemia non est, cum nihil aliud significet quam interjectionem indignantis (*Lib. 3. n. 124. v. Neque*). Nihilominus bonum erit exigere numerum, cum rudes horrorem notabiliorem ex hoc concipiunt. Sed cum tale verbum sit æquivocum et cum possit accipi in sensu meliori, bene potest animadverti pœnitens, quòd illud juxta nostram loquelam non est blasphemia, quandoquidem nostri indigenæ non intelligunt certè proferre illud in sensu pejore, id est Hispanorum Idiomatis, sed advertatur simul, ut caveat à scandalo, si unquam adesset.

28. Interroget 2. si execraverit in dies sanctos, nempe Pascham, Natalem, Epiphaniam, Sabbatum Sanctum etc. quod excusari non potest à mortali licet multi rudes clarè non apprehendant ut tale, sed quia est dubium, si apprehendunt, an non, investigetur de numero, et huiusmodi blasphemias accipiantur ut sunt coram Deo. 3. Interroget, si postquam protulerit blasphemias in Deum, in Sanctos, aut in dies sacros, immediatè subjunxerit, *si eos ego feci*, aut *excepto Deo*. Etenim illi rudes, qui dicunt ita unico actu, bene notat Auctor Instructionum pro Confessariis Pagorum (*Cap. 5. p. 141.*), saltem excusari à gravi, propter ignorantiam, dum non intendunt tunc blasphemiam proferre; et licet in Opere (*Lib. 3. n. 124. v. Sic quoque*) dixerim, tale effatum esse veram blasphemiam, quia ad blasphemiam non requiritur intentio execrandi; sed sufficit quòd propositio sit in Deum, aut in Sanctos contumeliosa; nihilominus meliùs mihi rem consideranti videtur esse probabile hanc non esse blasphemiam, siquidem verus uniuscujusque propositionis sensus ab ultimis verbis designatur; unde bene dici potest præfatam propositionem, integrè acceptam, non importare contumeliam. Sed aliter dicendum, si ille postquam verè execratus fuerit, ut malo jam patrato mederetur, diceret *si ego feci*, etc.

29. Notandum 4. quòd cum rudes dicant, *maledicta sit fides tua*, vulgò *managgia la fede tua*, non accipitur ut blasphemiam, quia non intelligunt fidem Christianam, et nomine *Fidei* potest quoque intelligi fides humana; aliter autem debet judicari si execrarentur in *fidem sanctam*, aut *Christi*. Ita pariter non est mortale maledicere *Mortuis*, nisi nominarentur aut intelligerentur præcisè à proferente Animæ Purgatorii, vel Mortui in Christo, aut Animæ Mortuorum. De hoc puncto jam in Opere (*Lib. 3. n. 130.*) locutus sum: sed quia hoc est punctum ab aliis Auctoribus non discussum, refert illud hic ad trutinam revocare, ut clariùs patefiat, utque præsertim alicui Anonymo respondeatur, qui in quadam sua Epistola mihi contradixit, aliqua obiciens.

Dico autem maledictionem *Mortuorum*, per se loquendo, non esse blasphemiam, neque in se, neque ex relatione illorum, qui eam pronunciant. Non est in se, quia vox, *Mortui*, propriè est terminus *privatius*, qui homines significat vita functos, nunc ampliùs non existentes; et in tali supposito verbum, *Mortui*, nec Animam, nec corpus importat. Quamobrem loquendo in philosophico rigore, qui *Mortuis* maledicit nemini injuriam irrogat: dum rem maledicit, quæ ampliùs non existit.

Dicit aliquis; sed hic vox, *Mortui*, accipitur, non ut terminus *Privatius*, sed ut terminus *Analogus*, qui utriusque, tam Animæ quam Corpori referri potest. Respondeo primùm, quòd is qui hoc dicit, loquitur jam de relatione mentis; sed ego loquor de eo quòd verbum, *Mortui*, in se importat. Sed adhuc illum sumendo ut terminum *Analogum*, respondeo secundò, quòd sub voce, *Mortui*, principaliter, et *in recto* (ut dicunt Philosophi) solùm venit corpus quòd solum mortuum dici potest, cum anima ira-

mortalis sit. Dumtaxat *in obliquo* Anima quit intellecta venire, nempe Anima Mortui, eò quòd olim ipsa forma fuit Corporis illius, cui vitam præbuit. At supposito quòd vox, *Mortuus*, principaliter respicit Corpus, et minùs principaliter Animam, cùm aliquis *Mortuos* nominat, per se loquendo, non de eorum Animabus, sed de Corporibus intelligitur; ut de Animabus intelligatur, opus est, ut ille aut speciatim in sua mente de Animabus loqui intelligat, aut saltem quòd alia sermonis verba Animas denotent, prout est illud quod scriptum est in Machabæis (*l. 2.*) : *Sancta et salubris est cogitatio, pro Defunctis exorare.* Hic verbum, *exorare*, jam denotat de Animabus Mortuorum fieri sermonem.

Per se igitur loquendo, maledictio *Mortuorum* blasphemia non est. Videamus nunc, an blasphemia sit propter mentalem relationem eorum qui illam proferunt. Et dicimus secundo loco, nequaquam ex relatione blasphemiam esse quoniam ii qui *Mortuis* maledicunt, ordinariè à consideratione Animarum ipsorum præcindunt. Hic autem Auctor Epistolæ me impropert, quòd distinguere nesciam terminum *Abstractum* à *Concreto*. *Abstractus*, me instruit, ille est qui formam significat, à subjecto præcisam, prout est pulchritudo, albedo, etc. *Concretus* verò significat subjectum cum forma conjunctum, ut est homo pulcher, charta alba, etc. Hinc dicit vocem, *Mortuus*, significare hominem, qui olim Anima et Corpore, constabat, sed nunc importat Corpus et Animam disjunctam. Et ex hoc concludit, quòd *Mortuos* alicujus Persona maledicens, non solùm eorum Corpora, sed Animas etiam maledicit.

Respondeo. Ego non dico quòd *Mortuos* maledicens eos considerat tanquam abstractos, scilicet tanquam formas sine subjecto : sed dico quòd præcindit à considerandis Mortuorum Animabus, quæ nunc existunt. Aliud est abstrahere, quòd est considerare aliquam formam sine subjecto : aliud præcindere, quod est considerare quoddam subjectum, præcisum ab aliqua circumstantia aut qualitate, quæ respici potest. Certum est homines vita functos nunc eosdem non esse, qui vivendo fuerunt. Tunc tot erant personæ Anima et Corpore conjunctis compositæ, nunc verò eorum Animæ, et Corpora existunt quidem, sed disjuncta existunt. Quapropter, cùm *Mortui* maledicuntur, non ideo necessariò ipsorum Animæ maledictæ veniunt, nisi cùm illæ specialiter exprimentur, vel intelliguntur.

Sed denique Auctori Epistolæ concedamus, quod ipse aggressus est sustinere, nimirum quòd *Mortuis* maledicere idem sit quàm eis maledicere ac si viventes essent. Quæro : Ergo qui hominem vivum maledicit, semperne lethaliter peccat? Omnes DD. aiunt, *Cajetanus*, *Sotus*, *Molina*, *Grado*, *Azorius*, *Lugo*, et alii cum *Salmanticensibus de Restitut. c. 4. n. 27. et 28. ex. D. Th. 2. 2. q. 76. a. 4.* tum maledictionem in proximum peccatum esse mortale, cùm ipsa est formalis, scilicet (ut explicat *Cajetanus*) cùm proximo optatur dampnum, et dampnum grave, quod aliquis illi

imprecatur; non verò cum maledictio est tantùm materialis, nempe sine pravo animo prolata. Et quidem in vivente certè corpus et anima simul existunt. Et quare non est mortale? quia qui maledicit homini viventi non semper proximi Animæ intendit maledicere, et contumeliam inferre substantiæ illi, in qua specialiter Imago Dei splendet, sed præscindit ab Anima respicienda; et ita gravem non committit culpam. Qui Creaturis irrationabilibus maledicit (docent idem D. Thomas *loc. cit. ar. 2.* et omnes) si eas respicit in quantum sunt Creaturæ Dei, mortaliter peccat, veramquæ patrat blasphemiam; non verò jam si præscindit ab eis considerandis ut tales, et tantùm eis maledicit secundùm se consideratis, et quidem omnes ipsæ sunt Creaturæ Dei. En quòd D. Thomas etiam præcisionem hanc admittit. Ita pariter, qui *Mortuis* maledicit, si maledicit in quantum ad Animas eorum, graviter peccat; non autem si præscindit, et *Mortuis* maledicit, quàm specialiter Animas respiciat. Dicere autem quòd omnes qui maledicunt *Mortuis*, omnes jam intendunt etiam eorum Animabus maledicere, ego et tot alii Confessarii, pœnitentes interrogando, oppositum comperimus. Tantò magis quòd ordinariè isti qui *Mortuis* maledicunt, non jam eos lædere intendunt, sed vivos quibus ad instar contumeliarum hujusmodi maledictiones dirigunt. Verumtamen hæc est materia facti, quisque Confessarius in hoc, pœnitentem diligenter interrogando, poterit se à dubio eximere.

Dicere autem quòd, licèt quis solis Mortuorum corporibus maledicere intendat, nec etiam à culpa gravi excusari potest, propter respectum quem Ecclesia habet Corporum Mortuorum, eis incensum præbendo, aqua lustrali aspergendo, et cum pompa sepeliendo: Nescio quomodo quis ob hanc rationem id suadere sibi possit. Nolo in hoc immorari. Paucis me expediam, et dico, prædictæ functiones non sunt quidem exhibitiones alicujus cultûs religiosi erga Corpora Mortuorum, sed tantùm quedam cæremonia, quas Ecclesia etiam erga viventes adhibet. Si igitur honor qui fit Defunctis, major non est illo qui vivis exhibetur, nec contumelia major erit. Sed cur (subdit Auctor Epistolæ) leges gravius puniunt qui adversus Cadavera sæviunt? Respondeo: puniunt, non ratione contumeliæ, sed ratione iniqui animi, qui in tali actione manifestatur, et qui adhuc in occidente Infidelium, aut Hæreticorum à lege mulctatur. Alioquin si hoc esset in se gravis Cadaverum injuria, ejusdem criminis essent rei qui ob usum Anatomix ipsa incidunt et laniant.

Cæterùm id quod concludere est, maledictionem in Mortuos, per se toquendo, nec blasphemiam, nec culpam mortalem esse. Et invenio, quòd tres Auctores (jam in Opere citati) qui soli de hoc puncto scripserunt, idem pronunciarunt. Præterea, ego pro majori meæ conscientix pace, de hoc pluribus doctis Viris Neapolim scripsi, et etiam tribus Congregationibus Presbyterorum sæcularium Missionibus addictorum, ubi flos Cleri Neapolitani existit; et uno exemplo tuerunt responsa omnia meæ sen-

sententiæ conformia. Ac P. Sabbatinus (tunc temporis Pius Operarius, nunc dignissimus Aquilæ Prælati) mihi respondit, cunctos Pios Operarios, tam præsentés quàm antiquos, idem uniformiter sensisse. Insuper, cùm quãdam Epistolam de hoc puncto typis dederim, adversùs quam postmodum Anonymi Epistola prodit, de quo supra mentionem jam feci, accepi tanquam certum, utramque scripturam à Nuncio transmissam fuisse ad Summ. Pont. Bened. XIV. qui postquam curam dederit controversiam discutiendi R. P. D. Thomæ Sergio Pio Operario, S. Officii Romæ Consultori (qui nunc suum obiit diem), ipse pariter mecum sensit, maledictionem *Mortuorum* non esse blasphemiam. Et ab alio P. Pio Operario mihi affirmatum deinde fuit, quòd idem etiam Pontifex, cognita P. Sergii sententiã, ostendit eam approbare.

30. 5. Dubitatur an maledicere *Mundo* sit blasphemia. Auctor ipsius Instructionis negavit, sed ego contrarium ostendi (*Lib. 3. n. 129. v. Sed hæc.*); nihilominus dixi, quòd si pro *Mundo* intelligeretur *Mundus* qui Deo adversatur, certè non esset peccatum. Sed quia verosimiliter rudes non sic intendunt, sed potiùs ut creatum à Deo, et de hoc se accusant cum magno horrore, dico probabiliùs accipiendum esse pro culpa gravi. 6. Maledicere creaturis insensatis, ut vento, pluvie, annis, diebus, igni, etc., non est blasphemia, nisi hujusmodi creaturæ expressè in Deum referrentur, prout si diceretur, *maledictus sit ignis Dei, panis Dei*, etc. Maledicere autem Paradiso, aut Animæ (quia in Anima splendet specialiter potentia, et imago divina) non est dubitandum quin sit gravis blasphemia (*Dict. n. 129.*). 7. Maledicere Dæmoni, non est mortale, quia maledici solet ut Auctor mali, et Dei inimicus: ideoque in se veniale quidem est, præscindendo ab actu impatientiæ, qui tamen facile comitatur (*Ibid. v. Maledicere.*). Dicere autem Diabolum *sanctum*, aut *omnipotentem*, est vera blasphemia, ac gravis; sed imò hæreticalis, si proferretur cum intellectùs errore, qui quidem regulariter loquendo non præsumitur. Sed non est blasphemia appellare Dæmonem *potentem*, aut *sapientem*, quia ille natura sua talis est; dummodo hoc non diceretur, ut ei honor præstaretur; aut dicere vulgò, *non Diana... santo Diana* (*Lib. 3. num. 123. v. Insuper.*). Interroget 8. quoties et qua occasione blasphemavit; si in ludo, aut in caupona. aut venatione, et à quanto tempore versetur in hoc vitio? ut cognoscat si est recidivus, aut si sit in occasione proxima, quam poenitens teneatur auferre.

31. Interroget etiam si blasphemavit coram filiis, aut famulis; tunc enim, præter blasphemie peccatum, peccavit etiam scandalo. Demum hæc addo cum quodam docto Auctore, blasphematores non excusari à peccato gravi, eò quòd propter vim habitùs mali, aut vehementem animi commotionem ad iram, non adverterint ad id quòd dicebant; quia hi malè habituati, licèt habeant cognitionem minus vivacem aliis, qui usum blasphemandi non contraxerunt, tamen semper habent eam actualem cognitio-

nem sufficientem ad hoc, ut actus sit deliberatus, et gravior peccaminosus. Cum enim ipsi tanti mali non faciunt peccatum, ideo in suo animo nullum hujus sceleris sensum experiuntur, sicuti perciperet alius, qui esset conscientiae non tam depravatae; et hinc oritur quod in eorum mente, ne signum quidem remaneat actualis cognitionis, quam in peccato habuerunt: aut si vestigium aliquod cognitionis relinquitur, est ita leve, ut interrogati faciliter respondeant se non animadvertisse: sed diligens Confessarius nullam in hoc debet eis praestare fidem; et neque debet ab his sciscitari, an adverterint nec ne, sed accipiendae sunt omnes, ut verae blasphemiae actuales, semper ac ipsi sciebant tales esse.

32. CIRCA III *Præceptum*. Quoad obligationem audiendi Sacrum diebus festis, interroget poenitentem, si aliquoties Sacrum omiserit? et si advertit ad omissionem? an dubitaverit tempore quo Sacrum audire poterat? etenim multoties poenitens ad horam tardam Sacrum audire differens, licet casu repererit Sacrum, et illi interfuerit, nihilominus sine justa causa in periculum illud omittendi se injectit, et de hoc rudes non se accusant. Item si poenitens se accusabit se Sacrum omisisse, interroget de causa, an propter necessitatem, ut accidit famulis qui non possunt gregem derelinquere, aut matribus quae domi non possunt relinquere pueros, aut conjunctis, qui non possunt relinquere infirmos, aut itinerantibus qui non possunt a comitatu disjungi sine gravi incommodo, ut esset subire periculum quod expolientur à latronibus, aut per viam errent, si soli pergant, etc. (*Tom. 2. l. 3. n. 326.*); aut accidit alicui qui vestes decentes non habeat, quibus in Ecclesia decenter compareat (*Num. 330. v. Bene.*)

33. Quoad opera autem servilia quae in die festivo prohibentur, interroget si laboravit die festo? et si ille affirmat, interrogetur I. quantum temporis laboravit? et quodnam laboris genus exercuit; nam secundum communiorem Doctores (*Lib. 3. n. 305.*) excusant à gravi laborantem duas horas; imò alii admittunt quid amplius, saltem si labor est de se levis, aut adest aliqua causa notabilior. Si autem poenitens confitetur se laborasse aliquando plus, aliquando minus, interrogetur quoties laboravit iudicans laborare in materia gravi; sed opus est, ut eum doceat laborare post longum tempus etiam occultè, et animi solatio, ac gratis, etiam esse peccatum. 2. Interrogetur, quare laboravit, an per regionis consuetudinem? an ob necessitatem? Verum est, quod paupertas potest excusare? ut plerumque excusantur pauperes, qui, si non laborant, non possunt se, aut familiam suam sustentare (*Num. 297.*); ut etiam excusantur illi, qui die festo vestes resarciunt, cum non possint diebus ferialibus (*Ibid.*) Sed oportet rudes ab errore dimovere, qui falso putant posse laborare die festo, cum laboratur pro familia sua, et sine mercede. Multi DD. excusant eos qui laborant, ut fugiant otium, ob quod in probabili peccandi periculo essent, sed hæc opinio non admissa est, nisi in casu rarissimo, in quo tunc vexarentur tentatione ita mó-

testa, ut superari non possit, nisi laborando. Nonnulli servi, aut famuli, aliquando coacti sunt à dominis ad frequenter laborandum in festo, et etiam ad Sacrum omittendum: hi tenentur discedere ab hujusmodi dominis, dummodo non se obligarint chirographo servire; aut dummodo justo timore non incutiantur, ne repugnando grave incommodum subituri sint. Et pariter hac sola ratione possunt excusari filii et mulieres ad laborandum in festis coacti à parentibus, aut viris (*Lib. 3. num. 296.*) Interroget etiam, si in vigiliis, Quadragesima, feria sexta, et Sabbato comederint cibos vetitos?

34. CIRCA IV *Præceptum.* Si confitentur Filii, interrogentur 1. Si oderint parentes? quia tunc duplex peccatum commiserunt, contra charitatem nempe, et contra pietatem. 2. Si aliquid grave fecerint contra eorum præceptum expressum, et in re justa, sicuti esset ne è domo de nocte egrederentur, ne ludis damnosis luderent, ne cum malis sociis, aut cum personis diversi sexûs, et similibus versarentur? Dixi *in re justa*; quia circa statûs electionem filii non tenentur parentibus obedire; imò parentes graviter peccarent, si sine justa causa filios ad statum matrimonialem, aut ad statum Ecclesiasticum, aut Religiosum cogèrent; aut modis injustis retraherent eos à statu Religioso, quem illi eligere velint. (*Tom. 2. lib. 3. num. 335. v. Præterea, et lib. 4. num. 77.*) 3. Interroget, si irreverentiam adversus parentes adhibuerint, factis, aut imprecationibus, aut injuriis gravibus coram irrogatis: ut esset eos appellando ebrios, bestias, fatuos, latrones, veneficos, scelestos: aut gestus eorum contumeliosè exprimendo, aut aliis verbis proferendo quibus gravem molestiam eis exhibuissent. Vocare autem eos senes, ignaros, stupidos, etc. non debet absolutè condemnari de peccato mortali, nisi tunc cum illi graviter offenderentur. Notetur quòd cum filii parentum debitam rationem non habuerint, tenentur læsum honorem eis restituere. veniam ab eis postulando, etiam coram iis, in quorum aspectu filii peccarunt. Nonnulli autem Confessarii parùm cauti in eo casu pro satisfactione imponunt filiis, ut cum domum pervenerint, pedes parentum deoscularentur, et absolutos dimittunt; sed illi postea hoc adimplere non curant, et novum peccatum admittunt. Satius est curare ut ante absolutionem hanc veniam possint; sed quin eis imponatur ut pedes, aut manum deoscularentur; quia illi filii, quibus hoc faciendi consuetudo nunquam fuit, difficilimè hoc exequantur. Si autem non possit commodè hic actus ab illis exigi, ut veniam postulent ante absolutionem, non imponatur hoc sub gravi obligatione, sed potiùs ut consilium insinuetur, dum certè præsumuntur, saltem ut plurimum, parentes remittere filiis hanc obligationem, ne filii iterum in Dei offensam incurrant.

35. Si contra confitentur parentes, interrogentur 1. Si negligentes fuerint in filiis educandis, non curando ut Doctrinam Christianam illi docerentur, ut Sacro interessent, Sacramenta frequenter, pravos socios, et personas alterius sexûs vitarent? Item

eos interroget, si scandalo fuerunt illis, in eorum præsentia blasphemando etc. ? Si de excessibus eos non corripuerint, et præcipuè si aliquid furati sint? Si permiserint, ut sponsi suarum filiarum domum accederent? Et potissimum si filios secum in eodem lecto retinuerint; aut permiserint pueros et puellas simul dormire? Item si omiserint alimenta necessaria filiis ministrare? Si modis injustis coegerint filios ad statum matrimonialem suscipiendum, vel ut Sacris initiarentur, aut aliquam Religionem inviti ingrederentur? nam hoc agentes graviter peccant. Sed de hoc parentes plures nullum sibi scrupulum faciunt, et hinc filijs pernicies, et Ecclesiæ maximum detrimentum evenire solet. Interroget etiam dominos, si famulos suos corripuerint, cum blasphemabant, aut præcepto Paschali non satisfaciebant, aut Sacro non intererant, aut inhonestè loquebantur, præcipuè messis et vindemiæ temporibus; Domini enim cum possunt tenentur impedire scandala, quæ tunc committuntur. Interroget etiam viros, si familiæ alimenta ministraverint? Uxores, si viros ad blasphemias provocaverint, et si eos debito matrimoniali defraudaverint? Plerumque de hoc interrogentur uxores, quia multoties propter hoc solum damnantur, et in causa sunt cur etiam viri damnantur, qui cum observent sibi denegari quod debetur, ad mille scelera effrenati decidunt. Nihilominus in hac interrogatione verbis modestioribus, quantum fieri poterit, utetur, v. g. *Esne obediens tuo viro etiam in rebus ad Matrimonium spectantibus? aut habes forsitan aliquem scrupulum, qui te mordet circa Matrimonium?* sed hæc interrogatio, ut plurimum, omittatur cum uxoribus quæ vitam spirituales profitentur.

36. CIRCA V. *Præceptum* interroget pœnitentem, si aliquid grave damnum proximo appetiverit, aut de illius damno se oblectaverit? Et hęc notetur, quòd si aliquis suo inimico diversa mala exoptaverit, ex. gr. mortem, infamiam, paupertatem. etc. tenetur omnia declarare, et sunt diversa peccata numero distincta, cum ea voluit efficaciter illi inferre: aut si speciatim et in particulari optavit, ut hæc illi acciderent. Aliter autem, ut dicunt probabiliter multi DD. (*Tom. 4. l. 5. n. 50. v. Quær. 5.*), si optaverit mala illa sub uno genere mali, nempe ut media ad ruinam appetitam inimico. Et hęc est confusio Confessariorum, in discernendo an imprecationes, quæ rudibus esse solent usuales, fuerint peccata mortalia, an venialia. In hoc oportet interrogare in primis pœnitentem, an in illo actu desideravit deliberatè, ut ille succederet; sed hoc non sufficit ad certum iudicium faciendum, qua de re opus est, ut postea interroget, si imprecatus fuerit in extraneos, an in propinquos, quia in hos (præcipuè in filios, conjuges, aut parentes) raro animus pravus adest. Postremo oportet interrogare de causa, cur eas imprecationes protulerit; dum si causa gravis, aut fervens ira intercesserint, facile est tunc etiam pravum desiderium interfuisse. Cæterum non sufficit pœnitenti ad excusandas imprecationes, dicere quòd tantum in illo actu, ut evenerint, cupiebat; quia hoc jam sufficit ut in

Ho actu commissa sit culpa gravis; unde Confessarius tunc perquirat de numero, et judicet de eis saltem ut coram Deo sunt: et quem recidivum in eo vitio reperi, non absolvat, nisi prius respuerit, aut extraordinarium doloris signum dederit.

37. Interroget a. Si in proximum intulerit injurias graves et an coram aliis; quia tunc tenetur coram ipsis restituere illi honorem ablatum, veniam ab eo petendo, aut aliis reverentiae signis dummodo prudenter non praesumatur injuriis affectum totum remisisse (*Lib. 3. num. 984.*): aut quod ab illa publica satisfactione recuset, ne apud se rubor, et apud alios memoria injuriae acceptae renovarentur: aut nisi timeretur, ne illo satisfactionis actu iterum odium excitaretur (*Num. 988.*) Si autem injuria fuit secreta, etiam secretè tenetur veniam postulare, secundum veram sententiam (*Num. 985.*) Attamen advertendum est injurias, quibus ad invicem se onerant rudes, licet in se casent graves, nihilominus non esse semper graves inter hujus generis personas, ut cum se appellant latrones, veneficas, meretrices; quia ipsemet non multi haec faciunt, nec qui eas audit, fidem praestat; excipe si nominarent res particulares, et complices. Interroget item, si discordias excitasset, zizania disseminando, et referendo uni quae ab alio audivit.

38. Denique interroget, si odio aliquem habuerit, et ei signa communia amicitiae negavit? Et hic expedit illius dubii, quod inter Doctores movetur, meminisse, utrum offensus offensori tenetur remissionem facere, *Salmant. dicunt (Tr. 21. c. 6. n. 18.)* offensum teneri quidem ad remissionem injuriae, non autem publicae poenae, quia haec in Reipublicae bonum redundat. Speculativè loquendo, sententia vera est; sed in praxi nunquam mihi fuit animus absolvendi aliquem istorum, qui dicebant se parcere inimico, sed velle ut justitia suum locum haberet, ut scelesti digna factis suis reciperent; nunquam enim mihi suadere potui, quod hujusmodi qui quandoque peccatis onerati accedunt, tam ament bonum commune, et justitiam (non jam in alios delinquentes, sed solum in suos offensores), ut animus eorum si penitus ab omni vindictae affectu alienus. Unde in istis facillimum est, ut dicunt multi alii DD. (*Lib. 2. n. 29. v. Licet.*), eorum affectum ad bonum commune esse speciosum praetextum simulandi desiderium propriae vindictae. Attamen puto posse absolvi injuriis affectum, primò, si vellet jam remissionem facere, sed praetenderet justè satisfieri in damnis quae passus est; dummodo offensor non ita esset pauper, ut omnino solvendo non esset; secundò, si remissionem faceret sub conditione, ut offensor longè abesset à Regione, quia filios, aut fratres aetate provectos, vividos habet; aut quia offensor esset ita insolens, et ad rixas proclivis, ut prudenter timeret, propter sui animi imbecillitatem, illius petulantiam non posse sufferre.

39. CIRCA VI et IX *Præceptum. I.* Interrogentur de cogitationibus, num desideraverint, aut morosè delectati fuerint de rebus inhonestis; et an plenè ad eas adverterint et consenserint.

Deinde, num concupierint puellas, aut viduas, aut nuptas; eſſe quid mali cum illis se facturos intenderint. In quo advertendum quòd rustici, communiter loquendo existimant majus peccatum stuprum, quàm simplicem fornicationem: è contrario nesciunt malitiam adulterii, ideo cum iis, qui hujus vitii consuetudinem habent, non expedit eos monere de adulterii malitia, cùm prævidetur monitio parum profutura, sed tantùm effectura, ut pœnitens duplici peccato peccet, si carnis concupiscentiis non resistet. De his autem cogitationibus quibus assentiti sunt pœnitentes, sumendus est numerus certus, si haberi potest; sin autem exquiratur quoties in die, vel hebdomada, vel in mense cogitationibus consenserint. Sed si nec etiam id explicare possint, interrogentur, num concupierint singulas mulieres, quæ sibi occurrerunt, vel in mentem venerunt; aut num habitualiter turpiter de aliqua in particulari cogitarint, nunquam pravis consensibus resistendo; et an semper illam concupierint, vel an tantùm quando ipsam aspiciebant. Demum interrogentur etiam, num media apposuerint ad malas cogitationes exequendas; nam, ut diximus in libro (*Tom. 4. l. 5. n. 42.*), tunc illa media, etsi indifferentia, à malitia interna informantur, et ideo explicanda ut peccata externa, sive opera incepta.

40. II. Circa verba obscœna, interrogentur 1. Coram quibus, et quoties ita locuti sunt, ratione scandali an coram viris, aut fœminis, uxoris, aut non; pueris, vel adultis? facilius enim scandalizantur puellæ et pueri, quàm adulti, præsertim qui in hoc vitio sunt habituati. 2. Quæ dixerint verba; an v. g. nominarint pudenda sexûs à suo diversi? hoc enim difficulter excusatur à mortali. 3. Num verba protulerint ex ira, vel joco; nam ex ira difficilius aderit complacentia et scandalum. Caveat Confessarius ab absolvendi hujusmodi recidivis in colloquiis turpibus, quamvis dicant se ea protulisse ex joco, nisi priùs emendentur, vel signum extraordinarium doloris afferant. 4. Num jactaverint se de aliquo peccato; tunc enim tria peccata frequenter concurrunt, scilicet magnum scandalum audientium, jactantia de malo commisso, et complacentia de peccato narrato: ideoque interrogandi sunt, de quo peccato in specie se jactarint (*l. 5. n. 26.*) interrogentur etiam, an delectati sunt audire alios inhonestè loquentes, et an tunc adverterint ad correctionis præceptum, putantes eam profuturam.

41. III. Circa opera, interrogentur quacum rem habuerint; num alias cum eandem peccarint? ubi peccatum fuerit patratum (ad occasiones removendas); quoties peccatum consummatum; et quot actus interrupti adfuerint, seorsim à peccato: num peccato multum ante consenserint. Nam tunc actus interni interrumpuntur, juxta dicta n. 36. et tum expedit formare judicium, toties multiplicata fuisse peccata, quot morulæ somni, distractionis etc. adfuerint, prout sunt coram Deo, tantùm interrogando de temporis duratione in peccato. Secus, si malum propositum fuerit conceptum per duos vel tres dies ante consummationem,

peccati, et intra illud tempus non fuerit retractatum, quia tunc sumitur pro uno numero peccatum; vide dicta *ibidem*.

Se polluentes interrogentur etiam de tactibus impudicis separatis à pollutionibus, et moneantur eos esse mortalia. Item interrogentur, an concupierint, vel an delectati fuerint de copula oogitata cum aliqua, vel pluribus mulieribus, aut pueris; tunc enim tot peccata distincta committunt. Item adverte, quòd si quis coiret inter crura aut brachia mulieris, præter peccatum contra naturam, committeret fornicationem inchoatam, sive effectivam, ut dicunt communiter *Filliuc. Tambur. Holz. Spor. etc.* (*l. 3. n. 466. v. Primum, infra ad n. III.*); unde hic duo pararent peccata diversæ speciei, unum contra naturam in effectu, alteram fornicationis in affectu. Circa peccata conjugum respectu ad debitum maritale, ordinariè loquendo, Confessarius non tenetur, nec decet interrogare, nisi uxores, an illud reddiderint, modestiori modo quo possit, putà, an fuerint *obedientes viris in omnibus?* de aliis taceat, nisi interrogatus fuerit. Quæ autem liceant, et quæ vetentur inter Conjuges circa idem debitum; vide quæ fusè dicta sunt in Opere (*Lib. 6. ex n. 900.*)

42. CIRCA VII *Præceptum*. Interroget, si aliquid ab alio surripuerit? et à quo, et an ab uno, aut pluribus? an solus, an cum aliis, et an semel, an pluries? quia si qualibet vice materiam gravem sumpserit, qualibet vice peccavit mortaliter. Si verò materiam parvam sumpserit singulis vicibus tunc non peccavit graviter, nisi ad gravem materiam advenerint; dummodo à principio animum non habuerit perveniendi ad materiam gravem; sed cum materia jam facta est gravis, licèt ille graviter non peccavit, tamen sub gravi tenetur ad restitutionem (*Tom. 2. l. 3. n. 533.*); saltem illius ultimæ quantitatis, quæ materiam gravem constituit (*Ibid. in fin.*) Notandum tamen plus materiæ ad constituendam gravitatem in furtis minutis, et majorem requiri, si à diversis sumantur; unde dicitur, quòd in furtis minutis, quæ pluribus vicibus diversis facta sunt, duplum requiritur (*Lib. 3. n. 530.*) Et si inter ea notabile intercessit tempus, duorum nempe mensium, tunc furta probabiliter non coalescunt in materiam gravem (*Ibid.*) Probabiliter autem qui fructus ederent in aliorum vineis, dummodo non sint rari, et magni pretii, possunt excusari saltem à peccato gravi, si foras non exportant in magna quantitate (*Lib. 3. n. 529. Qu. 2.*); in hoc enim rerum genere, quæ nimis sunt expositæ, major quantitas ad gravem materiam constituendam requiritur (*Num. 529.*) Et hac ratione faciliter possunt excusari famuli et famulæ, quæ sibi à Dominis sumunt res comestibiles; modò non sint in magna quantitate, et extraordinariæ (*Lib. 3. n. 545.*) Neque condemnari debent de peccato gravi, qui ligna incidunt, aut pecora ad pastum ducunt in agros communitalis, licèt prohibitum sit; quia tales prohibitiones censentur esse purè pœnales (*N. 529. v. qu. 1. et n. 614. v. 2. Qui in loco.*) Gravitatem autem materiæ commensuratur à qualitate personæ cui illatum est damnum; sed hoc fusius discussum est in

Opere (*Lib. 3. n. 529.*) Cùm autem furta fiunt à filiis, aut ab uxoribus, requiritur multò major quantitas, ut sint grave peccatum; et rarò hi tenentur sub gravi obligatione ad restitutionem. (*Num. 539. et 543.*)

43. Certus factus de gravi pœnitentis obligatione Confessarius, inspiciat si pœnitens valeat restituere, licet cum aliquo incommodo: et eum non absolvat, nisi priùs restituat, licet ille signa extraordinaria emendationis exhibeat (*Lib. 3. n. 68a.*) Bona enim sunt quidam sanguis, qui à venis non eruitur nisi cum magna vi, et dolore. Unde si restitutio non fit ante absolutionem, cum difficultate maxima fiet postea, ut experientia admodum docemur. Potest excipi tantùm pœnitens, qui ita meticulosæ conscientiæ esset, ut de eo nullus dubitandi locus superesset. Dixi cum aliquo incommodo; quia si ille restituendo non esset, quin in gravem necessitatem se conjiceret, id est quin à statu suo, quem justè acquisivit, decidat, tunc ille potest differre restitutionem, dummodo creditor non sit in gravi necessitate. Imò, licet creditor sit in gravi necessitate, probabiliter nec etiam tenetur debitor ad restitutionem, cùm ipse pariter in gravi necessitate reperitur; et per restitutionem constituendus esset in necessitate quasi extrema. Hoc tamen intelligitur modò res ablata non extet in specie; et modò creditor præcipuè non redactus fuerit ob illud furtum in eam gravem necessitatem (*Num. 703.*) Curetur saltem tunc nempe cùm potest differri restitutio, suadere pœnitenti, ut identidem paulatim restituat, aut aliquem laborem faciat, aut aliquid donum aliquando creditori offerat.

44. Possibile hïc non est omnes doctrinas scitu circa hanc materiam restitutionis necessarias, quæ est ita latè patens, et implicita, iterum repetere. Observetur propterea quod fusiùs in Opere actum est. Solummodo hïc lubet pauca annotare, quæ frequenter accidunt, et quæ magis ad proxim pertinent. Et 1. Cùm aliquis in comitatu aliorum furatum ivit, ad judicium formandum si ipse ad totum damnum teneatur, an non, distinguendum est: si ille merè à sociis inductus fuit, et sine ipso jam furtum accidisset, eodem modo quo accidit, non tenebitur ad aliud restituendum, quàm quod ille surripuit. Si autem concorditer (alternis sibi animos incitantibus) ad furandum iverint; tunc quisque tenetur in solidum ad restitutionem (*l. 3. n. 579. v. Quær.*). Ita in theoria; sed in praxi rudes, præsertim illi qui parùm sunt meticulosæ conscientiæ, difficulter suaderi possunt teneri ad restituendum, quod ab aliis acceptum est: et contra domini ipsi contenti sunt de portione illorum ob id ipsum, quòd si obligantur ad totam, facilius restituere omitant, non solum quod alii acceperunt, sed etiam quod acceperunt ipsi. Propterea Confessarius ei scire faciat se teneri ad restitutionem, quin explicet quantitatem, restituere faciens quantum sua illius conscientia dicat (*Ib. in fin. et Act. Instruct. pro Confessar. Pagarum, c. 8.*) 2. Advertendum, neminem teneri ad damnum illatum restituendum, si nihil sibi utilitatis evenit, si illud damnum saltem in

confuso non prævidit (*Lib. 3. n. 613. in fin.*); aut nisi per Judicis sententiam ad damnum reficiendum mulctatus fuerit (*Lib. 1. n. 100. in fin. et l. 3. n. 554. in fin.*). 3. Si furtum est incertum, nempe si incerta est persona cui illatum est damnum, obligandus est poenitens ad restituendum, aut Missas celebrare faciendo, aut eleemosynas pauperibus aut piis locis elargiendo (*Lib. 3. n. 589. in fin.*); et si ipse pauper est, potest sibi aut suæ familiæ applicare (*Num. 672*). Sed si persona est certa, debet huic fieri restitutio; quare mirum quidem est tot reperiri Confessarios tam imperitos, qui, cum sciatur quis sit creditor, poenitentibus imponunt, ut de re restituenda eleemosynas erogent aut Missas celebrare faciant. In eo casu ego hanc defendi sententiam (*Lib. 1. n. 37. v. Quid si.*) poenitentem iterum teneri ad restituendum, quia fur in omnibus casibus, etiam fortuitis, debet reddere dominum indemnem, nec acquiescere potui opinioni adversæ. Dixi dumtaxat (*Lib. 3. n. 534. Qu. II.*) quòd si furta essent minuta, licet simul unita ad magnam summam advenerint, et etiamsi domini essent certi, sed diversi, tunc excusarem à peccato gravitatem qui vellet restituere pauperibus, propter rationem ibi allatam; et etiam à veniali, si rationalis causa adesset, prout si restitutio fieri non posset dominis sine notabili incommodo, aut si aliqui pauperes in ea essent necessitate, ut præsumerentur domini consentire, ut illis fieret restitutio (*Num. 595. in fin.*). Si quis fraudem multis civibus, sed incertis fecerit per furta minuta ex. gr. vendendo vinum, oleum, etc., mensura detracta, aut pondere imminuto, ego defendi teneri ad restituendum ipsismet civibus (aut pretium minuendo, aut pondus vel mensuram augendo), et non jam pauperibus loci, ut alii permittunt; licet, jam supra dixi, si pauperibus daret, non peccaret graviter, et ne venialiter quidem, si justa causa accederet (*Dict. n. 595*). 4. Notandum, quòd si quis rem alienam sumpserit, aut retineret cum præsumptione, quòd si à domino eam peteret, libenti animo eam ipsi donaret, is non debet obligari ad restitutionem (*Lib. 3. n. 700. v. Quær. hic. I*). 5. Neque debet obligari ad restitutionem, qui immemor debiti suo creditori donum merè gratuitum præbuit (*Num. 700. v. Quær. II*). 6. Advertendum quòd ut poenitens teneatur ad restitutionem sub culpa gravi, cum res ablata jam consumpta est, et ille ditior non est factus, opus est primo, ut intercesserit culpa gravis interna contra justitiam commutativam (*Lib. 3. n. 550*). Præterea requiritur ex sua parte, ut actio externa, sive influxus sit damni causa efficax (*Num. 584*), et insuper, ut hic influxus sit completus, sive graviter injustus (*Lib. 3. n. 551*), et ut habeatur moralis certitudo quòd ille talis fuerit (*Num. 562 et 568*). Hoc est id quod ad acceptionem pertinet. Circa autem ad retentionem rei, cum poenitens pro se habet probabilem opinionem cum legitima possessione, non potest à Confessario obligari ad restitutionem (*Lib. 1. n. 25*); imò qui inceptit possidere in bona fide aliquam rem, post diligentiam factam ad veritatem inveniendam, non tenetur ad aliquid restituere.

dum, nisi certus fiat de jure quod proximo competit, ut pluribus locis probavi. Quòd si restitutionis obligatio esset certa, sed pœnitens maneret in bona fide, et Confessarius certè prævideret correptionem non profuturam, tunc debet eam omittere, ne per ipsum fiat, ut quod est peccatum materiale, evadat formale cum pernicio illius animæ, ut dicunt DD. (*Lib. 6. n. 614. v. Infer. II.*); vide dicta *sup. Cap. I. n. 8. et 9.* Denique quoad obligationem restitutionis ratione contractûs, oportet alios consulere, libris studere, et postea decidere. Reliquum est, ut hîc advertatur, quòd si reperiantur aliqui contractus usu per longum tempus recepti in aliqua regione, ubi præcipuè missiones factæ sunt, Confessarius non debet eos condemnare, nisi priùs omnibus inspectis circumstantiis: siquidem primo aspectu multi contractus apparent usurarii, aut injusti, sed postea melius rebus perpensis tales non sunt habendi. Circa autem bonorum præscriptionem observa librum (*Lib. 3. ex n. 504.*).

48. CIRCA VIII. *Præceptum*, 1. interrogetur pœnitens, si aliquem infamaverit? et si id effecerit, falsum delictum ei imponendo, aut verum patefaciendo? et cum delictum est verum, si illud erat occultum, aut publicum in aliquo loco, fama, aut Judicis sententia? item interroget, si infamaverit coram uno, an pluribus; et coram quot? item si divulgaverit factum, ut à se cognitum, an ab aliis auditum? Circa autem famæ restitutionem, si delictum quod est patefactum, erat falsum, qui infamiam intulit, tenetur se retractare. Si verò delictum est verum, debet infamæ illatæ prospicere meliori modo, quo potest, sine mendacio: dicat ex. gr. *Allucinatus sum, me fefelli., erravi.* Alii etiam admittunt posse dici, *mentitus sum*, æquivocando, dum omne peccatum est mendacium, ut dicitur in Scripturis. Ego soleo dare consilium, ut dicant: *è capite meo hoc erui*, vulgò (*me l'ho cacciato di capo*), etiam æquivocando, quia omnia verba è mente (pro qua accipitur caput) procedunt. Quòd si unquam famæ restitutio probabiliter judicaretur majus damnum quam utilitatem infamato allatura, quia præsumitur res ab hominum memoria effluxisse (ut præsumitur cum famæ obtrectatio multo abhinc tempore accidisset, et inde de hac nulla amplius facta est mentio), tunc satius est occasiones captare infamia notatum laudandi in aliqua ejus virtute, ut eum in bonam aliorum opinionem ponat, quam in memoriam revocare res præteritas hac famæ restitutione. Confessarius procuret, ut hujusmodi famæ compensationes, cum commode fieri possunt, ante absolutionem fiant, quia postea difficulter adimplentur: licèt hæ minus difficultatis habeant, quam pecuniæ restitutio. Denique hîc advertatur quòd proximi delictum patefacere, tunc propriè detractio dicitur, et est peccatum, cum intenditur, ut ait S. Thomas (2. 2. q. 73. a. 2.), famam alterius denigrare, non autem cum intenditur aliquod damnum vitare, ut esset parentes, dominum, Prælatum certiores facere, ut reus emendetur, aut aliorum damno consulatur. Modò illius damnum esset magni momenti, aut longè mi-

trius damno infamia notati. Observetur id quod habetur in Opere (Lib. 3. n. 968.)

46. Circa debitum restituendi alicui honorem ablatum, propter contumeliam ei irrogatam, jam actum est in Præcepto V. num. 36. In hoc Præcepto VIII. DD. etiã agunt de judicis temerariis. Multi rudes se accusant se malè de aliquo sensisse. In hoc opus est advertere, 1. Quòd cum motiva sufficientia adsunt sic judicandi de aliquo facto, judicium non est temerarium, sed justum, et propterea culpa caret. 2. Quòd plerumque hæc non sunt judicia, sed suspiciones, in quas domini, et Patresfamilias aliquando tenentur induci, ut aliquod peccatum impediunt, ex. g. ne servi furentur, ne filia peccent cum viris versando, etc. Tantummodo eos de hoc moneat, ne hujusmodi suspiciones sine necessitate cum aliis conferant.

47. Reliquum esset sermonem facere de Præceptis Ecclesiæ, sed de iis, nempe de obligatione audiendi Missam, et de non laborando die festo, jam satis supra diximus num. 32. et 33. Circa jejunium autem, tria in Confessarii memoriam revocamus. I. Non omnes labores excusare à jejunio, sed eos duntaxat, qui multam corporis agitationem causant (Lib. 3. num. 1041.) II. Operarios iis solis diebus excusari à jejunio, in quibus actu laborant; aut cum sperant crastina die se laboraturos, et non posse nisi die præcedenti comedant (Ibid. num. 1044.) III. Non sufficere ad jejunio satisfaciendum extra prandium et cœnam non comedere, aut vespere minus solito cœnare, ut falsò multi credunt; jejunium enim importat unicam comestionem facere in die; et vespere aliud non permittitur quàm simplex collatiuncula octo unciarum juxta communem consuetudinem, aut ad plusdecem uncia possunt concedi illi, qui ob majorem exigentiam usus fuisset majori quantitate ordinariam excedente. (Num. 1025.) Pauperes verò quibus mane non fuisset cibus sufficiens et non possunt sustentari sola collatiuncula serotina, hi excusantur (Num. 1033. v. Secundo.) Quòd si vespere hi haberent sufficientem cibum, dicunt DD. hos teneri ad jejunium, antevertendo cœnulam ad meridiem; sed multi alii hoc negant, quia hujusmodi jejunium incommodo extraordinario esset aliis. Observentur quæ in Opere habentur. (Lib. 3. num. 1034. circa finem.)

Postquam tale examen à rudibus exegerit, quomodo postea Confessarius se gerere debeat, ut disponat pœnitentem ad dolorem, et adjungat pœnitentiam, jam supra actum est (num. 10. et 11.) Sed ante omnia advertat tale examen non negligendum, ubi cognoscitur opus esse, dum invenitur Confessoriorum major pars in hoc puncto deesse.

CAPITULUM III.

De interrogationibus adhibendis cum Personis diversi statûs, aut conditionis, quæ sunt conscientiæ parùm meticulosæ.

48. Hic advertitur, quòd circa obligationes proprii statûs, aut officii non semper sufficiat Confessario pœnitentem interrogare tantùm, an suam obligationem impleverit, cum pœnitens videtur esse conscientiæ parùm meticulosæ, aut Confessarius aliunde habet rationabilem suspicionem quòd ille suis obligationibus desit, tunc oportet, ut ipsum interroget in particulari, saltem circa ejus obligationes principaliores.

49. Et primò, si est sacerdos qui ad confitendum accedit, interrogetur 1. an satisfecerit horis canonicis, et oneribus Missarum, vel an has per multum tempus distulerit celebrare? 2. an negotiationem exercuerit? 3. an nimis festinanter Missam absolvat? nam si infra quadrantem horæ illam terminat, ipse à culpa gravi nequit excusari, etiamsi Missa sit de requiem, ut non sine magno fundamento plures DD. docent (*Tom. 5. l. 6. n. 400.*): infra enim tam breve spatium non est possibile Missam absolvere sine magna verborum et cæremoniarum negligentia; saltem nequit Missa celebrari cum ea gravitate et decentia, quæ tanto Sacrificio convenit. Insuper ex Missa nimis festinanter celebrata, oritur etiam grave scandalum laicorum, quibus, ut ait Bellarminus (*Ibid.*), videntur hujusmodi Sacerdotes non credere quòd in Missa realiter sit præsens Divina Christi Domini Majestas.

50. Præterea, non erit improprium Sacerdotes interrogare, an in ipsorum Patria magna sit penuria Confessariorum? Eo enim casu posset aliquis Sacerdos teneri ad se reddendum idoneum ad Confessiones excipiendas, ut validis rationibus probavimus (*l. 6. n. 625.*); quibus addatur doctrina D. Thomæ, qui (*Suppl. qu. 34. art. 1.*) inquit, Deum ad hoc instituisse in Eccles. ordinem Presbyterorum, ut ipsi aliis Sacramenta ministrarent; *Et ideo* (verba S. Doctoris) *posuit Ordinem in ea, ut quidem aliis Sacramenta traderent.* Idcirco Sacerdos appellatur lux mundi, sal terræ, et Coadjutor Dei. Cum igitur finis Sacerdotis sit Sacramenta ministrare, quomodo ipse poterit à culpa excusari, si viderit suos conterraneos carere Confessariis, et ideo plures eorum in peccato manere, cum magno damnationis periculo et ipse Domini finem, ob quem ad Sacerdotium fuit evectus à Deo, frustraneum reddit, negligendo ex pigritia idoneum effici ad ministrandum pœnitentiæ Sacramentum, quod saluti animarum, excepto Baptismo, præ aliis necessarium est. Nimis verenda sunt verba Domini adversus eos Sacerdotes, qui salutem proximorum parùm curant. « Si dicente me ad impium, » morte morieris, non annuntiaveris ei.... ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem ejus de manu tua re-

quiram. » *Ezech.* 3. 18. Si autem Sacerdos ille se excuset ad-
ducendo suam insufficientiam, audiat S. Franciscum Salesium,
qui falsam vocat humilitatem eorum Sacerdotum qui renuunt
animarum saluti incumbere, sub titulo suæ imbecillitatis. Ista
(ait Sanctus) malitiosa est humilitas, et inventus amoris pro-
prij, qui sub hoc specioso prætextu propriam quærit tegere so-
cordiam. Subdit quòd Deus, cùm aliquod nobis talentum dona-
verit, justè petit à nobis, ut illud exerceamus: quapropter qui
eo utitur et paret, ille magis humilem se ostendit. Superbi
quidem causam habent, ut nullum suscipiant opus, quia tales in
se ipsi fidunt. Humiles contra magnanimi sunt, quia non proprias
perpendunt vires, sed in Deo confidunt cui placet in nostra infir-
mitate suam omnipotentiam extollere; unde concludit quòd hu-
miles omnia aggredi possunt.

51. Secundò, si accedit ad confitendum aliquis Confessarius, de
cujus idoneitate prudenter dubitatur, interrogetur, an studio suf-
ficientem operam dederit, et an studere pergat? nam, ut diximus
n. 18. *in fine*, ad bene exercendum officium excipiendi Confes-
siones, non satis est aliquando studuisse. Item, an absolverit
eos qui manebant in occasione proxima peccati, aut erant reci-
divi, nec extraordinaria signa suæ dispositionis afferebant? Si
unquam talis Confessarius aliquam pœnitentem sollicitasset ad
turpia, interrogetur, an sciat se non posse Sacrum facere, dum à
SS. P. Benedicto XIV sollicitantibus imposita est inhabilitas
perpetua, et Papæ reservata, quæ, ut ostendimus in Opere
(*Lib.* 6. *n.* 705.), ante omnem sententiam incurritur. An autem
hæc incurrat etiam ab ignorantibus? Observa quæ dicuntur
in eodem Opere loco citato, Venetiis edito.

52. Tertiò, si accedit Parochus, interrogetur 1. an attendat
ad debitas correctiones erga subditos? præcisè erga eos qui aliquo
tenentur odio, aut cum aliqua turpiter conversantur, aut domos
sponsarum frequentant. Et de hac materia loquendo, hujusmodi
Parochus valde advertatur ad non accipiendas promissiones mu-
tuas matrimonii, nisi parum ante quàm Nuptiæ sint contrahe-
ndæ, ut prudentes Parochi agunt; alioquin omne tempus illud
usque ad matrimonium, peccatorum tempus erit. 2. An invigilet,
ut sui subditi absque exceptione personarum Paschale impleant
præceptum? Quot personas in Missionibus invenimus, præser-
tim majoris existimationis, quæ per multos annos præceptum
implere omiserunt; quin Parochus eos admonuerit, et oppor-
tuna adhibuerit media ad ipsorum resipiscentiam? 3. An Sa-
cramenta ministraverit (præcipuè pœnitentiæ) in periculo
mortis, aut cùm requisitus fuerit per se ipsum (*l.* 6. *n.* 623. *n.*
2. Resp. 2. *et Resp.* 3.)? Dico per seipsum, quia, cùm ipse pos-
test, non satisfacit illa per alios ministrando (*Lib.* 4. *n.* 127. *n.*
Hinc). 4. An moribundus debitam præstiterit assistentiam? 5. An
in Dominicis conciones habuerit, etenim Parochus cùm non est
legitimè impeditus, omittendo concionari per mensem conti-
nuum, aut per tres menses discontinuos intra annum, à DD. non

excusatur à gravi culpa (*Lib. 3 n. 269. infra v. Hic obiter*). 6. An debitas largitus sit eleemosynas habens beneficium pingue, congruam excedens? 7. An attenderit ad instruendos in Doctrina Christiana pueros, et rusticos circa mysteria fidei, et media ad salutem? Præsertim an instruxerit rudes circa dolorem peccatorum necessarium ad obtinendam absolutionem; necnon pueros circa Communionem ætate qua jam ad eam sunt idonei, nimirum ordinariè loquendo ab anno decimo usque ad duodecimum, vel ad summum ad decimum quartum (*Lib. 6. n. 301. v. Sed hic*)? Sciendum enim, S. Carolum Borromæum suis Parochis præcepisse ut ad Communionem idoneos redderent pueros, statim ac ad decimum annum pervenissent (*Ibid.*) At quidam Parochi renuunt etiam pueris, qui ad annum pervenerint duodecimum, Eucharistiam ministrare, et cur? ut incommodum effugiant illos instruendi. 8. Interroget sedulò, an facilè, et ob humanos respectus attestations in scriptis dederit initiandis, necessarias ut illi possint Ordines suscipere? in hoc enim oportet ut Parochi non sola notitia negativa sint contenti, cum debeant habere positivam de ipsorum probitate, et Sacramentorum frequentia; et ideo tenentur particulariter de his omnibus certiorari. Quandoque inveniuntur ordinandi mille culpis onerati, qui vix semel in anno communionem acceperint, imò qui etiam præceptum paschale omiserint, et deinde audacter attestations Parochi præsentant de morum honestate, et Sacramentorum frequentia. Isti jam postea ordines suscipiunt, et scandalum fiunt populo; et de omnibus ipsorum flagitiis Parochus equidem rationem Deo reddere debet, nam Episcopi in hoc Parochis credunt: sed Episcopi seduliores fidem non præstant Parochis in hac materia tam gravi, à qua salus pendet populorum.

83. Quartò, si accedit Episcopus negligentis conscientiæ, Confessarius interroget 1. An debitam adhibeat diligentiam (præter scientiæ examen) in se certiorando de positiva probitate ordinandorum? prout Sacri Canones, Tridentinum, et Apostolus imponunt, minimè acquiescendo Parochorum attestationsibus, quæ (ut diximus) ut plurimum aut falsæ sunt, aut suspectæ. 2. An approbet ad confessiones Sacerdotes sat in moribus et doctrina expertos? Aliter illi plus damni quàm utilitatis afferent. 3. Quomodo reditus mensæ expendat, et applicet? Ut enim probavimus (*Lib. 3. n. 492.*), Episcopi dempta honesta sua sustentatione, reliqua tenentur pauperibus elargiri. 4. Quomodo residentiæ obligationi satisfacit? Etenim nec etiam per tres menses à Tridentino concessos, ipse à sua diœcesi potest abscedere, ut Pontifex Benedictus XIV declaravit, si ex futili causa sive ob meram oblectationem abesset. 5. Quomodo invigilet ad inquirenda suarum ovium scandala, ut ipsa repararet meliori modo quo poterit, implorando etiam subsidium brachii sæcularis, si oportet? 6. Interroget quomodo se gerat in bono exemplo exhibendo? certè enim Prælati speciali modo tenentur exemplarem se præbere: alioquin quomodo poterit suos Ecclesiasticos corrigere; putà ne

cum mulieribus versentur, neque ludos vetitos frequentent, si de his malum ipse tribueret exemplum?

84. Quintò, si confitetur Monialis, interrogetur 1. An aliquem defectum commiserit circa vota, præsertim paupertatis, accipiendo vel largiendo sine licentia? 2. An satisfecerit horis canonicis? Opinio enim quòd Moniales in privato non teneantur officium recitare, non est satis probabilis, ut ostendimus (*Lib. 4. n. 141.*) 3. An erga aliquem mutuam nutrierit benevolentiam periculosam, putà si adfuerint saltem verba, aut litteræ amatorie? Et eo casu, si Monialis familiaritatem illam nollet relinquere, constans sit Confessarius in neganda ei absolute; in hujusmodi enim familiaritatibus, licèt finis positivè pravus absit, semper tamen periculum urget: saltem adest scandalum, et malum exemplum respectu aliarum. (*Diana part. 5. tr. 7. R. 21. et 22.*) 4. An aliquo teneatur odio in suas sorores. 5. Si Monialis aliquod exercet officium, interroget de illo in particulari; putà *Rotariam*, an afferat litteras aut nuncia de malo suspecta? *Portinariam*, an oscitanter januam reseratam teneat, cum periculo scandali Monialium, aut aliorum? *Abbatissas*, an debitam, adhibeant diligentiam, cum viri in monasterium ingrediuntur aut morantur; aut an novis abusibus conniveant? Advertendo quòd, licèt particulare Moniales peccent leviter, levem regulam transgrediendo, superiores tamen, quæ non curant impedire cum possint observantiæ relaxationem, peccant in re gravi (*Lib. 4. num. 13.*)

85. Sextò, si accedit quis judicis officio fungens, interrogetur 1. An fuerit personarum acceptor? 2. An causas expediverit? 3. An in judicando conveniens studium præmiserit, omiserit, vel ex aliqua animi affectione motus erga alteram ex partibus sententias dixerit?

86. Si autem accedit tabellio; interrogetur 1. Quomodo se gerat in capiendis informationibus? 2. An intermiserit interrogationes suggestivas? 3. An testium depositiones diminuerit, vel auxerit?

87. Septimò, si accedit medicus interrogetur 1. An satis fuerit versatus in studio medicinæ, et in praxi medendi? necnon an studium adhibeat (ut tenetur) in casibus difficilioribus qui occurrunt? 2. An alicui impertierit licentiam edendi carnes ob merum humanum respectum, sine justa causa? 3. An aliquod periculosum remedium applicaverit infirmo, non adhuc de vita desperato (*l. 1. n. 46. lib. 4. num. 291.*)? 4. An fuerit causa ut remedia acciperentur ab aliquo pharmacopola suo amico, quem tamen noverit parùm esse fidelem, vel peritum, aut ineptas vendere medicinas? 5. An attenderit ad curandos pauperes, si ad hoc stipendium exegerit; vel sine stipendio, si pauperes fuerint in gravi necessitate (*Trull. t. 1. l. 4. c. 1. dub. 11. in fine*)? 6. An curaverit suos monere infirmos, ut tempore debito confiterentur, juxta præcepta pontificia? De hoc puncto in pluribus Operis locis sermonem fecimus (*Lib. 3. n. 182. et melius l. 6. n. 664.*).

ubi dictum est quòd Innocentius III. medicis præcepit, ne alicujus infirmi curam susciperent, nisi prius ille confessus fuerit; et S. Pius V. confirmans tale præceptum, insuper jussit, ut medicus post tertium diem relinquat infirmum, nisi sciat ipsum fuisse confessum; item mandavit ut omnes medici, antequam gradum Doctoratûs assument, dent juramentum observandi hoc præceptum; idque mandatum est omnibus collegiis. Sed dubium est, quomodo hujusmodi præceptum, et juramentum intelligantur. Plures DD. tenuerunt ea procedere, cum infirmitas est periculosa; vel saltem cum dubitatur an sit periculosa; et in hoc sensu dixerunt Bullam S. Pii receptam fuisse. Sed communior sententia vult ut præfatum præceptum, quamvis non obliget in quocumque morbo levi, tamen non intelligendum sit tantum urgere in morbis actualiter periculosis, sed etiam in illis qui prudenter judicantur posse in posterum fieri periculosi. Et ratio est, quia Innocentius præcipit, ut medicus imponat infirmo confessionem antequam ejus curationis onus medicus suscipiat, ad hoc, ne infirmus (sic loquitur Pontifex) de Confessione monitus, de salute desperans, facilius in mortis periculum incurrat. Igitur intendit effici, ut infirmus confiteatur antequam morbus fiat mortalis. Hæc sententiâ mihi videtur vera. Hoc tamen non obstante, in contrarium est praxis medicorum, etiam timoratae conscientiae, qui non solent monere infirmos ad confitendum, nisi cum infirmitas probabiliter jam periculosa effecta est. Neque in hoc putant peccare adversus juramentum præstitum juxta Bullam S. Pii, innixi doctrinae plurium auctorum (*l. 6. num. 664. v. Circa auzem.*) sententiam quod præfatum juramentum non obliget, nisi pro illa parte, pro qua à consuetudine receptum est. Cæterum non dubitandum, quin mortaliter peccent saltem medici illi, qui omittunt monere infirmos de confessione, cum infirmitas est jam periculosa. O! quam miserum est videre tot infirmos (et præsertim eos qui spectatae sunt dignitatis) ad incitas mortis reduci, ut rationes vitæ Deo mox reddituras parent, tempore quo sunt quasi exanimis, cum vix possint verba tunc modulare, vix alios audire, vix statum concipere propriae conscientiae, suorumque peccatorum dolorem. Et totum hoc evenit culpa istorum medicorum, qui ne displiceant infirmis, aut eorum propinquis, illos certiores non faciunt de periculo; imò eis blandiri pergunt usque dum omnino ipsi de vita desperant. Cum igitur accedit medicus negligentis conscientiae, curet Confessarius præcipue eum interrogare et monere, non obiter, sed cum calore de hac obligatione innotuendi Confessionem infirmis, saltem quando advertit morbum jam esse gravem, aut dubitat an sit jam gravis, ut communiter dicunt DD. qui in hoc non discrepant. Dico cum calore; nam ex hoc puncto pendet salus spiritualis, non tantum medici poenitentis, sed omnium etiam infirmorum qui sub ejus cura erunt.

58. Octavo, si accedit pharmacopola, interrogetur 1. An presiterit remedia prægnantibus ad abortum procurandum.

2. An vendiderit unum pharmacum pro alio, et carius quàm res valebat (*Lib. 3, n. 821.*). Hic adde Gregorium XIII. in *Const. 29. Officii nostri* omnem vetuisse societatem pharmacopolarum inter et medicos, aut chirurgos.

59. Nono, si accedit mercator, interrogetur 1. An deceperit in pondere et mensura; 2. An res vendiderit ultra pretium supremum; præsertim dando merces ad creditum, cum emptores essent securi, et nihil damni ipse esset passurus: An autem pretium augeri possit, vendendo ad creditum, eo quòd tale est pretium currens in venditionibus ad creditum juxta communem æstimationem? Et an res, quæ venduntur minutatim, carius possint vendi? observa doctrinas in Libro annotatas (*Num. 809.*)

60. Decimo, si accedit Sartor, interrogetur 1. An in diebus festis per notabile tempus laboraverit sine extraordinaria causa, ut vestes completeret, et dominis afferret (*l. 3. n. 303. v. Sartoribus.*)? 2. An jejunia impleverit ab Ecclesia præcepta? nam Sartores ob sarcindi laborem minimè à jejuniis excusantur (*Num. 1041. v. Barbitionesores.*) 3. An si alii commiserint ei pannos emere, ipse pretium majus exegerit, sub colore quòd Mercator ob peculiarem amicitiam pretio minori ei pannos dederit? Si revera pars illa pretii fuisset ipsi donata, tunc poterit eam exigere, modò moralem præmiserit diligentiam apud alios Mercatores, aut certò sciat quòd alii communiter mercem illam minori non vendant pretio (*Lib. 3. n. 826. v. Cautè*); hoc tamen debet esse omnino certum, alioquin nihil amplius potest exigere quàm solvit. 4. An sibi retinuerit frustula, sive resegrina vestium, quæ injustè retinet, nisi adsit consensus dominorum, aut nisi illi aliquid injustè detraherent ex pretio debito, adhuc infimo communiter æstimato? 5. An sibi occasio proxima peccandi esset ex accipiendis regulis bene formandæ vestes mulierum per ipsarum corporum commensurationem (vulgò ut dicitur, *in pigliar la misura*), aut esset ex aptandis vestibus fœminis, quod nequit fieri nisi cum ipsarum mulierum attractione, idque esset sartori occasio proxima incidendi in pravas delectationes, aut desideria, prout non rarò accidit improbæ conscientiæ viris?

61. Undecimo, si accedit aliqua Venditrix sive Proxenetæ (intellige de his quibus traduntur à dominis res vendendas licitantibus) interrogetur 1. an aliquid retinuerit pretii ab emptoribus exacti; tenuimus enim (*Num. 825. v. Quær.*) quòd Venditrix nequit illud superans sibi retinere, etiamsi traderet domino pretium ab eo designatum, quia talis determinatio fit, ut res non vendatur minoris, non autem, ut Proxenetæ illud quod superest sibi retineat; idque procedit, etiamsi à domino fuerit locus designatus, ubi res venderetur, et Proxenetæ, adhibita ibi debita diligentia, in alio loco multum distante plurius deinde vendidisset: etenim tunc etiam dicimus, quòd ipsa nequit omne superfluum retinere, sed tantum id quod ipsi spectare potest ob illum extraordinarium laborem: nam res semper domino fructificat. Excipiuntur (*Ib. v. Bene autem.*) 1. Si Proxenetæ rem meliorem reddi-

dit, et ideo pluris vendidisset, quàm res prius valebat. 2. Si Proxena cum domino convenerit, amplius ei non tradere, nisi pretium ab eo determinatum: et hoc sive expressè sive tacitè, prout esset si dominus nullum pro ejus labore stipendium assignasset. 3. Si, quod superest, esset parvi momenti, ita ut præsumetur dominus condonare. 4. Si Proxena, facta ordinaria diligentia ipsa sibimet emeret rem pretio ab aliis oblato, et postea eam pluris venderet. Idem dicendum, si quis tibi commiserit aliquam rem emendam pretio designato, et tu minoris emisses: tunc enim nihil amplius exigere potes, nisi extraordinarium laborem adhibuisses ut impensæ parceres; aut si rem tuo nomine emisses, periculum in te assumendo; hoc tamen intelligitur, si jam præmississes moralem diligentiam, nec invenisses à quo rem minoris emere potuisses (*Ibid.*)

62. Duodecimò, si accedit Barbitonsor, interrogetur an alios tondeat in diebus festivis, et ubi hujusmodi consuetudo non adsit? Dum contra id ei non est vetitum, ubi consuetudo jam introducta est: aut si ibi nequeunt viri tonderi nisi in festis, eò quòd in aliis diebus labori operam navare debent, ut se suosque sustentare possint. Præterea interrogetur, an comam mulieribus componat, juxta improbum usum hoc tempore à Satan inventum. Ordinariè loquendo, puto id esse viris proximam occasionem peccandi lethaliter turpibus delectationibus, aut saltem desiderii; unde dico minimè permittendum id alicui qui in se contrariam non habuisset experientiam. Quòd si unquam quis pernotabile tempus expertus fuisset, in hujusmodi actione se immunem à peccato, hic revera damnari nequit de mortali; sed hoc non obstante, non omittat Confessarius eum remove quantum potest ab hujusmodi officio, quod certè in se periculum continet. Hinc nolo dubium aliud discutere, an fœminæ possint vel ne tuta conscientia viros accersere: ut illis suas componant comas. Audio quòd ipsæ pluribus in locis hoc faciunt, et confitentur, et communicant; videant ipsæ et ipsarum Confessarii. Saltem Confessarius eis imponat, ne utantur viro aliquo juniore, ex cujus actionibus perceperint maliosè se gerere. Cæterùm censeo quòd mulieres purioris conscientiæ non quidem utentur viris, sed contentæ erunt fœminis à quibus coma componatur, meliori modo quo potest.

CAPITULUM IV.

Quomodo se gerere debeat Confessarius cum iis qui sunt in proxima occasione peccandi.

63. **MAXIMA** Confessarii cura debet esse se bene gerendi cum iis qui sunt in proxima occasione peccandi, aut in vitiis consuetudinarii sunt aut recidivi. Hic sunt duo magni scopuli, in quos major Confessariorum pars impetunt, et deficient. In Capitulo sequenti sermonem faciemus de habituali, et recidi-

vis; hinc de occasionariis. Certum est quod si homines satagerent occasiones fugere, major peccatorum pars evitaretur. Satan, remotis occasionibus, parùm lucratur, sed cùm homo ultro in occasionem proximam se immittit; ut plurimùm et fere semper hostis victoriam canit. *Occasio*, præsertim in materia turpium delectationum, est quasi rete, quod ad peccatum trahit, et simul mentem obcæcat: ita ut homo peccet, quin videat quod agat. Sed deveniamus ad praxim. *Occasio* primò dividitur in *Voluntariam*, et *Necessariam*. *Voluntaria* est illa quæ faciliè vitari potest. *Necessaria* quæ amoveri nequit sine gravi damno, aut scandalo. Secundò dividitur in *Proximam*, et *Remotam*. *Remota* est illa in qua homo rarò peccat, vel illa quæ ubique reperitur. *Proxima*, per se loquendo, est illa in qua homines communiter ut plurimùm deficiunt. *Proxima* autem *per accidens*, seu respectiva est ea, quæ licèt respectu aliorum non sit ut proxima, tamen respectu alicujus proxima est, vel quia hic in tali occasione frequenter est lapsus, vel quia prudenter timeri potest quod labatur propter experientiam cognitam suæ fragilitatis. Quidam AA. volunt, non esse occasionem proximam nisi eam in qua homo fere semper, vel ut plurimùm ceciderit; sed communior et verior sententia docet, occasionem proximam esse illam in qua frequenter quis peccavit. (*Tom. 5. l. 6. num. 452.*) Verumtamen advertendum, quod sicut aliquando occasio quæ respectu ad alios communiter est proxima, respectu verò ad aliquem valde piùm et cautum potest esse remota (*Ibid.*); Ita contra quædam occasiones quæ respectu ad alios communiter per se essent remotæ, fortè erunt proximæ respectu ad aliquem qui propter experimentum relapsuum, et propter gravem inclinationem in quodam vitium (præsertim si est turpe) factus est valde debilis et facilis ad labendum; et tunc iste tenebitur ad removendas non tantùm occasiones proximam, sed etiam illas remotas, quæ respectu sui proximæ evadunt.

64. Cæterùm, est quidem in occasione proxima, 1. Ille qui retinet in propria domo aliquam fœminam quacum sæpe rem habuit. 2. Ille qui frequenter in ludo prorupit in blasphemias, aut fraudes. 3. Ille qui in aliqua caupona aut domo sæpe se inebriaverit, aut ceciderit in rixas, vel actus, verba, aut cogitationes obscenas. Porro omnes isti absolvi nequeunt, nisi postquam occasionem abstulerint, aut saltem nisi auferre promittant, juxta distinctionem, quæ fiet in numero subsequenti. Et ita pariter non potest absolvi qui aliquam domum adeundo, quamvis semel in anno, semper ibi peccavit; talis enim aditus jam ipsi proxima est occasio. Nec etiam absolvi possunt qui tametsi in occasione positi non labantur, afferunt tamen aliis grave scandalum (*Lib. 6. num. 452. vers. Ex præmissis.*). Addunt aliqui DD. (*Ibid.*) negandam quoque absolutionem illi qui occasionem externam non removet, si cum occasione conjungitur habitus vitiosus, aut magna tentatio, seu vehemens passio, quamvis usque tunc in ea occasione nunquam peccaverit; nam faciliè

deinde peccare poterit, si ab occasione se non amoverit. Hinc dicunt, quòd si unquam aliqua famula tentaretur ab hero, et ipsa se noverit facilem ad labendum, ab eâ domo abscedere tenetur, si commodè potest, alioquin temerè præsumeret se securam habere. Et hîc caveant Confessarii à permittendo sponis domos sponsarum adire, et puellis earumque parentibus sponso in domum admittere, quia rarò evenit quòd tales sponsi non labantur, saltem in verba, aut cogitationes turpes in hujusmodi occasione, dum omnes aspectus, et colloquia inter sponso sunt incentiva ad peccandum: estque moraliter impossibile ipsos invicem conversari, et non sentire stimulos ad eos turpes actus, qui tempore Matrimonii deinde succedere debent.

65. Generaliter autem loquendo de adolescentibus et puellis qui invicem se adamant, quippe non sunt isti omnes indistinctè de gravi culpa damnandi, sed ordinariè puto ipsos difficulter esse extra occasionem proximam lethaliter peccandi. Id nimia experientia patet; nam ex centum adolescentibus vix duo aut tres in occasione à mortalibus inveniuntur immunes; et si non in principio, saltem in progressu; tales enim adamantes priùs conversantur invicem ob propensionem, deinde propensio fit passio postquam radicem in corde fixerit, mentem obtenebrat, et eos in mille crimina ruere facit. Hinc Cardinalis Picus de Mirandola, Episcopus Albanensis, in sua Diocesi per edictum suos admonuit Confessarios, ne tales adamantes absolvent, si postquam ter ab illis jam fuerint admoniti, ab hujusmodi amore sectando non abstinuissent, præsertim tempore nocturno, aut diu, aut clam, aut intra domos (cum facili periculo osculorum, et tactuum), aut contra parentum præceptum, aut cum altera pars prorumpit in verba obscœna; aut cum scandalo (prout si in Ecclesia), aut cum Conjugatis, Claustralibus, aut Clericis in sacris. Et in hoc generaliter advertendum, quòd ubi agitur de periculo peccati formalis, et præcisè peccati turpis, Confessarius quantò magis rigorem cum pœnitente adhibebit, tantò magis ejus saluti proderit; et contra, tantò magis cum illo immanis erit, quantò magis benignus erit in permittendo, ut ille in occasione maneat, aut se immittat. S. Thomas de Villanova Confessarios in hoc condescendentes vocat *impiè pios*. Hæc charitas est contra charitatem. Solent in his casibus pœnitentes conari, ut Confessarii apprehendant, quòd occasionem removendo magnum oriatur scandalum. Fortis sit Confessarius ad hujusmodi timores despiciendos: majus semper erit scandalum, videre quòd Pœnitens nec etiam post Confessionem occasionem aufert. Aut alii ejus peccatum ignorant, et tunc nihil mali suspicabuntur: aut sciunt, et tunc pœnitens famam potiùs recuperabit, quàm amittat, removendo occasionem.

66. Plures DD. censent prima, aut secunda vice bene hunc absolvi posse, qui est in occasione proxima licèt voluntaria, etiam antequam occasio auferatur; modò firmum habeat propositum, et promittat se illam statim remoturum. Sed hîc oportet

Distinguere cum S. Carolo Boromæo (in Instructione Confessariis ab eo tradita) occasiones quæ *sunt in esse*, et occasiones quæ *non sunt in esse*. *Occasio quæ est in esse*, est ex. gr. cum aliquis concubinam domi detinet, vel cum aliqua famula consentit quoties tentatur à Domino, et similia. *Occasio autem quæ non est in esse*, est ex. gr. cum quis in ludo prorumpit in blasphemias, aut versando in cauponio prolabitur in rixas et ebrietates, aut accedendo ad convivia incidit in verba et cogitationes turpes. His positis, dicendum, quòd in occasionibus quæ *non sunt in esse*, rectè docet S. Carolus quòd Pœnitenti firmè promittenti *se ab eis abstinere*, potest ei semel, bis, et etiam ter Absolutio dari; quòd si deinde ille occasionem non aufert, et eodem modo peccat, non potest absolvi, nisi priùs occasionem removeat. In occasionibus autem quæ *sunt in esse*, cum eodem S. Carolo omnino neganda est Absolutio, nisi occasio prorsus auferatur. Hancque sententiam (ordinariè loquendo) omnino tenendam probavimus in libro (*Lib. 6. num. 454.*) Ratio, quia talis Pœnitens est indispositus ad Absolutionem, si petat eam antequam occasionem removeat; etenim eam recipiendo, se immittit in proximum periculum frangendi propositum; et sic remanendi in eadem occasione. Clariùs rationem hanc explicemus. Porro mortaliter peccat qui est in occasione proxima voluntaria, et eam non tollit, cum autem opus tollendi occasionem sit maximè arduum, et non impleatur, nisi per magnam violentiam, hanc vim difficulter sibi infert qui jam est absolutus, dum ablato timore sine Absolutione remanendi, de facili sibi suadebit quòd tentationi resistet, quin occasionem auferat, et ita in ea manendo, certè quidem recidet; prout quotidie experimento probatur in pluribus Pœnitentibus qui carpta Absolutione ab aliquo Confessario parùm cauto, minimè postea attendunt ad occasionem removendam, et statim deterius relabuntur. Hinc diximus quòd propter prædictum periculum frangendi propositum, mortaliter peccat Pœnitens qui ante remotio- nem occasionis Absolutionem petit, et graviùs peccat Confessarius qui illum absolvit.

67. Diximus *ordinariè loquendo*, nam plures casus excipiuntur à DD. (*l. 6. n. 454. v. Dixi tamen.*) in quibus Pœnitens absolvi potest, antequam occasionem removerit. Et excipitur 1. casus in quo Pœnitens talia afferret extraordinaria signa doloris, ut prudenter judicari possit ipse non esse amplius in proximo periculo frangendi propositum de tollenda occasione; tunc enim signa illa indicant Pœnitentem donatum fuisse uberiori gratia, qua merito speratur quòd in removenda occasione constans erit. Verumtamen, semper ac Absolutio commodè differri posset, tunc illam etiam ei differrem, usque dum cum effectu occasionem auferat. Excipitur 2. casus in quo Pœnitens non possit redire, vel non misit post multum tempus; tunc bene potest absolvi, si censetur bene dispositus per propositum statim removendi occasionem; quoniam eo casu periculum frangendi propositum, remotum reputatur, causa magni oneris quòd Pœnitens deberet pati, abscedendo sine

Absolutione, aut repetendi Confessionem apud alium Sacerdotem, aut diu manendi sine gratia Sacramenti. Quapropter cum ille sit tunc in quadam morali necessitate recipiendi Absolutionem, antequam occasionem tollat, habet jus ut statim absolvatur (*Ibid. v. Excipiendus 2.*); dum enim hic non potest ante Absolutionem occasionem auferre, censetur ac si esset in occasione necessaria. Sed hoc nec etiam admittendum, si Pœnitens jam ab alio Confessario aliàs admonitus fuerit de occasione removenda, et non impleverit, quia tunc habetur ut recidivus, et ideo nequit absolvi, nisi afferret extraordinaria signa doloris, prout in sequenti Capitulo dicemus.

68. Hoc dicimus quoad occasionem proximam voluntariam. At si occasio est necessaria, aut *physicè*, prout si quis detineretur in carcere, vel esset in periculo mortis, in quo non haberet tempus et modum ejiciendi concubinam: vel *moraliter*, id est, si occasio non posset auferri sine scandalo, aut gravi damno vitæ famæ, aut honorum, ut communiter docent DD. (*Lib. 6. num. 455.*); eo casu Pœnitens bene absolvi potest, quin occasionem auferat, quia tunc non tenetur eam remove; modò promittat exequi media necessaria ad efficiendum, ut occasio ex proxima evadat remota, prout sunt, præcisè in occasione peccati turpis fugere familiaritatem complicitis, et etiam aspectum quantum fieri potest: frequentare Sacramenta: et sæpe commendare se Deo, renovando quotidie (præsertim mane) ante Imaginem Crucifixi propositum non amplius peccandi, et quantum est possibile vitandi occasionem. Ratio, quia occasio peccandi non est propriè peccatum in seipsa, neque inducit peccandi necessitatem; unde bene consistere potest cum occasione verus dolor, et propositum non recidendi; et licèt quisque teneatur auferre proximum periculum peccandi, id intelligitur cum ipse sponte vult tale periculum, sed cum occasio est moraliter necessaria, tunc periculum per remedia opportuna remotum evadit, et Deus tunc non se retrahit ab assistendo sua gratia illi qui verè deliberavit ipsum non offendere. Non dicit Scriptura quòd peribit qui est in periculo, sed qui amat periculum; sed nequit dici amare periculum, qui illi invitus subjacet; unde inquit D. Basilius (*In Constit. Mon. c. 4.*): « Qui urgenti aliqua causa, et necessitate se periculo ob-
» jicit, vel permittit se esse in illo, cum tamen aliàs nollet, non
» tam dicitur amare periculum, quàm invitus subire; et ideo ma-
» gis providebit Deus, ne illo pereat. »

69. Hinc dicunt DD. bene capaces Absolutionis esse qui nolunt relinquere aliquod officium, negotium, aut domum, in qua soliti fuerunt peccare, eò quòd deserere eam nequeunt sine gravi detrimento, semper ac verum habeant propositum se emendandi, et media implendi ad emendationem: tales sunt ex. gr. Chirurgi qui in medendis Fœminis, aut Parochi qui in excipiendis earum Confessionibus, prolapsi sunt, si, his muneribus relictis, non possint juxta suum statum vivere (*Lib. 6. n. 455. in fin.*) Sed omnes conveniunt expedire in his et similibus casibus Absolutio-

nem differre, ut Pœnitens sit saltem diligentior in præscriptis remediis exequendis. Verumtamen ego censeo, Confessarium non tantum posse, sed etiam teneri ad differendam Absolutionem, semper ac commodè differre potest, præsertim cum agitur de materia turpi; tenetur enim ipse tanquam Medicus Animarum opportunitiora applicare remedia; et puto remedium magis idoneum non inveniri pro eo qui manet in occasione proxima, quam differre ei Absolutionem, dum experientia nimis patet quod plures post Absolutionem acceptam negligunt media præscripta exequi, et sic facilè recidunt. E converso, cum alicui differtur Absolutio, ille vigilantior erit ad media implenda, et ad obsistendum tentationibus, ob metum ne iterum sine Absolutione dimittatur, cum ad Confessarium redibit. Fortè in hoc quis me nimium rigidum reputabit; sed ego semper sic me gessi in praxi, et sic pergam me gerere cum iis qui sunt in proxima occasione, quamvis necessaria, et quamvis extraordinaria signa doloris haberent, semper ac mihi non ostenderetur specialis necessitas eos statim absolvendi; et sic censeo multò magis prodesse Pœnitentium saluti. Utinam et omnes Confessarii sic etiam se gerent! O! quot peccata vitarentur, et quot aliæ salvarentur Animæ! Repeto quod supra dixi: Ubi agitur de liberando Pœnitente à peccato formali, uti debet Confessarius opinionibus benignioribus, in quantum Christiana prudentia concedit; sed ubi opiniones benignæ periculum peccati formalis proximius reddunt, prout in hac materia occasionum proximarum accidit, dico omnino expedire, et quandoque oportere, ut Confessarius sententiis rigidioribus utatur, tunc enim hæ valde magis prosunt Animarum saluti. Quòd si autem quis, manendo in occasione necessaria, semper eodem modo relaberetur, etiam remediis adhibitis, et modica superesset spes emendationis, tunc dico omnino huc negandam Absolutionem prius quam occasionem tollat (*Ibid.* n. 457.) Et hinc reor instare Evangelii præceptum: *Si oculus scandalizat te, ejice eum* (*Marci* 9. 46.) Excepto casu quo Pœnitens signa doloris ostenderet tam extraordinaria, quòd posset concipi prudens spes emendationis (*Lib.* 6. n. 457. *in fin.*)

CAPITULUM V.

Quomodo se gerere debeat Confessarius cum Habitatis, et Recidivis.

70. DISTINGUENDI sunt habitati à recidivis. *Habitati* sunt qui habitum contraxerunt in aliquo peccato, de quo non adhuc sunt confessi. Isti, ut dicunt DD. (*Tom.* 5. l. 6. n. 459.) bene absolvi possunt, prima vice qua confitentur de pravo habitu, vel si de eo confitentur postquam retractaverunt, dummodo dispositi sint per verum dolorem, et firmum propositum adhibendi media efficacia ad emendationem; verum si habitus esset valde radicalis, potest etiam Confessarius ei differre Absolutionem, ad expe-

riendum quomodo sit constans Pœnitens in præximo deducendo media præscripta, utque ipse de suo vitio majorem concipiat horrorem. Advertatur hic quod quinque vices in mense jam possunt malum habitum constituere in aliquo vitio peccati externi, modo inter ipsas aliquod intervallum intercedat. Et in materia fornicationum, sodomiarum, et bestialitatum multò minor numerus habitum queit constituere: qui ex. gr. semel in mense fornicaretur per annum, bene hic Habitatus dici potest.

71. *Recidivi* autem sunt qui post Confessionem eodem, vel quasi eodem modo sunt relapsi absque emendatione. Isti, ut communiter docetur (*Ibid. v. Recidivus.*), nequeunt absolvi, si sola signa ordinaria afferant, nempe si tantum confiteantur, asserendo se pœnitere, et proponere, prout habetur ex Propos. 60. damnata ab Innocentio XI. Nam habitus contractus, et relapsus præteriti sine ulla emendatione magnam præstant suspicionem, quòd dolor et propositum, quæ Pœnitens asserit se habere, nequaquam sint vera. Unde istis differenda est Absolutio per aliquod tempus, usquedum appareat prudens signum emendationis. Et in hoc puncto lugenda est Animarum ruina, cujus causa sunt tot mali Confessarii, indistinctè absolvendo tot Recidivos, qui cum repererint Confessarios, qui semper tam facile eos absolvent, amittunt horrorem in peccando, et pergunt ad putrescendum in cœno vitiorum usque ad mortem. Quidam DD. (*Lib. 6. n. 459. v. Dicunt.*) admittunt, Recidivum solis signis ordinariis absolvi posse usque ad tertiam et quartam vicem; sed huic opinioni nunquam potui acquiescere, dum Habitatus, qui post unam Confessionem recidit sine emendatione, jam est verus Recidivus, et fundatam præbet suspicionem suæ indispositionis. Et notetur hic quòd hæc regula procedit, etiam respectu culparum venialium; quamvis enim communiter admittitur facilius absolvi posse eos qui prolabantur in peccata levia, eò quòd occasiones eorum frequentiores sint; attamen, cum sit communis sententia (*l. 6. n. 449. Dub. 1.*) grave esse peccatum, et sacrilegium Absolutionem recipere super levibus confessis sine vero dolore et proposito, nec sufficere dolere de multitudine seu de numero excessivo talium culparum, quin dolor habeatur de aliqua in particulari, prout tenuimus (*Ib. Dub. 2.*) contra quorundam opinionem, faciliè metuendum est hujusmodi Confessiones sacrilegas esse, aut saltem invalidas. Hinc diligenter satagat Confessarius ad non absolvendos indistinctè tales Pœnitentes; tunc etenim, etiamsi illi sint in bona fide, tamen non poterit à sacrilegio excusari, Absolutionem imperitiendo eis qui ad Absolutionem non satis dispositi judicari possunt. Propterea caret, si Pœnitentem sine peccato vult absolvere, aut eum disponere ad dolendum præsertim de aliqua levi culpa, à quo ille magis horreat; aut ei insinuare, ut confiteatur de aliquo peccato graviore vitæ antea actæ contra aliquod præceptum (sufficit enim ut confiteatur in generali absque numero) ut habeat materiam certam super qua inniti possit Absolutio, alioquin etiam huic Pœnitenti per aliquod tempus differri oportet Absolutio.

72. Dico per aliquod tempus, eò quòd Recidivis tam levium, quàm gravium culparum non est necessarium differre Absolutionem per annos, aut menses, ut nimis rigidè vult Jueninus (*Vid. l. 6. n. 463.*); sed regulariter satis erit, si peccatum procedit ex fragilitate intrinseca, dilatio octo vel decem dierum, prout ait doctus Auctor Libri Romæ editi, cui titulus, *Istruzione per li Noelli Confessori* (*Part. 1. c. 9. n. 215.*); idemque dicit Auctor Libelli ubique in Italia accepti, cui titulus, *Istruzione per li Noelli Confessori di Terre, e Villaggi* (*Capo 1. §. 4.*), ubi pro hac doctrina citat Ludovicum Habert (*In Praxi Pœnit. tr. 4. p. 417.*). Adduntque esse excessivam et periculosam dilationem mensis, quia post tantum tempus difficilis redditur Absolutio hujusmodi Pœnitentium. Et huic iudicio favet Benedictus XIV, in *Bulla Apostolica* (*In Bullar. t. 3. N. XIX. §. 22.*), ubi loquens de Confessariis, qui ritè Pœnitentibus Absolutionem differunt, sic deinde eos monet: « Illos quantocius ut revertantur » invitent, ut ad Sacramentale forum regressi, Absolutionis bene neficio donentur. » Nota verba, *quantocius*, et *donentur*. Ad summum (dico) his differri potest absolutio per quindecim, aut viginti dies. Sed excipere oportet illos qui tempore Præcepti Paschalis confitentur; pro istis enim majoris temporis experientia requiritur, cum iusta suspicio haberi possit, quòd hi abstineant à relapsu potius ut censuram effugiant, quàm ex vero proposito mutandi vitam. Oportet etiam excipere eos qui lapsi sunt in occasione proxima extrinseca; isti enim majori egent experientia, cum occasio (ut dictum est in Capitulo præcedenti) sit fortius incentivum ad peccandum. Verùm semper sufficiet experientia mensis. Caveat tamen Confessarius, ne dicat Pœnitenti, ne redeat nisi post mensem; nam hic ob tantam dilationem, nimis terribitur potius imponat ei ut redeat post octo, vel quindecim dies, et sic blando modo ipsum transferet ad recipiendam Absolutionem in fine mensis.

73. Ad absolvendos igitur Recidivos non sufficiunt ordinaria signa doloris et propositi, sed requiruntur extraordinaria: quæ alias juxta communem sententiam (*Lib. 6. n. 459. v. Recidivus.*) certè sufficiunt ad Absolutionem impertiendam; illud enim extraordinarium signum (modò solidum sit et fundatum) aufert indispositionis suspicionem, quæ urget ratione relapsuum. Rectè dixerunt Episcopi Belgii, an. 1697 congregati, in quodam Decreto edito pro directione Confessariorum suarum Diocesium, de hoc puncto loquentes: « Deum in conversione peccatoris, non » tam considerare mensuram temporis, quàm doloris » (*Apud Croix l. 6. p. 2. n. 1823.*) Hinc prohibuerunt, ne Confessarii stabili lege exigerent à Pœnitentibus adhuc recidivis experientiam notabilis temporis, antequam eos absolverent. Et jure merito, sola enim probatio temporis non est unicum signum mutatae voluntatis, dum voluntas peccatoris mutatur virtute Divinae Gratia, quæ tempus non requirit, sed aliquando illico operatur; quapropter mutatio voluntatis bene per alia signa cog-

nosci valet, sine experientia temporis. Quinimo alia signa dispositionis actualis Pœnitentium, quandoque voluntatis mutationem manifestant multò meliùs, quàm probatio temporis: nam talia signa directè dispositionem ostendunt, dum è converso experientia illam ostendit, tantùm indirectè, cum non rarò accidat, quòd aliquis diu abstinerit à peccando, et adhuc sit etiam indispositus. Unde Auctor Libri citati *Istruzione per li Novelli Confessori*, sic ait (*Part. I. c. 15. n. 356.*) *Se la caduta nasce dalla propria fragilita, senz' altra causa estrinseca volontaria, è quasi temerità il dire, che ogni ricaduto sia indisposto.* Et alibi (*Part. I. c. 9. n. 213.*) dicit quòd Recidivus propter vim mali habitùs absolvi debet semper ac firmam ostendit voluntatem adhibendi media ad emendationem, sic subdendo: *E giudichiamo, che'l fare altrimenti sia troppo rigore, e che'l Confessore facendo s'allontanerebbe dallo Spirito della Chiesa, e del Signore, et della Natura del Sacramento, il quale non solamente è giudicio, ma è medicina salutare.*

74. Plura autem sunt hæc signa, prout docent DD. (*Lib. 6. n. 460.*) I. Major dolor manifestatus per lacrymas (modò sint veræ compunctionis), aut per verba ex corde procedentia, quæ aliquando certiora signa quàm lacrymæ esse possunt. II. Minor numerus peccatorum (intellige cum Pœnitens fuerit in eisdem occasionibus et tentationibus peccandi); aut si Pœnitens post ultimam Confessionem perseveravit in gratia per notabile tempus, putà per 20 aut 25 dies, ipse qui priùs pluries in hebdomadâ prolabi solebat; aut verò si relapsus fuerit post magnam resistantiam; aut etiam si antequam ad Confessionem accederet, diu se abstinerit à culpis mortalibus. III. Diligentia adhibita pro emendatione, ut esset si Pœnitens diligenter occasionem vitaverit; media præscripta à Confessario executioni mandaverit aut si adhibuerit jejunia, preces, eleemosynas, etc. ad vitium extirpandum. IV. Si ipse petit à Confessario remedia, aut nova media ad emendationem, item si promittit implere media quæ tunc ei suggerit Confessarius; maximè si nunquam monitus fuerit ad illa adhibenda; sed his promissionibus censeo non omnino fidendum, si alia signa desint; cum Pœnitentes, ut Absolutionem carpant, facillè promittant, sed postea difficulter attendant. V. Spontanea Confessio, nempe si Pœnitens accedit non jam ad implendum Præceptum Paschale, neque ex quodam usu pro se confitendo; in aliquibus temporibus, prout die Nativitatis Domini, in Festivitatibus Deiparæ, et similibus, neque accedit impulsus à Parentibus, à domino, aut magistro; sed venit omnino sponte, et verè inspiratus à Divino lumine, ad solum finem, ut Divinam gratiam recipiat. Præsertim si ad se confitendum longum iter agressus fuerit, abstinerit à lucro notabili, grave sustinuerit incommodum, aut magnum conflictum internum vel externum superaverit. VI. Si venerit motus ab aliquo extraordinario impulsu, putà ob concionem auditam, aut mortem amici, obve metum alicujus imminētis flagelli, prout ter-

ræ motus, pestis, etc. VII. Si Pœnitens confiteatur peccata antèriùs per verecundiam tacita. VIII. Si Pœnitens, antequam accedat, restituerit rem, vel famam ablatam. IX. Si propter monitionem Confessarii ostendit se apprehendisse novam cognitionem et horrorem sui peccati, periculique suæ damnationis. Alii alia signa addunt, prout si Pœnitens magnam libenter acceptat pœnitentiam; si asserit se pœnituisse peccati statim ac illud patravit; si protestatur se velle mori potiùs quàm peccare. Sed hæc signa nescio an sola satis esse possint; potiùs dicerem quòd possent deservire ad alia signa, quæ sola non sufficerent.

75. Denique semper ac aliquod adest signum, quo prudenter possit judicari Pœnitens mutasse voluntatem, bene absolvi potest; quamvis enim Confessarius, ut Pœnitentem absolvere possit, moraliter certus esse debeat ejus dispositionis, attamen advertendum, quòd in aliis Sacramentis, in quibus materia est physica, physica etiam debet esse certitudo; sed in hoc Sacramento Pœnitentiæ, cùm materia sit moralis, prout sunt actus Pœnitentis, sufficit moralis certitudo, sive respectiva, ut probatum est (*l. 6. n. 57. et. 461.*); nimirum satis est quòd Confessarius prudentem habeat probabilitatem de dispositione Pœnitentis, sine aliqua prudenti suspitione in oppositum, alioquin difficulter unquam posset ullus peccator absolvi, nam omnia signa Pœnitentium aliud non fundant quàm probabilitatem quamdam de ipsorum dispositione. Auctor (*dell' Istruzione per li Noo. Confessori.*) sic inquit: *Non ricercasi altro per amministrare la Penitenza, che un giudizio prudente probabile della disposizione del Penitente; onde se le circostanze non fondano un dubbio prudente, ch' egli non sia sufficientemente disposto, non deve il Confessore inquietare se stesso, nè il Penitente, per averne l'evidenza che non è possibile* (*Part. 1. c. 15. n. 360.*) Et hæc notandum circa malum habitum, quòd faciliùs absolvi possunt Recidivi in blasphemiiis, quàm in aliis peccatis odii, furti, aut libidinis, quibus habitus fortiùs inhæret, causa majoris concupiscentiæ, sive inclinationis, quæ in illis invenitur.

76. Dictum est, Confessarium posse absolutionem impertiri Consuetudinario, et Recidivo, quando ille per signum extraordinarium dispositus apparet: sed non dicitur teneri quia potest etiam absolutionem ei differre, si hoc censeat expedire, ut communiter DD. docent (*Lib. 6. n. 462.*); Etenim, licet Pœnitens post Confessionem suorum peccatorum jus habeat ad Absolutionem, tamen non habet jus ut statim absolvatur; nam Confessarius tanquam Medicus bene potest, imò quandoque tenetur Absolutionem differre, cùm judicat tale remedium necessariò prodesse salutis sui Pœnitentis. An autem expediat ordinariè uti hoc remedio, aut non sine consensu Pœnitentis? Certum est non expedire, si videt quòd dilatio afferre potest magis detrimentum, quàm profectum; et idem dicunt DD. quando ob dilationem Pœnitens subire deberet aliquam infamiæ notam, aut periculum (*Num. 463.*) Extra autem hos casus, quidam volunt meliùs

esse, ut hujusmodi Recidivis differatur Absolutio. Alii tamen communiùs censent id rarò expedire; et hoc etiã sentit celebris nostrorum temporum Missionarius, R. P. Leonardus de Portu Moritio in suo docto Sermone Romæ editio, cui titulus, *Discorso Mistico, e Morale*. Meliùs nihilominus dicendum, quòd in hoc puncto nequit certa statui regula, sed Confessarius juxta occurrentes circumstantias gerere se debet. Deo se commendet, et secundùm quod se sentit inspiratum, sic faciat. Ego ita censeo; Si Pœnitens relapsus est ex fragilitate intrinseca, prout accidit in peccatis iræ, odii, blasphemiarum, mollitierum aut delectationum morosarum, dico cum sententia communissima Doctorum (*Ibid. v. Ut autem*) quòd rarò expedit differre absolutionem Recidivo, cùm ille est dispositus: nam sperari debet magis Gratiã Sacramenti, quàm dilationem Absolutionis illi prodesse posse.

77. Dico *ex fragilitate intrinseca*; aliter enim agendum cum eo qui relapsus est ob occasionem extrinsecam, quamvis necessariam; nam occasio vivaciorem excitat concupiscentiam, et complicitis præsentiã vehementiùs sensus commovet, et intensiorem reddit affectum ad peccandum, quàm faciat pravus habitus intrinsecus; et ideo pœnitens in occasione extrinseca magnam sibi vim inferre debet, non tantùm ad superandam tentationem, sed etiã ad se removendum à familiaritate et præsentiã complicitis, ut periculum ex proximo reddatur remotum. Et tantò magis hoc procedit, si occasio est voluntaria, et omnino auferri debet, quia tunc recipiens Absolutionem, antequam occasionem amoverit, remanet in magno periculo frangendi propositum factum de illa removenda prout ostendimus in Capitulo præcedenti n. 63. E converso in consuetudinario ob causam intrinsecam remotius est periculum violandi propositum, dum ex una parte non adest obiectum extrinsecum quod tam violenter eum impellat ad peccandum: et ex altera illi non est voluntaria retentio mali habitùs, prout est voluntariam non amovere occasionem cùm possit; unde in tali necessitate Deus malè habituato magis succurrit, et ideo plus quàm à dilatione Absolutionis, sperari potest emendatio à grãtia Sacramenti, quæ illum fortiorem reddet, reddetque efficaciora media quæ ipse adhibebit ad habitum extirpandum. Cur enim, rectè dicunt Salmanticenses (*De Pœnit. c. 5. n. 68. in fin.*), magis sperari debet quòd peccatori Gratia carenti prosit dilatio Absolutionis, quàm prosit amico Dei Absolutio qua gratiam recepit. Et Cardinalis Toletus (*Lib. 5. c. 13.*), loquendo præcisè de peccato pollutionis, censet ad tale vitium vitandum non esse remedium efficacius quàm sæpe se munire Sacramento Pœnitentiæ; subditque hoc Sacramentum maximum esse frenum hujusmodi peccatum committentibus; et qui eo non utuntur, inquit quòd non sibi promittant emendationem nisi per miraculum. Et in facto S. Philippus Neriùs (ut legitur in ejus vita) (*Cap. 6. n. 2.*) maximè hoc medio frequentis Confessionis utebatur pro Recidivis in tali vitio. Huic quoque confert id quod ait Rituale

Romanum, agendo de Pœnitentia : « In peccata facile recidentibus utilissimum fuerit consulere, ut sæpe confiteantur; et si » expediat, communicent. » Et dicendo *facile recidentibus*, certè intelligit loqui de eis qui nondum pravum habitum extirpare. Aliqui auctores qui per solam rigoris viam videntur velle Animas salvas facere, dicunt Recidivos peiores fieri, cum ante emendationem absolvuntur. Sed ipse scire vellem ab his Magistris meis, an omnes Recidivi, cum sine Absolutione dimittuntur, carentes gratia Sacramenti, omnes evadant fortiores, et omnes emendentur? Quot ego miseros novi in exercitio Missionum, qui dimissi sine Absolutione, vitii et desperationi se abjecerunt, et per plurimos annos omiserunt confiteri! Cæterum repeto : quisque se dirigere debet, juxta lumen quo donatur à Deo. Hoc certum est, quòd in hac materia tam errant ii qui plus justò sunt faciles, quàm ii qui sunt difficiles ad absolvendum. Multi quidem propter nimiam facilitatem sunt in causa, quòd tot Animæ perdantur (et negari non potest quòd isti in majori sint numero, et majus damnin afferant, dum istis in majori numero accedunt peccatores habituati); sed alii ob nimium rigorem etiam magno sunt damno Animarum saluti. Et nescio, an Confessarius debeat tantum sibi scrupulum injicere, quando absolvit indispositos, et non etiam quando dispositos sine Absolutione dimittit. Concludo hæc, et dico : Non nego quòd aliquando bene prodesse possit Recidivo disposito dilatio Absolutionis. Dico secundò : semper proderit quòd Confessarius hujusmodi Recidivos terreat, ostendatque ac si non posset eos absolvere. Dico tertio : Ordinariè loquendo, Recidivis ex fragilitate intrinseca, et per signum extraordinarium jam dispositis, magis Absolutionis beneficium proderit, quàm dilatio. Utinam et Confessarii Recidivos absolverent tum solum cum signa extraordinaria afferunt! Id quod legendum est; quòd major, ne dicam maxima, Confessariorum pars universaliter Recidivos absolvunt sine distinctione, sine signo extraordinario, sine admonitione, et sine aliquo saltem remedio præstito ad emendationem; et hinc verè procedit, non jam ab absolvendis dispositis, tot Animarum universalis perniciēs.

78. Hoc tamen quod dictum est, communiter loquendo de habituatis, et Recidivis, non procedit jam circa Initiandos in Sacris Ordinibus habituatos in aliquo vitio (præsertim in peccato turpi); circa hoc enim alia currit ratio. Laicus habituatus absolvi potest, semper ac est dispositus ad suscipiendum Sacramentum Pœnitentiæ, sed Ordinandus habituatus, si vult ipse ad sacrum ascendere Ordinem, non sufficit, ut sit dispositus ad Sacramentum Pœnitentiæ, sed oportet ut etiam dispositus sit ad recipiendum Sacramentum Ordinis; alioquin ad neutrum dispositus erit; cum enim sit indignus ascendendi ad Altare qui vix egreditur è statu peccati, nec habet probitatem positivam, necessariam respectu ad sublimitatem statûs in quem immitti inhiat, ipse graviter peccat, si absque illa vult sacrum Ordinem suscipere, etiamsi ponatur in statu Gratiae. Quapropter tunc Confessarius

nequit eum absolvere, nisi promittat abstinere ab Ordine suscipiendo, ad quem ascendere non poterit, nisi post longi temporis, saltem plurium mensium probationem. Id plenè probatum est in Dissertatione Operi inserta (*Lib. 6. ex num. 63.*), cum communi sententia Doctorum (*Ibid. n. 68.*) ibi relatorum, qui docent quòd ad sacrum Ordinem suscipiendum non satis sit bonitas communis, id est simplex immunitas à peccato mortali, sed requiritur bonitas specialis, virtute cujus Initiandus sit à pravis habitibus depuratus, ut docuit D. Thomas (2. 2. *qu. 189. art. 1. ad 3.*): « Ordines sacri præexigunt sanctitatem... unde pondus » Ordinum imponendum est parietibus jam per sanctitatem desiccatis.... id est... ab humore vitiorum. » Et ratio est, quia si Ordinandus hanc non habet specialem sanctitatem, indignus est super plebem constitui, ad altissima Altaris Ministeria exercenda: « Sicut illi (loquitur idem S. Doctor) qui Ordinem suscipiunt, super Plebem constituuntur gradu Ordinis, ita et superiores sint meritò sanctitatis (*Suppl. qu. 35. art. 1. ad 3.*). » Et alibi (2. 2. *qu. 184. art. 8.*) expressiùs præfatam rationem confirmat, dicens: « Quia per sacrum Ordinem deputatur ad dignissima Ministeria, quibus ipsi Christo servitur in Sacramento Altaris, ad quod requiritur major sanctitas interior, » quàm requirit etiam Religionis status. »

79. Verumtamen excipitur casus quo à Deo donaretur quis tam extraordinaria compunctione, quæ ipsum liberaret ab antiqua fragilitate; nam, ut ait idem Angelicus (3. p. *qu. 86. art. 5. ad 1.*) « quandoque tanta commotione convertit (Deus) cor hominis, » ut subito perfectè consequatur Sanctitatem spiritualem. » Raræ quidem sunt hujusmodi conversiones, et præsertim in Ordinandis, licèt aliquam petant Domum Religiosam, ut spiritualia agant Exercitia; isti enim ut plurimùm non ultro, sed coacti accedunt; sed quando verè quis tantam reciperet gratiam à Deo (cujus admirabiles sunt misericordiæ) quæ ipsum taliter mutatum redderet, quòd licèt adhuc aliquod pravum motum sentiret, magnum tamen concepisset horrorem adversùs peccatum, et simul notabiliter diminutum in se cognosceret ardorem concupiscentiæ, ita ut à gratia munitus facilè jam inciperet tentationibus obsistere; et insuper firmè statuisset in posterum, non tantùm vitare peccata, et occasiones, sed etiam media opportuniora suscipere ad vivendum ut Sacerdotem decet, et jam simul incèpisset ad suam conversionem confirmandam instanter preces effundere pro sua perseverantia, eum magna et tali in Deum fiducia, quæ eum redderet moraliter securum de quadam magna mutatione vitæ, eo casu bene posset Confessarius eum absolvere, etsi ipse vellet statim post Confessionem Ordinem sacrum suscipere. Attamen licèt adhuc in hujusmodi casu Pœnitens magnam habuerit compunctionem, Confessarius quantum potest adhibere se debet, ut illum inducat ad differendam susceptionem Ordinis, ad hoc, ut meliùs à pravo habitu se purget, et meliùs concepta proposita exequatur. Imò ad hunc effectum, si ille nolit differre susceptionem, po-

test etiam Confessarius tanquam Medicus, ad majorem ejus prolectum, differre ipsi Absolutionem, ut Initiandus Ordinis suspensionem differat. Hoc tamen intelligendum, modò ex tali dilatione non subeat ille periculum alicujus infamiæ, aut notæ; tunc enim (prout notatum est n. 69.) Pœnitens habet jus, ut statim absolvatur. Cæterùm Confessarii debent esse difficiles, quantum fieri potest, in absolvendis hujusmodi Ordinandis, qui postmodum ordinariè pessimi evadunt, et sic populis et Ecclesiæ perniciem magnam afferunt (*Vide lib. 6. ex n. 69.*).

CAPITULUM VI.

Quomodo se gerere debeat Confessarius cum Pœnitentibus qui contraxerunt aliquam censuram, aut casum reservatum, vel obligationem denunciandi, vel impedimentum dirimens, aut impediens Matrimonii.

80. **ET I.** quod pertinet ad censuras, si quis accedat irretitus à censura, aut casu reservato, super quo Confessarius facultatem non habeat, jam supra diximus actum esse charitatis, ut Confessarius adeat Episcopum pro facultate obtinenda. Episcopus autem vi Cap. *Liceat*, Sess. 24. Tridentini (*Vid. lib. 7. num. 75.*) absolvere potest omnes casus Papales occultos. Et hanc facultatem potest delegare aliis Confessariis, etiam generaliter dummodo eos specialiter deputet ad hujusmodi casus absolvendos. (*Ibid. num. 93.*), excepta hæresi, et aliis casibus Bullæ Cœnæ (*Ibid. num. 82*); nisi Pœnitens esset impeditus adeundi Romam; tunc enim Episcopus absolvere potest ab omnibus Papalibus, etiam publicis (*Lib. 7. n. 84.*), et adhuc ab hæresi, et aliis Bullæ Cœnæ (*Lib. 7. n. 84.*) Insuper Episcopi absolvere possunt ab excommunicatione ob percussione levem Clerici vel Monachi, et etiam ob gravem, si percutiens est mulier, ex c. *Ea noscitur*, et c. *Mulieres*, de sent. Excomm. Item ab excommunicatione propter abortum foetus animati, virtute Bullæ Gregorii XIII. quæ incipit *Romana Sedes*; Item ab excommunicatione ob communionem in eodem crimine cum excommunicatis ab eisdem Episcopis; Item ab excommunicatione quam incurunt Fratres Minores admittentes in suis Ecclesiis ad Divina Officia Fratres Tertii Ordinis; Item ab excommunicatione qua ligantur ii qui absoluti in articulo mortis ab aliqua censura ab Episcopo reservata, non se præsentant eidem postquam convalescerint, et demum ab omnibus censuris quas Episcopi sibi reservant (*Lib. 7. num. 213.*)

81. Regulares autem etiam absolvere possunt Laicos à Papalibus occultis (*Lib. 7. num. 96.*), exceptis sex casibus Clementis VIII (à quibus tamen bene possunt absolvere Episcopi, quando sunt occulti) scilicet 1. Percussionis Clerici. 2. Duelli.

3. Violationis Immunitatis Ecclesiasticæ. 4. Fracturæ Clausuræ Monialium. 5. Simoniæ Realis. 6. Simoniæ Confidentialis. Facultas enim quoad casus præfatos respectu ad Regulares degentes extra Romam, et intra Italiam, à prædicto Pontifice est eis expressè ablata (*Num. 99.*) Quamvis autem nequeant Regulares absolvere Laicos à casibus reservatis ab Episcopis (*Lib. 7. n. 98.*), possunt tamen ex probabiliori sententia absolvere à Papalibus reservatis Episcopis (*N. 99.*), exceptis semper verò sex casibus Clementis, ut supra. Quoad subditos verò possunt eos absolvere ab omnibus casibus Papæ reservatis, etiam publicis, etiamque à casibus Bullæ Cænæ, exceptis *Relapsu in hæresim, Falsificatione Litterarum Apostolicarum, et Delatione prohibitorum ad Infideles*, ex concessione facta Prælati Ordinis Prædicatorum, et per communicationem aliorum Ordinum in Bulla, *Pretiosus*. 79. edita ann. 1727. ubi insuper concessum est Generali Ordinis, *ut ipse Solum possit ab irregularitate hujusmodi (scilicet orta ex homicidio) dispensare cum Fratribus sibi subditis, dummodo homicidium non fuerit appensatum, et intra claustra extiterit consummatum.* (*Lib. 7. Vide n. 101. et n. 104.*)

82. Notandum hîc quòd si quis ignorat censuram Papalem, nec ipsam, nec casûs reservationem incurrit, quia casus Papales principaliter ob censuram reservantur (*Lib. 6. n. 580*); ad differentiam casuum Episcopaliûm, quorum nesciens censuram, etiam incurrit casum; quia Episcopi principaliter casum reservant (*Ibid.*): et hoc etiamsi ignoretur casûs reservatio, ut probavimus (*l. 6. n. 581.*) Cæterùm nulla incurritur censura ab eo qui invincibiliter eam ignorat (*Lib. 7. num. 43.*) Item notandum, quòd cum quis sacrilegè in Jubilæo confessus fuerit, tunc reservatio non aufertur, ut probatum est, præsertim ex Declaratione N. SS. Papæ Benedicti XIV. (*Lib. 6. n. 537. Qu. II.*) Idemque tenuimus (*Ibid. v. Si autem*), si Confessio fuerit invalida loquendo de Jubilæo; sed extra Jubilæum, si quis invalidè confessus fuerit apud aliquem Confessarium, qui facultate pollebat super peccatis reservatis, communis et probabilior est sententia quòd absolutus à reservatione maneat (*Lib. 6. num. 598. Q. IV.*) Estque etiam communior et satis probabilis opinio, Pœnitentem solutum esse à reservatione, quamvis Confessio fuerit sacrilega, modò ipse culpabiliter non tacuerit præsertim peccatum reservatum (*Ibid.*).

83. II. Quod pertinet ad obligationem denunciandi, advertat Confessarius, quòd ipse tenetur sub culpa gravi imponere Pœnitenti obligationem denunciandi superioribus aliquem, qui seriò protulerit propositionem, aut blasphemiam hæreticalem, cum errore intellectûs, et pertinacia, non jam ob ignorantiam, incuriam, aut lapsum linguæ, nam eo casu sufficit ut Pœnitens eum de suo errore moneat (*Lib. 4. num. 254. v. Not. II.*). Præterea debet imponere Mulieribus, aut Pueris, ut denuncient Confessarios, qui eos sollicitaverint ad turpia, vel cum eis inhonestos tractatus habuerint. Observa Librum ubi distinctè est hæc ma-

teria discussa (*Lib. 6. ex n. 675.*) Sed circa praxim advertat Confessarius 1. in hac sollicitationis materia non esse nimis festinum in imponendo Pœnitenti onus denunciationis, nam in dubio, an illa fuerit vel ne sollicitatio, tale onus injungi non debet (*l. 6. n. 702.*); nisi cum verba, aut actus ex se sollicitationem importarent, et tantum dubium verteret de intentione sollicitantis; aut si adessent vehementia indicia, esto non evidentia, sollicitationis, sine indicis in oppositum; tunc enim illi quodammodo moralem fundant certitudinem (*Ib. v. Excipiendum.*) Advertat 2. ne sit facilis ad suscipiendum in se onus denunciationis, nisi in aliquo casu raro, in quo charitas id sibi proponeret, ob magnam difficultatem quam fortè Pœnitens haberet ad eundi Superiores. Advertat 3. quod ipse nunquam omittere debet imponere Pœnitenti sollicitatio hanc obligationem denunciationis, quamvis prævideret Pœnitentem illam non impleturum; nam directè Confessario injunctum est à Pontifice onus, ut talem obligationem intinet (*Lib. 6. n. 694.*) Unde donec Pœnitens eam non adimpleat, expedit ut Absolutionem ei differat. Atque si Confessarius dubitat, an ille difficulter eam adimpleturus sit, tunc omnino Absolutionem illi differre debet. Bene tamen potest eum absolvere, si Pœnitens est pro tunc impeditus, et firmum habet propositum denunciandi, statim ac commodè potest (*Num. 693.*) Hujusmodi denunciations fieri debent saltem intra mensem (*Ibid. v. Hoc tamen*): Item notandum, quod à N. SS. P. Benedicto XIV. (*Lib. 6. num. 491.*) cuique impositum est onus denunciandi Confessarium, quem sciret obligasse Pœnitentem ad manifestandum Complicem, nisi, ex mera simplicitate aut imprudentia id egisset. Ultimò notandum circa sortilegia Laicorum, quod hodie in nostro Regno Neapolis, propter Insinuationem nostri Regis Caroli III. non adest obligatio illa denunciandi, nisi cum intervenit abusus SS. Eucharistiæ, aut Olei Sancti (*Lib. 4. num. 253, in fin.*)

84. III. Demum quod pertinet ad impedimenta Matrimonii, cum Pœnitens aliquod impedimentum habet, et Matrimonium nondum est initum, plura distinguere oportet: Si impedimentum est consanguinitatis, aut cognationis spiritualis, aut affinitatis ex copula licita usque ad quartum gradum, aut publicæ honestatis, etsi esset occultum, Confessarius adstringere debet Pœnitentem vel ad denunciandum impedimentum, vel ad Dispensationem obtinendam à Dataria. Si autem impedimentum est affinitatis ex copula illicita cum consanguinea Sponsæ usque ad secundum gradum, modò adfuerit copula consummata cum seminatione perfecta (*Lib. 6. n. 1036 et 1075.*) aut est impedimentum criminis, nimirum homicidii Conjugis utraque parte conspirante, aut homicidii cum adulterio, aut adulterii cum fide Matrimonii, aut Matrimonii attentati, prout fusè declaratum est in Libro (*Lib. 6. ex n. 1033.*); in his casibus, semper ac impedimentum est occultum, impetranda est Dispensatio à S. Pœnitentiaria. Idemque currit, si Pœnitens impedimentum habeat voti Castitatis, aut

Religionis. Si verò aliqua urgentissima adesset causa in aliquo casu raro, nempe scandali, rixarum, aut infamiæ imminentis, et tempus aut modus deesset recurrenti ad Pœnitentiariam, posset etiam tunc Episcopus dispensare (Num. 1122.) Et si neque adesset modus adevundi Episcopum, observa quod dictum est in Libro (Lib. 6. n. 612. v. *Sed hïc.*) et supra Cap. I. §. 2 num. 8.

85. Si autem Pœnitens jam contraxisset Matrimonium invalidum ob impedimentum dirimens, tunc si impedimentum provenit ex copula licita, etiam observandus est Liber (Num. 1124.); si autem ex copula illicita, aut ex crimine, et Pœnitens est in bona fide, et contra adesset periculum mortis, scandali, aut incontinentiæ, si ipsi manifestaretur impedimentum, eo casu Confessarius impedimentum ei occultare debet, et interim procurare à S. Pœnitentiaria Dispensationem, qua obtenta, debet patefacere impedimentum, debetque tunc diligenter secum consulere de modo quo reconvalidatio Matrimonii facienda est. Ad hanc autem reconvalidationem non quidem est necessaria assistentia Parochi et testium, ut probatum est (Num. 1110.); sed ut diximus (Lib. 6. n. 1115.), tenetur pars conscia impedimenti alteram certiorare de nullitate Matrimonii, juxta solitam Clausulam S. Pœnitentiariæ: *Ut dicta muliere de nullitate prioris consensûs certiorata, etc.* Et ideo per se loquendo ad hanc clausulam exequendam, non sufficit id quod aliqui DD. admittunt, scilicet dicere: *Si me non duxisses, duceres nunc?* Aut: *Dic mihi, te volo.* Aut: *Pro mea consolatione renovemus consensum.* Semper enim talis consensus est dependens à priori, qui fuit nullus. Néc sufficit copula, ut alii dicunt, etiam affectu maritali habita. Bene tamen satis erit dicere: *Nostrum conjugium invalidum fuit ob quamdam circumstantiam* (dum non est obligatio manifestandi qualitatem impedimenti), *renovemus consensum.* Aut: *quando te duxi, non habui verum consensum* (nam consensus nullus, non est verus consensus.) Aut *Ego dubium habeo de valore nostri Matrimonii, unde iterum contrahamus.* Quia tunc consensus qui præstatur, jam à priori non dependet. Verùm, quando prudens timor esset, ne præfatos modos adhibendo patefieret crimen, et pericula instarent rixarum, infamiæ, aut scandali, et vice versa Conjux impedimenti conscius non posset excusari à debito reddendo, tunc, executà jam Dispensatione, sufficit, ut ipse utatur aliquo ex modis supra relatis; etiamque sufficit ut ipse solus consensum ponat, cum possit in tali necessitate sequi sententiam, quæ docet bene conjugii ad Matrimonium convalidandum consensum suum cum consensu ab initio præstito à parte ignorante, qui per continuationem usûs Matrimonii, aut cohabitationis virtualiter perseverat (Ib.)

86. Si autem Pœnitens haberet impedimentum impediens, scilicet ad non petendum debitum, causa copulæ habitæ cum consanguinea in secundo gradu suæ uxoris, hic à tali impedimento solvi debet, vel à S. Pœnitentiaria, vel ab Episcopo, aut ab aliquo Confessario Regulari qui facultatem habeat à Prælato sui Mo-

nasterii (*Num. 1076. v. Insuper.*) Sed si Pœnitens ignoraret legem Ecclesiasticam, quæ ultra Divinam hujusmodi incestum prohibet, tunc non incurrit impedimentum (*Lib. 6. n. 172.*) Quisimo etiamsi legem sciret, sed talem ignoraret pœnam, etiam est probabile, quod eam non incurrat (*Num. 1074.*) Saltem si periculum exstet incontinentiæ, relinquendus est Pœnitens in sua bona fide.

87. Notemus hîc Formulas ad obtinendam à S. Pœnitentiaria Dispensationem in præfatis impedimentis, necnon votis, aut irregularitatibus.

Circa impedimenta Matrimonii, intus sic scribatur : *Eminentissime et Reverendissime Domine.*

N. N. Rem habuit cum quadam muliere, et postea Sponsalia contraxit cum ejus sorore. Impedimentum est occultum, et si conjugium non fieret, plura eoenirent scandala. Supplicat ideo Eminent. V. ut dignetur ei Dispensationem concedere. Favere responsum mittere Neapolim (aut Aversam per viam Neapolis) ad N. N. (hîc exprimatur nomen et cognomen) Confessarium approbatum, etc.

Si autem Matrimonium est jam initum scribatur sic : *N. N. ignarus (aut conscius) impediti, Matrimonium contraxit cum aliqua Fœmina, cujus Matrem (aut sororem) prius carnaliter cognoverat. Ideo, cum impedimentum sit occultum, et non possit separatio sine scandalo fieri, supplicat Eminent. V. pro absolutione et dispensatione, etc.*

Circa vota Castitatis : *N. N. votum emisit Castitatis; sed nunc est in gravi, et imminente periculo incontinentiæ; ideo supplicat Eminent. V. ut dispensare dignetur in dicto voto, ut possit Orator Matrimonium inire, etc.* Eodem modo ferè scribendum pro Dispensatione in Voto Religionis. Et notandum quòd ad dispensandum in Voto Castitatis non sufficit quodvis commune periculum incontinentiæ, sed requiritur grave et imminens, prout innuimus.

Circa irregularitates : *N. N. Sacerdos contraxit irregularitatem causa homicidii (aut violationis censure, etc.) et cum adsit periculum infamiæ, si abstinet à celebrando, ideo supplicat, etc.*

Foris in Epistola ponatur : *Eminentissimo, et Reverendissimo Domino Colendissimo.*

Domino Cardinali Pœnitentiario Majori

Romam.

88. Confessarius, aut is cui Dispensationis executio commissa erit, in dispensando post Sacramentalem absolutionem impertitam, sequenti formula uti poterit : *Et insuper auctoritate Apostolica mihi concessa dispenseo tecum super impedimento primi (seu secundi, seu primi et secundi) gradus proveniente ex copula illicita, à te habita cum sorore mulieris quacum contraxisti (aut contrahere intendis), ut matrimonium cum illa rursus contrahere possis, renovato consensu, et prolem, si quam suscipies*

(*vel suscepisti*), *legitimam declaro. In nomine Patris, etc.* Si dispensatio autem est in voto Castitatis, dicit: *Insuper tibi votum Castitatis quod emisisti, ut valeas Matrimonium contrahere, et illo uti, in opera quæ tibi præscripti dispensando commuto. In nomine, etc.* Et si quis, non obstante voto Castitatis, Matrimonium contraxisset, dicit: *Item non obstante Castitatis voto quod emisisti, ut in Matrimonio remanere, et debitum conjugale exigere possis, Auctoritate Apostolica tecum dispenso. In nomine, etc.*

89. In quibus autem casibus S. Pœnitentiaria absolvere possit, aut dispensare à casibus Papalibus, censuris, irregularitatibus, votis, juramentis, restitutionibus incertis, etc. observa Librum (*Lib. 7. n. 470.*) Et in quibus casibus dispensare possit in impedimentis Matrimonii vide (*Lib. 6. num. 1144.*)

CAPITULUM VII.

Quomodo se gerere debeat Confessarius cum personis diversi generis.

§ I. Quomodo cum Pueris, Adolescentibus, et Puellis ?

90. Cum pueris adhibere debet omnem charitatem, et modos suaviores quantum fieri potest. Primò eos interrogare debet, an sciant res fidei? et si nesciant oportet eos patienter instruere pro tunc, si tempus adest, vel eos mittere ad alium, ut instruantur saltem circa necessaria ad salutem. Cùm autem agat de Confessione, in principio curare debet, ut pueri ex seipsis confiteantur peccata quorum memores sunt; et postea fieri illis poterunt sequentes interrogationes: 1. An tacuerint aliquod peccatum ob verecundiam? 2. An blasphemaverint in Sanctos, aut dies sanctos, vel an juraverint cum mendacio? 3. An omiserint in Festis audire Missam, aut in audienda illa sermones habuerint? Et an in Festis laboraverint? 4. An parentibus fuerint inobedientes, aut irreverentiam irrogaverint eos subsannando, manus in eos extollendo, vel convicia aut imprecationes coram ipsis proferendo. Et hïc advertendum quod dictum est n. 34. de modo imponendi pueris petitionem veniæ à parentibus. 5. An aliquod turpe peccatum patrauerint? Sed in hac materia Confessarius sit valde cautus in interrogando: incipiat interrogare de longo, et verbis generalibus: et priùs an dixerint mala verba? an jocati fuerint cum aliis pueris, aut puellis? Et si jocos illos clam exercuerint? Deinde interroget, an commiserint res turpes? Multoties, etiamsi pueri negent, prodest uti cum eis interrogationibus suggestivis, verbi gratia: *Et nunc dic mihi, quoties hæc fecisti? Quinque, decies?* Interroget, quocum dormiant, et si in lecto manibus jocati fuerint? Puellas interroget, si aliquem juvenem amore fuerint persecutæ, et an adfuerint, pravæ cogitationes, verba, aut tactus? Et à responsis procedat ad ultiores interrogationes, sed caveat ab exquirendo à puellis, vel à pueris, an adfuerit seminis efflu-

sio, cum his enim melius est deesse in integritate materiali Confessionis, quàm esse causam ut apprehendant quæ nouum noverint, vel ponantur in curiositate addiscendi. Interrogetur etiam à pueris, an attulerint nuntia vel dona virorum mulieribus? Et puellis, an acceperint dona à personis suspectis, nempe conjugatis, Ecclesiasticis, aut Religiosis? 6. Interroget, an commiserint furtum, vel an damnum attulerint prædiis alienis, bestiis, aut alio modo? 7. An alicui detraxerint? 8. Circa præcepta Ecclesiæ Paschalem? Et an carnes aut lactinia comederint diebus vetitis?

¶ 41. Quod autem pertinet ad absolutionem his pueris imperiendam, magna requiritur attentio. Si constet quòd ipsi sufficientem usum rationis jam habeant, prout si distinctè confitentur, vel adæquatè interrogationibus respondent, et appareat quòd ipsi jam comprehendant cum peccato se offendisse Deum, et meruisse Infernum; tunc si satis videantur dispositi, absolvantur. At si in peccatis lethalibus sunt recidivi, ipsi tractandi sunt sicut adulti: unde si non præbeant extraordinaria signa doloris, absolutio eis differri debet. Si autem dubium sit, an puer perfectum usum rationis habeat, prout si ille in actu Confessionis non maneret compositus, sed oculos in gyrum ageret, manibus jocaretur, impertinentia interponeret; tunc si est in periculo mortis, aut in obligatione implendi Præceptum Paschale, absolvendus est sub conditione; et tantò magis si confessus fuerit aliquid dubium mortale (*Tom. 5. lib. 6. numero 432. vers. IV.*); bene enim potest administrare Sacramentum sub conditione, quando justa adest causa, ut esset hæc liberandi hunc puerum à statu damnationis, si unquam in illum est lapsus (*Lib. 6. n. 28.*) Idque agendum, etiamsi puer sit recidivus; dum ideo differri debet absolutio iis qui perfectam discretionem habent, quia spes est, quòd ex tali dilatione ipsi redeant dispositi; sed spes hæc difficulter haberi potest à pueris qui perfecto usu rationis carent. Et probabiliter plures DD. dicunt (*Num. 432. in. fine.*) quòd pueri isti dubiè dispositi absolvi possunt (saltem post duos vel tres menses) sub conditione, licèt sola venialia afferrent, ne careant diu gratia Sacramentali, et fortè etiam sanctificanti, si fortè aliquam gravem culpam haberent ipsis occultam. Oportet autem curare, ut hi pueri eliciant actum doloris necessarium ad suscipiendam absolutionem, modo respectu ipsorum magis proprio, exempli gratia: « Amasne Deum qui est Dominus tuus tam magnus, et » tam bonus, qui te creavit, pro te est mortuus, etc.? Hunc » Deum tu offendisti. Ipse tibi veniam dare vult, et tu spera, » quòd propter Sanguinem Jesu Christi Filii sui tibi ignoscat. Sed » oportet pœnitere. Quid dicis? pœnitet te nunc eum offendisse, » etc. Istis injuriis, quas Deo irrogasti, scis quòd Infernum meruisti? displicet tibi quòd ipsas commiseris? Deus meus, nunquam amplius volo te offendere, etc. » Pœnitentia autem his pueris injungenda levis sit quantum fieri potest; et curandum, ut

illa ab ipsis quantocius impleatur, alioquin aut eam obliviscen-
tur, aut omittent. Curet etiam Confessarius magnopere pueris
insinuare devotionem erga Deiparam, utque recitent quotidie
Rosarium, et ter *Ave* mane et sero, semper hanc precem adjun-
gendo: *Mater mea, libera me à peccato mortali.*

92. Circa verò statum ab aliquo adolescente eligendum, non
audeat Confessarius illum ei determinare, sed tantum ex indiciis
curet suadere statum illum, ad quem prudenter judicare potest
ipsum à Deo vocari. Præsertim, loquendo de iis qui Religionem
ingredi volunt, ante omnia curet Confessarius bene ponderare,
in qualem Religionem ingredi cupiant; nam si unquam Institu-
tum illud relaxatum est, melius erit alicui (ordinariè loquendo)
ut in sæculo remaneat; nam illi se aggregando ipse se geret sicut
se gerunt alii, et parum illud boni quod priùs exequabatur, de
facili in tali Religione negliget, ut miserè pluribus accidit. Et
præcipuè magnum scrupulum sibi faciat Confessarius, si ad in-
sinationem propinquorum suadeat juveni illi, ut intret in ali-
quam hujusmodi inobservantium communitatum. Si tamen Re-
ligio observantia floret, Confessarius vocationem sui pœnitentis
bene probet, inquirendo si ad illam habeat pœnitens impedi-
mentum aliquid inhabilitatis, infirmæ valetudinis, inopiæ pa-
rentum? et maximè expendat finem, an sit rectus, nempe magis
se conjungendi Deo, aut lapsus emendandi anteactæ vitæ, aut
sæculi pericula vitandi? quòd si principalis finis esset munda-
nus, vitam agendi commodiorem, aut se liberandi à propinquis
duræ conditionis, aut complacendi parentibus, qui ad hoc eum
impellunt, caveat, ne mittat Religionem ingredi; nam eo
casu illa non est vera vocatio, sine qua hujusmodi ingressus ma-
lum habebit eventum. Si autem finis est bonus, et abest impe-
dimentum, nec debet, nec potest Confessarius, neque alius, ut
docet D. Thomas (*Quodlib.* 3. *art.* 14.), sine culpa gravi illi
impedire, aut dissuadere vocationem; quamvis prudenter aget
aliquando, si executionem illi differat ad melius experiendum,
an resolutio sit firma et perseverans, præsertim si noverit ado-
lescentem esse volubilem, aut si deliberatio illa facta fuerit tem-
pore Missionis, vel Exercitiorum Spiritualium: dum in hujus-
modi occasionibus quædam concipiuntur proposita, quæ post-
modum, primo fervore transacto deficient.

93. Si aliquis adolescens vellet suscipere statum Presbyterii
sæcularis, non sit facilis Confessarius ad annuendum, sine longa
et probata experientia recti finis, et scientiæ, vel sufficientis ca-
pacitatis. Sacerdotes quidem sæculares habent eandem, imò ma-
jorem obligationem quàm Religiosi; et contra remanent in eis-
dem sæculi periculis; unde ut quis bonus evadat Sacerdos in sæ-
culo (in quo rarò, ne dicam rarissimè boni inveniuntur) oportet,
ut priùs egerit vitam valde exemplarem, remotam à ludis,
ab otio, à pravis sociis, et deditam Orationi et Sacramentorum
frequentiæ (sed quis est hic, et laudabimus eum?): alioquin
se ponet in statu quasi certæ damnationis; præsertim si hoc fa-

ciat, ut obtemperet parentum fini, qui est res domesticas augere, Jam autem dictum est supra n. 35. quàm gravissimum sit peccatum, quod patrant parentes illi qui filios cogunt, ut statum Ecclesiasticum aut Religiosum inviti suscipiant. Quoad puellas verò quæ virginitatem suam Jesu Christo consecrare cupiunt, non permittat eis castitatem perpetuò vovere, nisi cognoscat eas bene fundatas in virtutibus, et edoctas in vitæ spiritualis regulis, et præcipuè in oratione exercitatas. Sub initio eis tantùm permittere potest, ut castitatem voveant per aliquod definitum tempus, nimirum à solemnitate alicujus festi ad aliam alterius.

94. Demum quoad adolescentes illos qui volunt aut debent ducere uxorem (dico *debent* prout probatum est in Libro *Lib. 6. n. 76.*), loquendo de iis qui essent incontinentes, et nolent adhibere alia media opportuna ad se continendos) advertendum quòd sicut peccarent parentes qui sine justa causa eis honestum Matrimonium impedirent (*Num. 849. v. Conveniunt*), ita contra peccarent filii (et ideo Confessarius tenetur illis hoc prohibere), qui vellent cum dedecore familiæ Matrimonium inire : aut quamvis conjugium non esset indecorum, vellent tamen illud contrahere, invitis parentibus, et cum eorum scandalo, quin ipsi filii justam causam habeant, ob quam excusentur. Observa quomodo in Libro id elucidatum sit (*Num. 849.*)

§. II. Quomodo se gerere debeat cum Scrupulosis ?

95. DOCTORES plures assignant regulas pro scrupulosis; sed certum est post orationem, remedium maximum ne dicam unicum, (ut rectè ait *P. Segn.*) ad eos curandos est obedientia suo directori. Hinc ante omnia incumbat Confessarius, et suadeat pœnitenti hujusmodi duas principales regulas : primam, ut ipse tuta coram Deo incedat via patri spirituali obediendo, ubi evidenter peccatum non apparet; tunc enim non homini obedit, sed ipsi Deo qui dixit : *Qui vos audit, me audit.* Sic docent omnes Doctores, et spirituales Magistri cum S. Bernardo, S. Antonino, S. Francisco Salesio, S. Philippo Nerio, S. Theresia, S. Joanne à Cruce, S. Ignatio de Loyola, B. Dionysio Carthusiano, B. Umberto, Ven. P. M. Avila, Magno Gersone, etc. Alteram regulam, ut nullo alio scrupulo debeat angi quàm si non obediat, propter magnum periculum cui se exponit amittendi, non tantùm pacem, devotionem, et in virtutibus progressum, sed etiam mentem, sanitatem, et insuper animam; nam possent scrupuli eo progredi, ut eum ad desperationem reducerent, mortem sibi inferendo (prout pluribus accidit) vel habenas ad vitia relaxando. Præterea Confessarius hujusmodi pœnitenti scrupuloso insinuet, prout rectè dicit doctus Auctor Instructionis pro novis Confessariis (*Part. 1. n. 76.*), cum Deo non ineundas esse rationes (ut dici solet) dati et expensi. Dominus propter nostrum bonum voluit, ut nos incerti de salute viveremus : quapropter, cum moralem adhibemus diligentiam ne ipsum offendamus, in ejus misericordiam totam nostram curam projicere debemus; con-

fitentes nos salvari non posse sine ejus gratia, hanc ab eo semper petere debemus cum perseverantia, fiducia, et animi quiete : *Hoc melius est*, dicebat S. Franciscus Salesius (*In vita circa fin. Missa 27. etc.*) *clausis oculis incedere sub divina Providentia inter tenebras et perplexitates in hac vita. Expediit, ut contenti simus, si à Patre spirituali sciamus nos bene incedere, quin causam investigemus. Nunquam periiit vir obediens.* S. Philippus Nerius affirmabat, quòd qui paret Confessario, securus sit de non reddenda actionum suarum Deo ratione (*In vita l. 1. c. 20*). Et contra S. Joannes à Cruce aiebat : non inniti dictis Confessarii superbia est, et fidei inobservantia (*Tratt. delle Spine coll. 4. §. 2. n. 8.*)

96. Denique Confessarius curet 1. sæpe sæpius colloqui cum hujus modi pœnitente de nimia confidentia, quam habere debemus in Jesum Christum qui propter nostram salutem mortuus est : et in ejus SS. Matrem, quæ tam potens est et pia cum iis qui ei se commendant ; unde eum hortetur ad vivendum securum de sua salute, semper ac ad Jesum Christum et Mariam confugit : certò enim ipsi exaudiunt. 2. Ei prohibeat, quominus legat libros qui scrupulos excitant, et quominus versetur cum scrupulosis ; et si quis erit nimis angustiis affectus, ei vetet, ne concionibus terrore plenis interveniat, et ne conscientiam examinet de iis rebus, de quibus scrupulum, sed irrationabiliter habet. 3. Si scrupulus consistit in timore malis cogitationibus assentiendi (v. g. contra fidem, puritatem, aut caritatem), Confessarius sit liber et intrepidus in parvipendendo eum et in asserendo pœnitenti, has cogitationes esse ei pœnas, non autem consensus, nec peccata. Et in hoc præcipuè ut Confessarius utatur illa regula quam assignant DD. (*Lib. 6. n. 476.*), ut cum persona est timoratæ conscientiæ, si non est plus quàm certa de peccato mortali, debeat judicare se illud non admisisse : siquidem, ut ait P. Alvarez, tantum monstrum possibile non est in animam aditum habere quæ ab illo horret, quin patenter illud videat. Unde prodest scrupulosis interdum imponere, ne penitus de talibus cogitationibus se accusent, nisi certi sint, et cum juramento testari possint se consensum præstasse. Et hîc notandum, quòd scrupulosi non sint regendi regulis particularibus sed generalibus : enim particularibus regulis scrupulosi nunquam deveniunt, ut se expediant, dubitando semper an illa regula valeat vel non pro præsentî casu, qui semper sibi videtur alius ab ille qui à Confessario supponitur.

97. Si 4. scrupulus est circa præteritas Confessiones, nempe quòd in eis non satis explicaverint omnia peccata, aut circumstantias, vel quòd defecerint in dolore, Confessarius, cum advertat pœnitentem fecisse Confessionem generalem, aut per aliquod notabile tempus pluries repetiisse res anteactas ; huic imponere debet, ne illas ampliùs deliberatè recogitet, et ne verbum faciat de culpis vitæ præteritæ, nisi cum jurare possit eas fuisse certè mortales, et præterea certè nunquam in Confessione se

dixisse; dum docent DD. (*Lib. I. numero 19.*), scrupulosos, etiamsi ex inadvertentia omisissent aliquod grave peccatum, non teneri (saltem cum de hoc non sint certi) cum tanto incommodo et periculo ad servandam Confessionis integritatem, à qua minus quidem incommodum quam hoc jam excusare valet (*Lib. 6. ex n. 488.*). Curet in hoc Confessarius, ut pœnitens exactè obediât, et si non obedit eum increpet, privet Communionem, et rigorosè coerceat. Scrupulosi ordinariè cum dulcedine tractandi sunt, sed circa obedientiam magnus rigor cum ipsis est adhibendus; si enim hanc obedientiæ anchoram amittunt, certum incurrunt naufragium, nam aut amentes evadent, aut habenas in vitia relaxabunt.

98. Si 5. scrupulosus pavet peccare in omni re quam agit, huic præcipiat Confessarius, ut liberè operetur et scrupulum superet; eique dicat, imò ipsum teneri ad scrupulum vincendum, semper ac evidenter non advertit actionem illam esse certum peccatum; ita cum P. Segneri DD. docent (*Lib. 6. n. 476. et P. Segneri c. ult.*) Nec obest quòd agat cum actuali timore, quin scrupulum deponat (quod est quasi impossibile à scrupulosis exigere); etenim hujusmodi pavor non est verum conscientiæ dictamen, sive formata conscientia, ut Gerson bene distinguit, nec verum dubium practicum; nec aufert iudicium ante formatum (quod virtualiter perseverat, licèt tunc ob impetum timoris non advertatur), nimirum quòd ipse non peccat, quidquid agendo quod certum peccatum non agnoscat; tunc enim non contra conscientiam, sed contra vanum illum timorem operatur. Firmiter igitur Confessarius hujusmodi pœnitenti præcipiat, ut scrupulum vincat et despiciat, liberè agendo id quod scrupulus ei vetat; et insuper injungat, ut postmodum de illo nunquam nec omnino confiteatur.

§. III. Quomodo se gerere debeat cum personis devotis.

99. PERSONIS devotioni deditis, quæ frequenter accedunt ad Communionem, ordinariè loquendo, insinuandum, ut saltem in qualibet hebdomada Sacramentalem absolutionem suscipiant. Hujusmodi pœnitentes, si tantùm de imperfectionibus confitentur quæ non pertingunt ad culpas certè veniales, dicit Bonacina (*Lib. 6. n. 432. v. IV. Si dubitetur.*) hos absolvi posse sub conditione; sed hoc non admittendum censeo, nisi perrarò, et cum ipsi non possent materiam certam præteritæ vitæ assignare, vel non sine magna molestia. Cæterùm dico, quòd si pœnitens certam non exhibeat materiam, non debet Confessarius angi in eam perquirendo, ut illum absolvat; et casu quo perquisisset, nec invenisset, non tenetur ei conditionatam absolutionem impertire. Hoc procedit, cum pœnitens confitetur (ut dixi) de defectibus, de quibus dubitatur, an pertingant ad venialia; at si de certis venialibus confitetur, sed usualibus, sive quotidianis, putà de impatientiis, intemperantiis, distractionibus in officio, in oratione,

et similibus, ut absolutio illi præberi possit, spectandum est, an ipse aliquando sibi quantum potuit vim intulerit, ut passionem superaret, quia tunc judicari poterit ejus culpas potius ex humana fragilitate processisse, quam ex defectu doloris aut propositi. E converso, si ille frequenter et sine resistantia in hujusmodi culpas relapsus sit, tunc cum eo agendum tanquam cum recidivo, juxta dicta ex n. 71.

100. — Plura insuper hæc notanda; et 1. caveat Confessarius, ne his suis pœnitentibus spiritualibus, præsertim fœminis, prohibeat accedere ad alium confessarium; et cum advertit accessisse, ostendat id sibi gratum fuisse; imò ipsis imponat, ut aliquando apud alios confiteantur præterquam si quis esset valde scrupulosus, de quo prudenter timeat, ne si ad alium accedat qui ejus conscientiam ignorat, notabiliter esset inquietandus. Caveat pariter Confessarius, ne sollicitum se ostendat se velle alicujus animæ directionem suscipere. 2. Nunquam absque necessitate de aliorum Confessariorum defectibus loquatur, sed potius sedulò quærat eos ab aliquo errore commisso excusare. 3. Directionem non suscipiat alicujus qui vult directorem suum relinquere, nisi adsit urgens causa, ut docent S. Philippus Neri, S. Franciscus Salesius, S. Carolus Borromæus, et alii; ex hoc enim sæpe dissipationes, perturbationes, et quandoque etiam scandala oriuntur. Advertatque, ad mutandum Confessarium non satis esse, quòd pœnitens aliquam erga eum abominationem sentiat, vel quòd videatur verbis ipsius fidem non amplius habere; ut enim ait S. Theresia, sæpe est dæmonis tentatio. Unde S. Franciscus Salesius sic docet: *Confessarius non est variandus sine gravi ratione. Sed contra neque expedit in hoc esse invariabilem si legitimæ causæ mutationis superveniant.* Cæterùm dicit S. Theresia justam esse posse causam mutandi Confessarium, defectam bonitatis, ita inquiens: *Si Confessarius proclivis alicui vanitati appareat, mutetur; cum ipse sit vanus, vanos alios efficiet.* Propterea poterit esse justa causa mutandi defectus doctrinæ; de hoc tamen certam oportet habere præsumptionem. De cætero, ait S. Theresia, quòd de dubiis bene potest pœnitens alios doctos directores consulere, imò aliquando hoc omnino expedit. 4. Evitet Confessarius partialem se ostendere cum aliquo pœnitente. Quidam ad aliquam animi benevolentiam nimis adjiciunt, cum illa omnem curam, tempus, et laborem insumunt. Non negandum quòd aliqua anima quandoque majori indigebit assistentia quam alia; sed alia est assistentia, alia est adhæsiō, quæ efficit ut parciore cura de aliis pœnitentibus habeatur. Ideo expedit, ut Confessarius personæ illi indigentiori aliquem diem aut tempus particulare assignet, quin alii incommodum recipiant.

101. — Notandum 5. quòd in excipiendis Confessionibus harum personarum spiritualium Confessarius cavere debet, ne nimis attollat vocem, quamvis de peccatis non loquatur: quia ex hoc accidere potest, ut alii expavescant suas culpas confiteri, ob hunc timorem ne Confessarius alta voce loquatur. 6. Non sit facilis

permittere devotis puellis, ut capillos prædicant, et aliquem induant habitum religiosum; sed curet, ut ipsæ prius per multum tempus in vita spiritali et in virtutibus fixius radices immiserint. Propter istam nimiam facilitatem Confessariorum, quot puellæ postea habitum dimittunt, et nuptias ineunt cum scandalo loci, et malo exemplo aliarum! 7. Neque his puellis indulgeat Confessarius, ut à viris doceantur legere, et tantò minùs scribere. Quot puellæ simplices, quia didicerunt legere, animæ jacturam luxère! Hæc si non est proxima peccati occasio, saltem est non parùm periculosa. Si cupiunt talia addiscere, curent doceri ab aliqua alia muliere, aut ab aliquo fratre parvulo (et adhuc cum cautela), alioquin eas non absolvat; nec etiam absolvat matres quæ hoc permittunt. 8. Neque concedat foeminis juvenibus ut vagent, Ecclesias visitando, utque in Ecclesia morentur, plus quàm est necessarium, cum perturbatione parentum; sed eas moneat, ut attendant eis parere, labores domesticos amplectendo. Quomodo autem, et quantum Confessarius cavere debeat à familiaritate suarum pœnitentium, de hoc sermo fiet n. 119. De directione autem animarum spiritalium in toto IX Capitulo loquemur.

§. IV. Quomodo debeat se gerere Confessarius cum mutis et surdis?

102. Si mutus esset etiam surdus, ut ordinariè evenit, ad ejus Confessionem excipiendam oportet eum adducere in aliquem occultum locum, ad exigendum quoddam signum suorum peccatorum et doloris, meliori modo quo potest. Sed priusquam eum audiat, curet Confessarius instrui ab ejus familiaribus de ipsius vitiis, et de modo tenendo, ut eum percipiat, et ab eo percipiatur; et cum aliquod jam perceperit ejus particulare peccatum, cum signo doloris, illum debet absolvere. Sed ego semper eum sub conditione absolverem, nisi quamdam moralem certitudinem haberem de sua dispositione.

103. Mutus si sciret scribere, juxta nostram sententiam (*Tom. 5. l. 6. n. 479. v. Quær.*), ipse tenetur ad confitendum per scripturam; qui enim tenetur ad finem, tenetur etiam ad media ordinaria. Dico *ordinaria*, quia scriptum non esset muto ordinarium medium, si alioquin magnum ille deberet laborem subire ad suam Confessionem explendam, aut si manifestationis periculum esse posset.

104. Si unquam accederet ad Confessarium aliqua mulier surda, aut surdastra, et Confessarius in progressu Confessionis, interrogans de circumstantiis peccati confessi, adverteret eam esse surdam, dubium fit an Confessarius possit illi alta voce dicere, ut redeat alio opportuno tempore et loco; casus hic sæpe in Missionibus accidit, et valde quandoque Missionarios angit. Ego sic agendum puto: si illius surditatem sub initio Confessionis noverit, tunc liberè potest ei imponere ut redeat. At si in progressu Confessionis id adverteret, eò quòd pœnitens minimè adæquatè interrogationibus respondet, tunc nequit Confessarius ei injun-

gere alta voce ut redeat, ita ut circumstantes hoc audiant; quia suspicionem quidem illis ingereret, quòd pœnitens confessa sit de aliqua gravi culpa, aut saltem dubiè gravi; quapropter eo casu, etiã ipsa de aliquo mortali fuerit confessa, eam absolutè absolvat, si dispositam agnoscat; alioquin absolvat sub conditione, etenim, ne sigillum frangat, tunc nequit certiorari de illius dispositione, neque (ut dixi) potest ei injungere, ut redeat; et tunc levem ei imponat pœnitentiam, cum satisfactio illa ob surditatem etiã ab aliis audienda esset (*Num. 644. v. Petes*).

V. Quomodo se gerere debeat cum moribundis.

105. CONFESSARIUS in excipiendis moribundorum Confessionibus, non debet tam exactè procedere circa numerum et circumstantias; præsertim si jam accessisset Sacerdos cum Viatico, aut si Medicus instaret, ut citò Viaticum suscipiatur; tunc enim meliùs est ad dispositionem pœnitentis, quàm ad Confessionis integritatem attendere. Sufficit tunc imponere infirmo, ut, cum convalescit, Confessionem repetat. Et satisfactio sit levissima; imponendo proportionatam pro tempore quo ille convalescet; vel satis erit ei injungere, ut redeat tempore sanitatis. Vulnerati, et puerperæ, quæ ordinariè nequeunt ab assistentibus deseri, sufficit ut se accusent genericè de suis peccatis, et in particulari de aliqua culpa levi, cum proposito integrè confitendi si convalescant. Advertat Confessarius, quòd si moribundus teneretur ad aliquam restitutionem, quam valeat tunc implere, ei imponere debet, ut statim faciat; et non sufficit, quòd de illa onus hæredibus relinquat; aliàs eum non absolvat (*Observa Auctorem Instructionis di Terre, Villag. c. 14.*).

106. Si autem infirmus notabilissimam subiturus esset perturbationem animi, in audiendo quòd debeat Viaticum accipere, probabile est (*Lib. 6. num. 285. Dub. 4.*) posse Parochum Eucharistiam ei præbere, reticendo solita verba: *Accipe, frater, Viaticum*, etc, sed proferendo ordinaria verba Communionis: *Corpus D. N. Jesu Christi custodiat etc.*

107. Si deinde Confessarius adverteret moribundum jam esse in statu, quo teneretur suscipere extremam unctionem, et ille respueret; patefaciat ei magnos effectus hujus Sacramenti, quod grandem præstat animæ fortitudinem ad obsistendum in ultimo agone dæmonum tentationibus; eam solvit à culpis venialibus, et etiã mortalibus, si occultæ sint, et insuper sanitatem adhuc corporis confert, cum animæ saluti expedit; sed hanc sanitatem non præbet, si moribundus eò devenit, ut nequeat ampliùs nisi per miraculum convalescere; quia Sacramentum per viam ordinariam tantùm operatur, causas naturales coadjuvando. Si verò hoc non obstante infirmus non aquiesceret, et pergeret nolle ungi, valde probabiliter plures DD. docent (*Num. 733.*), eum lethaliter peccare, saltem adversùs charitatem erga seipsum, cum ultro se privet tanto auxilio in tanta necessitate.

§. VI. Quomodo se gerere debeat cum capite damnatis?

108. CUM his maxima charitas, et patientia adhibenda est. Prima vice qua Confessarius reum visitat, incipiat ei significare mortem illam donum esse Dei, qui vult eum salvum facere. Dicat quòd nos omnes ex hoc mundo discessuri sumus, et de brevi, ut ad aeternitatem perveniamus, quæ non habet finem. Hinc ipsi loquatur de felici Beatorum vita, et de miseria damnatorum. Deinde hortetur eum, ut gratias agat Deo, qui usque ad illud tempus ipsum expectavit: nec permisit, ut moreretur tempore quo erat in peccato. Demum inducat, ut mortem hilari animo acceptet, eam conjungendo cum morte quam Christus Dominus pro suo amore perpessus est. Eumque confortet dicendo, quòd ipse mortem propter sua peccata acceptando, certè salvus est, et cum magno merito salvus, unde in Cælo grandi remunerabitur præmio. Insinuet ei postea, ut confiteatur, et omnia peccata sua liberè manifestet. Præcipuè interroget an odio adversus aliquem teneatur? et an servet secum Particulas consecratas, aut oleum Sanctum, aut superstitiosas scripturas? interroget etiam an aliquod inierit cum dæmone pactum? postquam autem eum absolverit, curet, ut ille pluries communicet; monendo etiam, ut frequenter Deiparæ se commendet, ut bonam ipsi mortem obtineat. Dum è carceribus reus ad patibulum pergit, dicat ei: *Eia fili mi! sequere Jesum Christum, qui ante te projectus est ad Calvarium, ad subeundam pro te mortem tua longè amariorem.* Cùm ad locum supplicii perventum sit, iterum eum reconciliet, et absolvat; moneatque ut aliquam Indulgentiam lucretur, et deinde sic dicat: *Eia N., hilari esto animo, jam nunc manes in gratia Dei; jam patet tibi Paradisi janua, ibi te expectant Jesus et Maria.* Conjunge mortem tuam cum morte Jesu qui pro tuo amore exanguis inter ludibria et cruciatus mortuus est. *Amasne illum? dic mecum: Domine, super omnia te diligo; mori volo, ut tuam faciam voluntatem. Mortem pro meis peccatis accepto. Spero jam mihi te pepercisse; iterum te offendisse me pœnitet. Cupio citò venire ad Cælum, ad tuos pedes osculandos, ac ad te amandum in æternum.* Dum vitta super oculos reo imponitur, et ipse scalam ascendit, ei dicat: *Fili mi, invoca Dei Matrem, ut tibi assistat. Offer mortem tuam pro culpis tuis. Protestare te nolle consentire ullæ dæmonis tentationi.* Postquam scalam ascenderit (dum sententia executioni demandanda est), dicat: *Ecce Jesus Christus qui expansis brachiis te expectat ut amplectatur: Domine, te offendi, mihi displicet; nunc te amo toto corde. Deus animæ meæ, tu me vocas, ecce jam venio. Maria Virgo, adjuva me; Domine, in manus tuas commendo spiritum meum. Jesus, et Maria, Jesus, Maria, Joseph.*

109. Si autem reus obstinatè nollet confiteri, quid agendum?
 1. Confessarius quaerat eum orationibus adjuvare, et curet, ut etiam ab aliis ille Deo commendetur, ac præcipuè à Communitatibus Religiosis, ut Missis et precibus ipsum auxilientur. 2. Intimet dam-

nato, quòd sive ipse convertatur sive non, sententia exequenda erit. 3. Interroget, an fortè de sua salute desperet, eò quòd animam dæmoni tradiderit? eo enim casu illi suadere studeat quòd hujusmodi pactum vim non habeat, quia solus Deus est animæ Dominus, et statim ac ipse pravam revocat voluntatem, Deus ipsi omnia peccata remittit. 4. Interroget, an aliquem odio insequatur, ex quo proveniat sua obstinatio? Insuper advertat, primis vicibus quibus talem obstinatum alloquitur, ne importunè cogat ut statim confiteatur, quoniam obstinator fiet. Melius erit sermonem secum facere de morte cui omnes tenemur, de misericordia Dei, de pœnis inferni et de paradisi gaudiis. Enarret ei exemplum alicujus peccatoris, qui mortuus est impœnitens; aut nonnullius capite damnati, qui sanctam sortitus est mortem, prout illius qui, cum innocens damnatus fuisset, cumque interrogaretur, qua de re suam non defendisset innocentiam, sic respondit: *Et cur? Ego tot annos Deum rogaui, ut mihi concederet mori morte opprobriosa, sicut Saluator meus obiit pro me: ego jam obtinui quod petebam, et nunc hac optata sorte me priore vellem?* Et ita hilariter ad patibulum perrexit. Dictis his, Confessarius relinquet reum, ut secum ista animo revolvat; et postea iterum sciscitetur, an fortè mutatus sit, eique dicat: *Fili mi, jam tua mors appropinquat, quid decernis? In tua potestate est infernum, aut Cælum eligere. Animadoerte quòd si obstinatè decidis, per totam æternitatem te pœnitebit, sed tanto malo nullum amplius remedium suppetet.* Cum adhuc ipsum videat durum, curet ut circumstantes orent pro eo; et præsertim Litanias B. Virginis recitent, et deinde ante eum genuflectat, rogetque ne velit perire. Si ne proficiat quidem eum alloquendo, se vertat ad alloquendum Crucifixum. Denique, si reus jam advenerit ad supplicii locum, expostulet à populo, ut omnes genuflectentes pro illo obstinato preces effundant. Prodesse quoque poterit eum terere dicendo: *Discede, maledicte, in infernum, quandoquidem vis te perdere. Sed scito, quòd tua pœna acrior in inferno erit memoria hujus temporis quod Deus tibi largitur, et tu abuteris.* At postmodum dulcem resumat sermonem. Si unquam damnatus jam scalam ascenderit, et petat confiteri, flagitet Justitiæ ministros, ut permittant ei descendere, protestando quòd tunc ipsi tenentur tempus illi concedere ut confiteatur. Hoc tamen currit pro eo qui nondum confessus est; nam si reus jam aliàs confessus fuerit, tunc confessarius moneat eum, ut actum contritionis eliciat, et inde sic interroget: *Eia fili mi, nunc nonne intendis confiteri mihi omnia peccata tua, et præsertim illa quæ mihi dixisti?* Et cum reus annuerit, levissimam ei satisfactionem imponat (v. g. ut invocet Jesum et Mariam), et absolvat.

§. VII. Quomodo se gerere debeat Confessarius cum infestatis à dæmone.

110. ALIQUI obsessi à malis spiritibus vexantur spectris horribilibus, aut corporalibus cruciatibus. Horum facilis est cura:

insinuetur eis oratio, patientia, et super omnia divinæ voluntatæ uniformitas. Confessarius non sit ita incredulus ut iudicet omnes has invasiones, aut infestationes dæmonum esse phantasias, aut corporales infirmitates; quia non negandum veros obsessos etiam inter Christianos existere. Ecclesia enim adversus invasiones istas tot instituit exorcismos, quorum exercitium testatur nobis Concilium Tridentinum (*Trid. sess. 23. c. 2.*) semper in usu fuisse apud Ecclesiam. Præterquam quòd, si obsessi non existerent, inutiliter Ordo Exorcistatus institutus fuisset, quo super energumenos et catechumenos potestas confertur (quod certè non potest supponi); et quidem hic Ordo est unus ex septem, qui semper in Ecclesia Dei fuerunt, ut idem Concilium declaravit. Cæterum consilium est semper de talibus invasionibus suspicionem habere; non enim negandum majorem earum partem esse aut fictiones, aut imaginationes, aut infirmitates, præsertim in mulieribus.

141. Qui tamen magis solent confessoriorum mentem gravioribus difficultatibus implicare, sunt ii qui turpibus visionibus, motibus, ac etiam tactibus vexantur à dæmone, qui non solùm fomitem sensualem excitat, sed aliquando etiam cum eis carnale commercium sub forma viri aut mulieris habet, quapropter *Succubus*, vel *Incubus* appellatur. Quidam hos dæmones incubos, vel succubos dari negarunt; sed communiter id affirmant Auctores; ut *Martinus Delrio in opere Disquis. Magic. P. Hieronym. Menghi l. 1. c. 15. Cardinalis Petrucci Epist. part. 2. lib. 2. opusc. 5. cap. 15. num. 5. et Sixtus Senensis lib. 5. Bibl. Sacr. Annot. 77. ex S. Cypr. S. Just. Tertull. etc.* Et maximè hoc confirmat *S. Aug. lib. 15 de Civ. Dei. 23.* ubi sic scribit: « Appa-
» ruisse hominibus Angelos in talibus corporibus, ut non solùm
» videri, verùm etiam tangi possent, verissima scriptura testa-
» tatur, et multos (quos vulgò Incubos vocant) improbos sæpe
» extitisse mulieribus, et earum appetisse, ac peregissee concubi-
» tum. Quosdam dæmones hanc assiduè immunditiam, et ten-
» tare, et efficere, plures talesque viri asseverant, ut hoc negare
» imprudentia videatur. » Equidem possunt dæmones ad hunc
improbum usum defunctorum corpora assumere, vel de novo sibi assumere ex aere, et aliis elementis ad carnis similitudinem, ac palpabilem, et calidorum corporum humanorum species effingere, et sic ea corpora ad coitum aptare. Imò tenet præfatus *Delrio* citans *D. Th. D. Bonav. Scotum Abulens.* aliosque plures, quòd dæmon potest etiam verum semen afferre aliunde acceptum, naturalemque ejus emissionem imitari, et quòd ex hujusmodi concubitu vera proles possit nasci, cum valeat dæmon semen illud accipere, putà à viro in somno pollutionem patiente, et prolificum calorem conservando, illico in matricem infundere; quo casu proles illa non erit quidem filia dæmonis, sed illius cujus est semen, ut ait *D. Thomas* apud citatum Auctorem *An* autem, inspectis legibus à divina Providentia constitutis pro propagatione generis humani, hæc aliquando evenisse, aut evenire

posse credendum sit, Sapientiorum iudicio remittimus. Hic autem fit dubium, an possit dæmon, permittente Deo, absque hominis culpa manus illius admovere ad se tactibus polluendum? Affirmat Pater Gravina Dominicanus, et quidem probabiliter; si enim valet dæmon totum corpus alicujus commovere, ut narratur de Simone Mago, ope dæmonis in aerem sublato, cur non poterit et manus? Præterea si dæmon potest alicujus commovere linguam, ut invitus proferat obscœna verba, aut blasphemias contra Deum, quidni manus ut turpia parentur? Idem sentit *Card. Petrucci. l. c. num. 8.* ubi sic inquit: « Non semel compertum » fuisse, quod dæmon aliquam partem in humano corpore cœ- » perit quodammodo possidere, putâ oculos, linguam, vel etiam » verenda. Hinc fit linguam obscœnissima verba proferre, licet » mens talia tunc non advertat. Hinc impetus, et affectus quan- » doque se turpiter denudandi proveniunt. Hinc scœdiora, quæ » me conscribere pudet. » Idque satis confirmatur à S. Thom. *de malo quæst. 3. art. 3. ad 9.* ubi sic docet: *Dæmones facere possunt, ut homines non discernant species à rebus, in quantum Deo permittente perturbant interiores vires sensitivas, quibus perturbatis, ligatur usus rationis humanæ, quæ indiget prædictis viribus ad suum actum, sicut patet in Arreptitiis. Ligato autem usu rationis, nihil imputatur homini ad peccatum, sicut nec bestię. Unde secundum hoc diabolus non erit causa peccati, etiamsi sit causa actus, qui aliàs esset peccatum. Potest igitur juxta S. Thomam dæmon esse causam actus turpis, et simul ita ligare usum rationis, ut actus minimè imputetur homini ad culpam.*

Huic autem opponi possunt duæ Propositiones Michaelis Molinos proscriptæ ab Innoc. XI. Prima n. 44. dicebat: « Job blasphemavit, et tamen non peccavit labiis suis, quia fuit ex dæmonis violentia. » Altera n. 49., quæ magis ad casum pertinet, dicebat: « Job ex violentia dæmonis se propriis manibus polluebat » eodem tempore quo mundas habebat ad Deum preces. » Sed respondetur 1. hæc propositiones esse patenter falsas; nam prima innititur textui illi « Pereat dies in qua natus sum, et nox in qua » dictum est: Conceptus est homo. » *Job. 3. 3.* Hunc textum variè explicant Interpretes: *Estius* dicit, quod Job optaret illic nullam fieri in futurum suæ nativitalis mentionem propter suam infelicitatem: « Pereat dies, id est, (verba Estii) sum infelicissimus, itaque pereat dies; nec anniversaria recolatur. » Alii autem cum *Tirino* aiunt, quod inculpabiliter naturales malediceret ærumnas tanquam suorum cruciatuum causas. Quid igitur ad hæc pertinent, blasphemia, et violentia dæmonis? Cæterum non repugnat, ait *Card. Petrucci loco sup. cit.*, quod dæmon possit linguam hominis movere ad turpia verba proferenda. Refertque *P. Joannes Baptista Scaramelli* (in *Vit. Ven. Sororis Mariæ Crucifixæ Satellico*) quod dæmones ipsam ad blasphemandum cogerent hoc modo: *Dopo averla commossa ad empi affetti, le moqueano velocemente la lingua alle maledizioni delle case più sante; ed alle volte si seroivano delle sue mani per git-*

tere a terra medaglie, e libri sagri. Deinde refert verba ejusdem Sanctimonialis, quæ suam enarrans pœnam sic suo Directori scribebat: *Con questa lingua consagrada ogni mattina dal contatto di Gesu Cristo io abbia poi à maledirlo? mi sento morire, benchè fossi senza peccato. Le maledizioni variano secondo le solennità, proferendo bestemmie ereticali, negando i misteri sacrosanti ec.* Idem dicendum de altera Propositione 49. Michaelis Molinos; nempe quòd sit falsa, et insuper scandalosa, dum Job non loquitur de pollutione, sed tantùm dicit: « Hæc passus sum » absque iniquitate manûs meæ, cùm haberem mundas ad Deum » preces. Job. 16. 18. Explicat Malvenda: Quasi dicat, « hæc verunt mihi præter culpam meam. » Et Menochius: « Cùm manus supplices ad Deum elevarem, quas neque rapina, neque » alio scelere contaminaveram. » Repeto, quid ad hæc pertinet pollutio, et violentia dæmonis? en quam falsæ erant duæ Propositiones relatae!

Sed quoad Propositiones istas responsio magis propria et convincens hæc est. Propositiones proscriptas, nemo ignorat, intelligendas esse juxta sensum Auctoris qui eas protulit. Quædam Quesnelli Propositiones videntur primo intuitu æquæ et sanctæ, attamen juxta illius sensum sunt perversæ. Ex. gr. Propos. 30. sic dicit: *Omnes quos Deus vult saloare per Christum saloantur infallibiliter.* Hæc Propositio in sensu recto et catholico tenetur ab omnibus, qui propugnant pro gratia efficaci ab intrinseco; sed damnata est in sensu Quesnelli, nempe quòd Deus velit tantùm salutem prædestinatorum. Et sic dicendum damnatas etiam esse Propositiones relatas 44 et 49. Michaelis Molinos. Hujus impii systema hoc erat, quòd cùm persona libertatem suam Deo donaret, non debet ampliùs resistere malis commotionibus, nec ullum exercere conatum ad actus malos impediendos; quoniam illi imputandi sunt, non jam propriæ voluntati, sed violentiæ dæmonis, aut sensualis passionis. En Propositio ejus fundamentalis (quæ est n. 17.) quomodo loquitur: « Tradito Deo » libero arbitrio, et eidem relicta cura et cognitione animæ nostræ, non est ampliùs habenda ratio tentationum, nec eis alia » resistentia fieri debet, nisi negativa, nulla adhibita industria. » Et si natura commovetur, oportet sinere ut commoveatur, quia » est natura. » Adest alia illius Propositio (n. 47.) quæ magis individualiter ad casum nostrum pertinet, et dicit: « Cùm hujus » modi violentiæ occurrunt, sinere oportet, ut Satanas operetur, » nullam adhibendo industriam nullumque proprium conatum.... » etiamsi sequantur pollutiones etc. » Notentur verba, *sinere oportet; nullum adhibendum conatum, etc.* Sed quomodo potest esse sine culpa omittere resistentiam in hujusmodi commotionibus, et sinere ut dæmon operetur, etiamsi pollutiones sequantur? Nonne patenter hîc apparet concursus propriæ voluntatis? Hoc quidem erat quod aiebat Molinos, et ita intelligendæ sunt omnes aliæ ipsius damnatæ Propositiones.

Cæteram cur, permittente Deo, non potest dæmon cogere ho-

minem sine ullo ipsius voluntatis sensu ad faciendum aliquem actum malum? Nequimus autem nos, ait S. Augustinus, per rationes philosophicas, et humanum ratiocinium scire, ad quid extendatur vel ne potentia naturalis Angelorum; quapropter in hac materia plusquam philosophicæ rationes movere nos debent ad iudicandum auctoritates Theologorum, qui juxta lumina ex sacris Scripturis accepta loquuntur. Habemus in Evangelio Matthæi, quod dæmon usum linguæ bene potest impedire; « Obtulerunt ei » (sic ibi dicitur) hominem mutum, dæmonium habentem, et ejecto » dæmonio, locutus est mutus. » Matth. 9. 32. et 33. Inquit Chrysostomus apud Cornelium à Lapide: *Hinc videtur, quod dæmon fecerit eum mutum, impediendo usum linguæ.* Sicut igitur dæmon humanorum usum membrorum impedire potest, sic illa commovere sine hominis voluntate. Item in eodem Matthæi Evangelio habetur, quod dæmon transtulerit ipsum Christum super templi pinnaculum: « Tunc assumpsit eum diabolus in sanctam Civitatem, et statuit eum super pinnaculum templi, et dixit ei: Si » Filius Dei es, mitte te deorsum. » Matth. 4. v. 5. et 6. Si igitur potuit dæmon movere, et totam transvehere ipsius Domini personam, tantò magis linguam aut manus alicujus hominis poterit movere. Præterea habemus apud Danielelem, quod Habacuc fuerit ab Angelo translatus in lacum leonum: « Et apprehendit eum Angelus Domini in vertice ejus, et portavit eum capillo capitis sui: » posuitque eum in Babylone supra lacum in impetu spiritus sui. » Dan. 11. 35. Animadvertantur verba, in impetu spiritus sui, quæ clare denotant naturalem Angeli potentiam.

Hinc meritò dicunt Theologi sat posse dæmonem sua naturali vi, Deo permittente, membra hominis agitare. Præter S. Thomæ, et S. Bonaventuræ auctoritates supra relatas, idem scribunt plures Auctores neoterici. Id scribit *Card. Gotti*: « Diabolus quidem » potest cogere ad actum, qui ex genere suo est peccatum, ut in » energumenis, quos cogit ad enuncianda verba blasphemia, vel » etiam ad alios actus ex objecto malos. Sed tunc, ratione ligata, » id non imputatur homini ad peccatum, quia deest libertas arbitrii. » *Theol. tom. 2. tr. 4. de Vitiis q. 6. §. n. 13.* Idem scribit *Wigandt tr. 4. eod. tit. Examen. 2. n. 69. infn.* Idem scribit *Calmet* (Auctor, quem omnes sciunt, quàm sit ponderatus in suis effatis); ipse in Dissertatione quam apponit in Evangelio S. Lucae de energumenorum veritate *art. 2. pag. mihi 387.*, postquam suam exposuit sententiam de præfata potentia dæmonis, hanc sibi objicit oppositionem: « Si dæmon de se operaretur in homine, adessent » eodem tempore duo principia activa, nempe duo spiritus; sed hoc » repugnat, quia unus posset agere in contrarium ad id quod alter » vult. » Sed respondet, quòd cum dæmon, permittente Deo, operatur in humano corpore tunc eodem tempore (prout docet etiam S. Thomas) impedit, et ligat in homine usum rationis. Nec dubitat, quin Satan sua vi naturali possit libertatem hominis ligare eumque cogere contra ipsius voluntatem etiam ad blasphemias proferendas. Deinde *Calmet* ait signum esse, quòd sit opera dæmonis,

si « homo alio veluti spiritu animatur, angitur invitus, plura admittit ab insita sibi indole longè aliena, sed ita admittit, ut singularia omnia videantur et violenta. »

Idem scribit laudatus P. Joannes Scaramelli in suo *Directorio Myst. tr. 5. c. 11. n. 124.*, sic dicens « (Ciò ben può succedere senza peccato formale della persona, se il demonio nel mentre che opera esternamente, internamente impedisce in tutto l'uso della ragione, e toglie ogni libertà à resistere (secundo parla S. Tommaso) movendo con tal veemenza l'appetito sensitivo, è perturbando di tal fatta la mente, che cessi ogni lume di ragione. Che per ciò il Confessore dee esaminare il poenitente, se in quelle cose che patisce, avverte alquanto la malizia del peccato, esse ha qualche sentimento, che lo ritrae da quell' azione. Se egli dice, che allora talmente se gli offusca la mente, che niente conosce, non ne sente alcun rimorso, allora potrà giudicarsi esente dal peccato. Altrimenti poi, se allora ha qualche lume di ragione e la ragione non è totalmente legata, sicchè ben possa resistere). » Insuper prædictus Auctor monet Confessarios ad curandum ut illi qui patiuntur turpes commotiones, patefaciant in Confessione hujusmodi actus; isti enim difficulter erunt ab omni culpa saltem levi immunes, ratione alicujus advertentiæ imperfectæ vel defectu resistentiæ, quæ erat adhibenda.

112. Si quis unquam advenit infestatus ab hoste hujusmodi genere tentationis (dictæ *Spiritus fornicationis*, à quo S. Ecclesia nobis præcipuè injungit petere à Domino, ut ab eo nos liberet), debet Confessarius multum satagere ad præveniendum poenitentem in tam horrendo conflictu; nam ait doctus Cardinalis Petruccius, has animas in magno periculo versari, si remedia non adhibeant multum efficacia, et aliquando si oportet etiam extraordinaria: cum enim ad resistendum requiratur ingens subsidium ex parte Dei, et magna violentia ex parte patientis, difficulter ab hujusmodi pugnæ victor egredietur, qui perseveranter non adjicit magnam mortificationem, et super omnia validam orationem, centies et millies se commendando, gemendo, et misericordiam petendo ad Crucifixi et Deiparæ pedes. Alioquin si anima tepescit, et deficit in orando, aut se mortificando, dicit Petruccius, quòd ipsa in magno erit periculo ruendi saltem indirectè in aliquam occultam illarum turpium delectationum complacentiam. Itaque, ut deveniamus ad remedia, si Confessarius judicare potest nullam omnino adesse culpam in hac tentatione ex parte poenitentis, ipsum ante omnia moneat hæc adhibere: jugibus precibus sibi subveniat, frequenter invocando SS. Nomina Jesu, et Mariæ: se diligenter avertat à sensuum voluptatibus: communionem frequentet: protestetur sæpe nolle consentire cuicumque tentationi, aut delectationi, quam opera dæmonis sentiret: sæpe utatur signo Crucis (illam ferendo quoque secum), et aqua benedicta, cum ipsa lectum et cubiculum aspergendo: afferat etiam secum aliquam reliquiam Sanctorum, et Evangeliorum librum: secum pariter adhibeat exorcismos

privatos, dicendo *Spiritus nequam, in nomine Jesu Christi precipio tibi ut à me discedas, et ne me amplius vexes*: hortetur præterea, ut vexatus ille sæpe humiliter, et in hujusmodi humilitatis actibus sæpe se exercitet; cum Deus aliquando, ad aliquam internam superbiam ab anima removendam, hujusmodi tentationes permittit.

113. Si quis autem in his tentationibus miserè cadit, aut earum occasiones magis quærit quàm effugit, hujus curatio est valde difficilis; nam hujusmodi peccatores qui cum dæmone commercium habent, difficillimè ex corde convertuntur. Ex una parte enim erga hos dæmon dominium quoddam acquirit super eorum voluntates, et ex altera ipsi remanent nimis debiles ad resistendum; indigerent extraordinaria gratia Dei; sed difficillimè solet hanc Deus hujusmodi impiis concedere. Verumtamen Confessarius, si quis eorum accesserit, non diffidat, sed curet cum ipso summam adhibere charitatem, confortetque dicendo, quòd ubi non est voluntas, non est peccatum; hinc si ipse voluntate resistit, minimè peccat. In his casibus ante omnia Confessarius adversus dæmonem præmittat exorcismum, saltem privatum, qui certè licitus est (*Tom. 2. l. 3. n. 193. de Adjuratione ibid. ad n. IV.*) hoc modo, *Ego ut Dei minister precipio tibi, aut vobis, Spiritus immundi, ut recedatis ab hac creatura Dei.* Deinde pœnitentem interroget an unquam hostem invocaverit, et cum eo aliquod inierit pactum? an aliquando fidem negaverit, aut contra ipsam actum aliquem exercuerit? interroget qua forma ipsi dæmon appareat, an hominis, mulieris, aut belluæ. Tunc enim, si cum illo coit, præter peccatum contra castitatem, et religionem, reus erit peccati fornicationis, aut sodomix, aut incestus (intellige affectivi), adulterii, aut sacrilegii. Item interroget quo loco et tempore hoc commercium habuerit? Ostendat ei postea hujusmodi criminis immanitatem, quæratque eum inducere ad veram conversionem, et Confessionem integram faciendam; isti enim perditii homines, etiamsi confiteantur, de facili peccata committunt. Eadem demum remedia supra annotata illi præscribat, nempe ut sæpe ad Deum et B. Virginem recurrat: frequenter nomina Jesu et Mariæ invocet: aquam lustralem et crucis signum adhibeat: aliquam reliquiam et Evangelium secum ferat: sæpe etiam privatum proferat exorcismum, prout dictum est supra. Differat deinde eum absolvere, sed hortetur ut sæpe redeat, ut sic cognosci possit, quomodo se gerat in resistendo hostis invasionibus, et in remediis adhibendis; nec eum absolvat, nisi post longum experimentum; tales enim conversiones, ut diximus, rarò sunt veræ, et rarissimè perseverantes.

CAPITULUM VIII.

De prudentia Confessarii. I. in seligendis opinionibus. II. in corrigendis erroribus à se commissis. III. in custodiendo sigillo sacramentali. IV. in excipiendis confessionibus mulierum, illisque tractandis.

114. CONFESSARIUS summam adhibere debet prudentiam in seligendis opinionibus. Hic non loquar de quæstione ita hodie controversa, utrùm sequi liceat opinionem minùs probabilem, et minùs tutam in concursu probabilioris? satis de hac passim loquantur Auctores, et præcipuè tot docti Scriptores, qui nuper de ea scripserunt, in quibus profectò desiderassem, ut potiùs rationibus quàm mordacibus insectationibus veritatem nos docuisent. Tantummodo hïc repetam quod superiùs dixi n. 65. et 69. cùm egimus de occasione proxima, quòd scilicet quando agitur de vitando peccato formali, regulariter Confessarius sequi debet (quantùm licet) sententias benigniores; cùm solum peccatum formale sit Dei offensa: at quando opiniones benignæ exponunt pœnitentem periculo peccati formalis, tunc Confessarius sequi debet opiniones rigidiores, quoniam istæ in hoc casu sunt magis pœnitentibus salutares. Verumtamen quando pœnitens uti vellet aliqua opinione probabili, et aliunde jam foret dispositus, tunc tenetur Confessarius eum absolvere, quoniam ratione Confessionis jam factæ, habet pœnitens jus certum et strictum ad absolutionem, ne cogatur eam recipere ab alio Sacerdote cum gravissimo onere repetendi Confessionem. Hæc opinio est communis, illamque admittunt etiam multi Auctores rigidioris sententiæ, ut sunt *Pontassus, Cabassutius, Victoria*, et præcipuè *S. Antoninus*. Videatur liber, in quo hoc probatum est pluribus in locis (*Lib. 1. in. Tr. de Conscientia; et l. 6. n. 604.*)

115. Tantò magis hoc currit in casu quo Confessarius vellet obligare pœnitentem ad aliquam restitutionem, ad quam iste probabiliter non teneretur. (*Lib. 3. n. 669.*) Imò hoc currit, etiamsi Confessarius non haberet tanquam solidè probabilem opinionem pœnitentis, et pœnitens non esset rudis, eamque cum aliis gravibus Doctoribus tanquam probabilem teneret, ita ut pœnitens rectam jam sibi formet conscientiam bene operandi. Hoc tamen intelligendum est, quando opinio pœnitentis haberet aliquam (ut dixi) probabilitatem saltem apparentem; nam si Confessarius haberet eam ut omnino falsam, ex eò quòd haberet contra eam principium aliquod certum seu rationem convincentem, contra quam existimaret nullum esse responsum quod posset inducere ad dubitandum de certitudine propriæ sententiæ: tunc enim non debet, neque potest absolvere pœnitentem, qui illi non vult acquiescere (*Vide Lib. 6. num. 604.*). Attamen si

prævideret Confessarius suam monitionem non esse pœnitenti profuturam, sed potiùs redderet formale peccatum illud quod in pœnitente est tantùm materiale, tunc debet dissimulare, exceptis aliquibus casibus; videatur quod dictum est supra. *n. 8. et 9.*

116. II. Si aliquando Confessarius commiserit aliquem errorem circa valorem Sacramenti sine sua culpa, non tenetur ex justitia monere pœnitentem, sed solùm ex charitate, quæ non obligat cum gravi incommodo (*Lib. 6. num. 619. et n. 620.*) dummodo Confessarius non sit ejus Parochus, qui teneretur reparare grave damnum subditi: et dummodo pœnitens non sit in mortis periculo, aut in periculo ampliùs non confitendi, quia tunc charitas obligat etiam cum gravi incommodo. Quòd si Confessarius in hoc gravem culpam commiserit, tunc semper tenetur etiam cum gravi incommodo resarcire errorem (et præcipuè si reliquit pœnitentem in aliqua occasione proxima); nisi pœnitens aliis confessus non fuerit, aut saltem Sacram Eucharistiam susceperit. At sine licentia pœnitentis nunquam debet, neque potest fieri præfata monitio extra Confessionem; quotiescumque posset illi aliquid afferre gravamen. Si verò error fuerit solum circa integritatem Confessionis, putà quia pœnitentem non interrogaverit de speciebus, aut numero peccatorum, etiam cum sua culpa; non tenetur Confessarius errorem illum emendare extra Confessionem, quia in hoc adest semper erubescencia pœnitentis, dum audit rursus sibi sua peccata rememorari. Si verò ex sua malitia, vel ignorantia culpabili exemerit pœnitentem à restitutione, aut ad illam injustè obligaverit; tunc tenetur eum monere, obtenta priùs licentia; aliàs tenetur ipse ad restitutionem. Si autem in hoc gravem culpam non commiserit, non tenetur monere cum gravi suo incommodo; verùm si absque suo gravi incommodo posset reparare errorem, et non faceret, tunc etiam tenetur ad restitutionem. Denique si Confessarius omiserit admonere pœnitentem de restitutione, non tenetur ipse restituere, quamvis esset Parochus, et etiamsi gravem culpam in hoc commisisset. Vide *Librum (Num. 621.)* in quo discussa sunt hæc omnia cum suis rationibus, et auctoritatibus DD.

117. III. Debet quoque Confessarius esse summè prudens in custodiendo sigillo Sacramentali. Jam notum et certum est, quòd Confessarius nunquam potest loqui de iis quæ in Confessione audivit, quoties adest periculum revelationis sigilli (directè vel indirectè), aut gravaminis pœnitentis; et hoc currit etiamsi tantummodo dubitet, utrùm ea in Confessione audierit, vel non, aut in ordine ad Confessionem (*Lib. 6. n. 636.*) Verumtamen non prohibetur Confessarius sermocinari (generaliter loquendo) de aliquo peccato in Confessione audito, quoties alii non possent venire in cognitionem pœnitentis, aut quoties haberet expressam licentiam à pœnitente. Nihilominus etiam in hoc cautissimè est procedendum: et 1. Nunquam loquendo de peccatis in Confessione auditis, coram simplicibus personis, quæ possent suspicari de revelatione Confessionis. 2. Nunquam di-

cendo è suggestu in Conciombus, regnare in ea urbe aliquod vitium, quod ipse excipiendo Confessiones, intellexerit ibi magis frequentari. (Hoc tamen intelligitur (Num. 654.), quando id aliunde non scivit, et quando locus est parvus), et præsertim si concionetur in aliquo Monasterio, in quo non debet vehementiùs invehere contra aliquem defectum, quem in Confessione audivit ibi esse communiorem. 3. Non sit Confessarius nimis importunus in obtinenda licentia à pœnitente, quoniam ea licentia, quæ non est omnino spontanea, et plenè libera, ipse nequaquam uti poterit. Unde sit parcissimus, quantum fieri poterit, in exquirendis hujusmodi licentiis sine speciali necessitate: et tunc tutius erit insinuare pœnitenti, ut de eo, quod est necesse, loquatur extra Confessionem. Nemo autem ignorat, quòd extra Confessionem non potest Confessarius nec etiam cum ipso pœnitente loqui de rebus in illa auditis, sine ejusdem expressa licentia: in ipsa verò Confessione bene potest de illis loqui, quoties existimat hoc ipsi pœnitenti expedire (N. 652.) 4. Nequit exquirere nomen complicitis, et si negaverit absolutionem ei qui dicere recusaverit, incurrit suspensionem *ferendæ sententiæ*: et qui docuerit hoc fieri posse, incurrit excommunicationem *Papalem ipso facto* (Lib. 6. n. 491.)

118. Casu verò quo pœnitens teneatur sub gravi manifestare nomen complicitis, ad reparandum putà aliquod damnum commune (Ibid. num. 492.) contra aliorum opinionem, nec etiam tunc posse à Confessario obligari pœnitentem ad manifestandum sibi nomen complicitis, sed tantum posse et debere imponere pœnitenti, ut manifestet complicem iis qui possunt scandalum impedire. Quòd si pœnitens ex se vellet Complicem Confessario manifestare, tunc bene potest illum audire, et quemadmodum, oportet damnum reparare. Insuper advertendum est, ex hoc non prohiberi Confessariis exquirere à pœnitente circumstantias quas scire oportet, ut intelligat an adsit species peccati diversa, vel ut consulat saluti pœnitentis: hinc bene potest interrogare an complex sit conjunctus? an ligatus voto castitatis? an cohabitet in sua eadem domo? an sit ancilla? et his similia: etiamsi per istas interrogaciones indirectè manifestare debeat persona complicitis, nunquam tamen exquiratur illius nomen (Ibid.)

119. IV. Summè cautus debet esse Confessarius in excipiendis Confessionibus mulierum. Et primò notandum quòd in Decr. S. C. Episcoporum 21. Jan. 1610. dicitur: « Confessarii sine necessitate audire non debent mulierum confessiones post crepusculum vespertinum et ante auroram. » Loquendo autem de prudentia Confessarii, ipse regulariter in Confessionario cum junioribus sit potiùs rigidus quàm suavis; nec permittat illas ante Confessionarium accedere, ut sibi loquantur, et multò minùs, ut manus deosculentur. In actu Confessionis non ostendat eas agnoscere; aliquæ enim, quæ religiosæ haberi volunt, aliquando advertentes se nosci à Confessario, non faciunt integram Confessionem. Imprudentia quoque est conijcere oculos in pœnitentes,

cùm è Confessionario recedunt, easque per aliquod tempus intrari. Extra Confessionarium nec etiam immoretur ad colloquendum cum ipsis in ecclesia, omnemque familiaritatem devitet. Abstineat etiam à recipiendis munusculis; et præcipuè ad illarum domos nunquam accedat, uno excepto casu gravis infirmitatis, et tunc non nisi vocatus accedat; tunc magnam adhibeat diligentiam in audiendis illarum Confessionibus, unde janua in apertam relinquat, sedeat in loco ubi videri possit ab aliis, oculosque in faciem pœnitentis nunquam defigat. Et hoc præsertim currit, si sint personæ spirituales, quibuscum est periculum majoris adhæisionis. Dicebat Ven. P. Sertorius Capotus, diabolus ad conjungendas inter se personas spirituales, ab initio uti prætextu virtutis, ut deinde affectus à virtute transeat ad personam: unde ait S. Augustinus apud S. Thom. (*Opusc. 64. de Famil. Dom. etc.*): « Sermo brevis, et rigidus cum his mulieribus habendus est; nec tamen quia sanctiores, ideo minus cavendæ; » quo enim sanctiores fuerint, eò magis alliciunt. » Et idem Angelicus Doctor addit: « Licèt carnalis affectio sit omnibus periculosa, ipsi tamen magis pernicioza, quando conversantur cum » persona quæ spiritualis videtur; nam quamvis principium videtur purum, tamen frequens familiaritas domesticum est » periculum; quæ quidem familiaritas quando plus crescit, infirmatur principale motivum, et puritas maculatur. » Et subjungit, quòd tales personæ hoc non statim advertant; quoniam diabolus ab initio non emittit sagittas venenatas, sed illas tantummodo, quæ aliquantulum feriunt, et augment affectum. Sed brevi hujusmodi personæ eò deveniunt, ut non amplius agant securi tanquam angeli, quemadmodum cœperant, sed tanquam carne vestiti; vicissim se intuentur mentesque sibi feriunt blandis allocutionibus, quæ adhuc à prima devotione videntur procedere: hinc alter alterius præsentiam incipit appetere; sicque (concludit) *spiritualis devotio convertitur in carnalem*. Et quidem o! quot Sacerdotes, qui antea erant innocentes, ob similes adhæisiones quæ spiritu cœperant, Deum simul et spiritum perdiderunt! Advertatur hęc quòd ex Decr. S. C. Epist. sub 21. Jan. 1610. « Confessarii sine necessitate audire non debent mulierum Confessiones post crepusculum vespertinum, et ante auroram. »

120. Deinde Confessarius non adeo mulierum Confessionibus sit addictus, ut per hoc homines ad se venientes audire recuset. O! qualis miseria est cernere tot Confessarios qui impendunt bonam diei partem in audiendis religiosis aliquibus mulierculis, quas vulgò dicunt *Bizocas*; et cùm postea vident ad se accedentes homines aut fœminas uxoratas, qui sunt pleni angustiis, et molestiis, et qui ægrè domos, et negotia sua relinquere potuerunt, dimittunt eos, dicendo, *Habeo aliud quod agam, ite ad alios*; unde fit ut isti, non invenientes cui sua peccata confiteantur, vivant per tot menses et annos sine Sacramentis, et sine Deo. Hoc non est audire Confessiones ut Deo placeamus, sed potiùs ut genio serviamus; quare nescio quale meritum apud Deum sint

habituri Confessarii illi, qui hoc modo suum ministerium exercent. Scio ego, imò et contra aliorum opinionem, qui asserunt esse tempus frustra impensum, teneo esse opus valde Deo carum dirigere animas ad viam perfectionis; ideoque de hoc fusiùs loquar capite ultimo; sed assero probos Confessarios, qui tantùm, ut Deo placeant, Confessiones excipiunt (quemadmodum facere consueverunt S. Philippus Neri, S. Joannes à Cruce, S. Petrus Alcantara, aliique) quando cernunt aliquam animam indigentem, præferre eam animabus devotis, quibus audiendis auxiliandisque, quando Confessarius vult, tempus non deerit.

CAPITULUM IX.

Quomodo se gerere debeat Confessarius in dirigendis Animabus Spiritualibus.

121. QUOD olim dixit Dominus Jeremiã : « Ecce constitui te super gentes, ut evellas, et dissipes, et ædifices et plantes; » idem nunc repetit singulis Confessariis, qui non solùm debent evellere vitia ex suis pœnitentibus, sed etiam debent in illis virtutes inserere. Unde expediens est addere hęc in fine Caput hoc, quod poterit inservire Confessariis tyronibus ad dirigendas animas spirituales ad perfectionem. Non sunt quidem expellendi peccatores, ut superiùs diximus, sed è contra opus est etiam multùm Deo acceptum sponsas illi adornare, animas scilicet Spirituales excolere, ut in totum se illi donent tradantque. Acceptior est ejus oculis anima sola perfecta, quàm mille imperfectæ. Unde cùm videt Confessarius pœnitentem vivere immunem à culpis mortalibus, omnem curam adhibere debet, ut eum in viam perfectionis, et Divini amoris introducat, illi repræsentando meritum, quod habet Deus, ut ametur, et gratitudinem quam debemus Jesu Christo, qui nos amavit usque ad moriendum pro nobis; nec non periculum in quo versantur omnes animæ, quæ vocatæ à Deo ad vitam perfectionem, illi resistunt. In tribus igitur præcipuè pòsita est directio Confessarii quoad animas spirituales, scilicet in Meditatione, in Contemplatione, in Mortificatione, et in Frequentia Sacramentorum, et de omnibus his sigillatim dicemus.

§. I. De Oratione Meditationis.

122. PRUDENS ergo Confessarius cùm cernit animam aliquam abhorrentem peccata mortalia, et desiderantem progredi in amore Divino, ante omnia debet illam disponere ad faciendam orationem mentalem, scilicet ad meditationem veritatum æternarum, et bonitatis Divinæ. Et quamvis necessaria non sit ad æternam salutem consequendam, sicut est necessaria petitio, nihilominus videtur valde necessaria animabus, ut in Dei gratia perseverent. Cum reliquis pietatis operibus potest peccatum consistere; sed non possunt cohabitare Oratio et peccatum. Anima aut relin-

quet orationem, aut peccatum. Dicebat S. Theresia : « Animam, » quæ in oratione perseverat, quotquot illi peccata opponat Diabolus, tandem pro certo habeo quòd eam Dominus ad salutis portum conducat. » Et ideo Diabolus nullum aliud exercitium tam quærit impedire, quàm illud orationis, quoniam, inquit eadem Sancta : « Novit dæmon quòd certè amittet animam quæ » perseveranter incumbit Orationi. » Præterea solus amor est qui animam Deo jungit et stringit; sed fornax in qua accenditur flamma divini amoris est Oratio, seu Meditatio : « In meditatione mea exardescet ignis. » Ps. 38. 4.

123. Incipiat ergo Confessarius introducere animam in orationem. Ab initio non plusquam mediæ horæ spatium assignet : quod deinde crescentè spiritu, plus minùsve augebit. Neque desistat ex eo quòd pœnitens difficulter adducit, quòd desit sibi tempus, et locus ad se colligendum : imò imponat ei, ut saltem mane, vel vespere quando in domo major est quies, vel etiam in ipsis occupationibus (quando aliud non posset efficere) elevet identidem mentem ad Deum, et meditetur veritates fidei, ut sunt novissima, quorum cogitatio, et præcipuè mortis, est utilior pro incipientibus. Meditetur quoque Christi Passionem, quæ meditatio est omnibus fructuosa. Si verò Pœnitens non sit litterarum rudis, expediens est ut utatur aliquo libro spirituali, quo magis habeat ingressum in orationem, quemadmodum facere solebat S. Theresia. Moneat quoque, ut seligat materiam illam, in qua anima majorem experitur devotionem, et in iis locis in quibus anima se vehementius affici sentit, et commoveri, moretur aliquantum, et lecta meditatione, totam se exerceat in actibus voluntatis, vel incumbat petitioni, aut faciendis propositis. Dico 1. se exerceat in *faciendis actibus*, scilicet humilitatis, actionis gratiarum, fidei, spei, et præsertim in repetendis actibus contritionis, et charitatis erga Deum offerendo se illi totam; totamque suæ sanctissimæ voluntati resignando, et repetendo plusquam alios, actum illum cui anima se magis sentit inclinatam. Dico 2. exerceat se *in petendo*; nam à petitione omne nostrum bonum dependet, et S. Augustinus inquit Deum ordinariè nullam gratiam hominibus concedere, et præsertim gratiam perseverantiæ, nisi per canalem petitionis. Dominus dixit : *Petite, et accipietis*; Ergo concludit S. Theresia, qui non petit, non accipit. Quapropter si volumus animam nostram salvare; necesse est semper orare, et ante omnia petere perseverantiam, et amorem erga Deum. Et quidem nullum tempus opportunius est ad petendum, quàm tempus orationis mentalis. Qui non orat, difficilliter petit, quia difficilliter se actuat ad considerandas gratias, quibus eget, et necessitatem ipsam petendi; et ideo qui non facit orationem, difficulter in Dei gratia perseverat. Dico 3. in *Statuendo*, ut oratio non remaneat infructuosa, et anima mandet executioni ea lumina, quæ in oratione recepit : unde, quemadmodum inquit S. Franciscus Salesius, nemo debet imponere finem orationi, nisi priùs fecerit particularem aliquam determinationem, putà vi-

tandi defectus quosdam magis usuales; aut exercendi virtutem aliquam, in qua se noscit debiliorem. Videatur circa hoc quod dicitur in Appendice versùs finem, cùm loquemur de instructione pro oratione mentali §. III.

124. Exigat igitur Confessarius ab animabus istis rationem orationis; exquirendo ab illis quomodo aut in ea se gesserint, aut saltem si fecerint; et imponat illis, ut in Confessione ante omnia alia se accusent de oratione omissa, quando eam intermiserint; quoniam relictæ oratione anima salvari non poterit. « Anima quæ » omittit orationem (dicebat S. Theresia), tanquam à semetipsa » se collocat in inferno sine opera Dæmonum. » Proh Deus et quantam Confessarii afferrent animabus utilitatem adhibendo hanc minimam diligentiam! Et o! qualem Deo rationem sunt reddituri, nisi ita se gerant, quoniam ipsi tenentur procurare quantum in se est spiritualem progressum suorum pœnitentium! O! quot animas possent ipsi ad viam perfectionis dirigere, easque à recidivis in peccata gravia liberare, si adhiberent hanc tenuem industriam dirigendi eas per viam orationis; et interrogandi postea saltem sub initiis vitæ spiritualis utrùm eam fecerint, vel non! Quando anima aliqua se in oratione solidavit, difficillimè plus Deum amittit; et ideo oratio mentalis insinuanda est non tantùm timoratis, sed etiam peccatoribus, qui sæpe ob defectum considerationis redeunt ad vomitum.

125. Super omnia Confessarii adhibere debent diligentiam hanc, cùm pœnitentes patiuntur desolationem spiritûs. Initio quo anima se tradit vitæ spirituali solet Deus illam allicere specialibus quibusdam luminibus, lacrymis et sensibilibus aliis consolationibus; sed elapso aliquo tempore, solet claudere hanc venam, ut probet earum fidelitatem, et ut eas ad majorem perfectionem extollat, subtrahens eis sensibilem omnem dulcedinem, cui facilè anima adhæret non sine impuritate quadam, et culpa ex amore sui ipsius. Consolationes sensibiles (quin et attractiones supernaturales) sunt quidem Dei dona, sed non sunt ipse Deus; unde ipse, ut animas sibi dilectas avellat etiam à donis suis, ut Donatorem puriori amore diligere cogantur, efficit, ut non inveniant ampliùs in oratione pabulum consuetum, et solitam consolationem; sed tædia, ariditates, tormenta, et quandoque etiam tentationes. Invigilet ergo summopere Confessarius ad confortandas animas istas, ne orationem omittant, et præscriptas Communiones; revocet illis in memoriam verba illa S. Francisci Salesii, scilicet: « Plus valere coram Deo unicum unciam Orat-ionis in medio desolationum, quàm libras centum in medio » consolationum. » Quoniam ille qui Deum diligit ob consolationes, plus Dei consolationes quàm Deum ipsum diligit; sed qui Deum amat eique adhæret sine consolationibus illis, hic verum ostendit amorem. Hæc de meditatione sufficiunt, sed opportunum duco aliquam hîc novis Confessariis præbere notitiam contemplationis infusæ, ac suorum graduum, nec non aliorum donorum supernaturalium unà cum regulis præscriptis à spiri-

tualis vitæ Magistris ad directionem animarum, quibus Deus hujusmodi gratias voluerit impertiri.

§. II. De Oratione Contemplationis, et diversis suis gradibus.

126. QUANDO anima aliqua à Deo contemplationis gratia donatur, oportet, ut Confessarius optimè sciat modum quo eam dirigere debeat, et ab omnibus illusionibus liberet; aliàs maximum illi afferet damnum, et quemadmodum ait S. Jo. à Cruce, magnam ipse Deo redditurus est rationem. Contemplatio multùm differt à meditatione. In meditatione quæritur Deus labore discursus, in Contemplatione sine hujusmodi labore contemplatur Deus jam inventus. Insuper in meditatione anima operatur actibus suarum potentiarum; in contemplatione operatur Deus, et anima tantùm patitur, et recipit in se dona, quæ à divina gratia sibi infunduntur absque eo quòd aliquid operetur, quoniam ipsa lux, et divinus amor, quo tunc tota impletur, reddunt eam suaviter attentam ad contemplandam Dei sui bonitatem, qui tot illam cumulat donis.

127. Advertere etiam oportet quòd Deus, antequam concedat animabus donum contemplationis, solet eas introducere in orationem recollectionis, vulgò dictam *di Raccoglimento* vel *otii Contemplativi* (sic illud vocant Mystici), quæ non est adhuc contemplatio infusa, quoniam anima adhuc est in statu activo. Hæc recollectio (loquor hîc de naturali, quoniam de supernaturali et infusa inferiùs loquemur *nu.* 133.) est quando intellectui opus non est cum labore quasi extra animam exire ad considerandum mysterium aliquod, aut æternam veritatem, sed avulsus à rebus externis, et collectus quasi intra animam ipsam absque labore, imò cum magna suavitate attendit illi veritati, aut mysterio quodcumque sit. *Otium Contemplativum* est fere idem, nisi quòd in collectione anima attendat alicui devotæ cogitationi particulari; in otio verò cum generali quadam Dei notitia sentit in seipsa collectam, et suaviter Deo attractam. In hac collectione, sive otio contemplativo, dicunt quidam Mystici, quòd etsi hæc oratio sit naturalis, nihilominus anima cessare debet non solum à meditatione, sed etiam ab actibus voluntatis, scilicet amoris, oblationis, resignationis etc., et tantùm manere debet in quadam amoris vigilia, et attentione ad Deum, absque eo quòd actum aliquem faciat. Verumtamen hujusmodi incantationibus ego prorsus acquiescere non valeo. Nulli dubium, quin quando anima collectam se sentit, non debet se applicare meditationi, quia jam invenit sine ullo labore quiddid ipsa postulabat; præterquam quòd ipsa ordinaria meditatio, ut ait P. Segneri in suo aureo opusculo de *concordia inter laborem et quietem* (*Part. I. c. I. nu. 1.*), producit post aliquod tempus contemplationem quæ dicitur *acquisita*, nempe illa quæ unico intuitu cognoscit veritates, quas ante nonnisi longo discursu et labore cognoverat. Sed his non obstantibus, nescio cur anima cessare debeat à bonis actibus voluntatis: et quodnam tempus opportunius his faciendis

actibus esse poterit, quàm tempus quo anima se collectam sentit? Verùm quidem est quòd S. Franciscus Salesius consilium dedit B. Joannæ de Chantal, ut in sua oratione, cùm se Deo unitam sentiret, non repeteret novos actus; sed quare? quia scilicet Beata jam pervenerat ad contemplationem passivam. Unde quando anima adhuc est in statu activo, non est ratio cur actus boni impedire debeant gratiæ operationem. Idem S. Franciscus Salesius præfigebat animabus devotis à se directis determinatum quemdam numerum aspirationum amoris, faciendum intra certum temporis spatium. Quando anima pervenit ad statum passivum contemplationis, tunc anima etsi non mereatur, quia eo tempore non operatur, sed tantùm *patitur*, nihilominus acquirit magnum quemdam vigorem ad operandum postea cum majori perfectione: sed quando anima adhuc est in statu activo, ut mereatur, operari debet, actus bonos faciendo; atque hæc sunt opera, quibus anima meretur gratiam divinam. Unde rectè concludit idem P. Segneri, quòd quando Deus loquitur et operatur; et oportet, ut anima taceat, et cesset à suis operationibus, nihil aliud ponendo ex latere suo circa principium, quàm attentionem quamdam amoris ad divinas operationes, sed quando Deus non loquitur, necesse est ut anima se adjuvet eo modo quo potest ad conjungendum se Deo, scil. meditationibus (quando hæc sunt necessariæ), affectibus, precibus, et determinationibus, dummodo actus isti non eliciantur inviti: unde illi tantummodo sunt faciendi, quibus se anima sentit suaviter inclinatam.

128. Insuper advertendum est, quòd Deus, antequam introducat animam in orationem contemplationis, solet eam purgare, ponendo in ariditate supernaturali, quæ appellatur *purgatio spiritualis*, ut eam purificet à suis imperfectionibus, quæ illi impediunt contemplationem. Atque hęc distinguendum est inter ariditatem *sensibilem*, quæ pertinet ad sensum, et ariditatem *substantialem*, quæ pertinet ad spiritum. Ariditas *sensibilis* (de *substantiali* loquemur num. sequenti) quando est naturalis, fert secum quoddam tædium rerum spiritualium, et obscuritatem quamdam leviolem, et minùs durabilem; sed quando est supernaturalis, de qua hęc agimus; ponit animam in quadam obscuritate profundiori, quæ diutius durat, et quotidie majus accipit incrementum. Nihilominus anima in tali statu constituta, licèt sentiat se magis à creaturis alienatam, et habeat cogitationem semper in Deum defixam, unà cum ingenti desiderio, et determinatione eum perfectè amandi, tamen sentit se redditam tantquam impotentem ad hoc exequendum ob suas imperfectiones, quarum causa videtur facta Deo odibilis: sed interea, hoc non obstante, non cessat se rectè gerere in virtutibus. Hæc molesta ariditas est quidam tractus gratiæ, est lux quædam supernaturalis, sed lux quæ affert pœnam, et obscuritatem, quoniam volens se nudo spiritui communicare, et inveniens sensus, atque potentias animæ suæ non adhuc capaces, ex eo quia nondum prorsus à consolationibus sensibilibus sint disjunctæ, et conse-

quenter materialibus, quæ plenæ sunt formis, imaginibus, et figuris; producit in anima hujusmodi tenebras tam molestas, sed valde utiles, quoniam per ipsas anima pervenit ad alienationem quamdam ab omnibus voluptatibus sensibilibus tam terrenis, quam spiritualibus; et insuper acquirit magnam suarum miseriarum cognitionem, atque impotentiam ad quodvis opus bonum perficiendam, et simul magnam erga Deum venerationem, qui illi repræsentatur venerabilis, et terribilis. In hoc statu Director debet animam confortare ad sperandas res magnas à Deo, qui ad hunc finem ita se gerit cum ea. Insinuet ei, ne conetur se exercere in meditatione, sed humiliet se, faciet actus oblationis, totamque se Deo committat, perfectissimè resignata dispositionibus suæ voluntatis, quæ tota tendit ad bonum nostrum.

129. Post hanc purgationem sensûs solet Dominus concedere donum contemplationis, quæ dicitur gaudii; scilicet recollectionis supernaturalis, quietis, et unionis, de qua deinceps loquemur; sed ante unionem, et post recollectionem, et quietem, solet Deus purgare animam ariditate spiritûs, quæ dicitur ariditas *substantialis*, qua Dominus vult, ut anima se totam in seipsa annihilaret. Ariditas sensûs est subtractio devotionis sensibilis, sed ariditas spiritûs est quædam lux divina, qua Deus facit, ut anima suum nihilum agnoscat. Atque hæc est, ubi anima se cernit in quadam terribiliori agonia; nam etsi tunc ipsa sit magis determinata ad se vincendum in omnibus, et magis attenta ad Deo placendum, nihilominus quò magis agnoscit suas imperfectiones, eò sibi videtur à Deo expulsa, atque derelicta tanquam ingrata beneficiis acceptis: imò et ipsa spiritualia exercitia, quæ peragit, ut sunt orationes, Communiones, mortificationes, eam magis contristant; nam cum ea omnia non sine magno tædio et pœna perficiat, credit omnia digna suppliciis, et se Deo odibiliorem. Quin multoties animæ illæ videntur sibi summopere odisse Deum, quam ob causam Deus eas jam reprobaverit tanquam sibi inimicas; et adhuc in vita faciat illis experiri damnatorum pœnas, et divinam derelictionem. Et aliquando Deus permittit, ut hujusmodi desolationes comitentur mille aliæ tentationes, et motus impuritatis, iracundiæ, blasphemiam, incredulitatis, et præsertim desperationis: ita ut miseriam in magna illa obscuritate, et confusione non valentes discernere resistantiam voluntatis (quæ revera tunc adest, sed ipsis est occulta, aut saltem dubia ratione præsertim tenebrarum) timeant se jam consensisse, et ideo tantò magis existimant se derelictas à Deo.

130. Hæc ergo Confessarius quando ei aliqua ex animabus istis occurrit, quæ jam per perfectionem progreditur; et opinatur se derelictam; in primis non terreatur videndo confusionem hanc, et audiendo tot expressiones timoris et desperationis; nec se ostendat timidum aut ullo modo hæsitantem, sed viriliter eam confortet ad nihil timendum: et eo tempore plusquam aliàs animet ad confitendum in Deo, recitans illi ea verba, quæ Dominus dicit S. Theresiæ, quòd scilicet nemo Deum amittit absque

eo quòd cognoscat amittere. Dicat ei omnes illas suggestiones blasphemiarum, incredulitatis, impuritatis, et desperationis non esse consensus, sed pœnas, quæ si cum resignatione tolerentur, animam magis magisque Deo conjungunt. Dicat, à Deo nunquam odio haberi animam, à qua amatur, et quæ bonæ est voluntatis. Addat, Deum ita se gerere cum animabus à se magis dilectis. *Ariditatibus* et tentationibus (dicebat S. Theresia) probat Deus suos amatores. Quamvis ariditas tota vita perduret, anima non omittat orationem; veniet tempus quo omnia ei *persolventur*. O quàm pulchram pro anima desolata sententiam! Hortetur ergo, ut forti animo sit, et viriliter expectet res magnas à Deo, dum eam per tutiorem viam deducit, scilicet per viam crucis, moneat etiam, ut primò humiliet se utpote dignam ita à Deo tractari ob anteaactæ vitæ defectus: secundò, ut divinæ voluntati se totam resignet, paratissimam se præbendo ad ea omnia perferenda, imò et majora pro omni tempore quod Deo placuerit: tertio projiciat se tanquam mortuam in brachia divinæ misericordiæ, et committat protectioni Mariæ SS. quæ mater misericordiæ, et afflictorum consolatrix jure appellatur.

131. Ariditas sensûs perdurat quousque, purificatis sensibus, anima apta ad contemplationem reddatur. Ariditas verò spiritûs durat quousque reddatur capax divinæ unionis: quamvis aliquando etiam post unionem permittat Dominus, ut anima iterum redeat ad hanc ariditatem, ea potissimum de causa, ne anima seipsam negligat, et ut identidem suum nihilum agnoscat.

132. Completa ergo purgatione sensûs, et ad finem perducta ariditate sensibili, ponit Deus animam in statu contemplationis. Contemplatio vel est affirmativa, vel negativa. *Affirmativa* est quando anima beneficio lucis divinæ, sine ulla sua opera cernit aliquam veritatem, aut creatam, ut esset infelicitas inferni, felicitas Paradisi, etc., aut increatam, ut divinam misericordiam, amorem, potentiam, bonitatem. *Negativa* est quando dignoscit perfectiones divinas non in particulari, sed in genere cum confusa quadam notitia, sed quæ ingerit conceptum longè majorem magnitudinis divinæ: et ita etiam in confuso agnoscit aliquam veritatem creatam, ut horribilitatem inferni, etc. Sed transeamus ad primos contemplationis gradus: hi sunt, recollectio interior spiritûs, et quies: de unione loquemur post.

133. Primus igitur gradus contemplationis est *recollectio supernaturalis*. De naturali jam diximus supra n. 127. quæ tunc habetur, quando animæ potentiæ colliguntur ad considerandum Deum intra se; et dicitur *naturalis*, non quia anima ex se valeat illam operari; omnis enim actio virtutis, ut possit æternum præmium promereri, indiget auxilio gratiæ, unde generatim loquendo est etiam supernaturalis: sed *naturalis* dicitur, quia anima tunc est in statu activo, et beneficio gratiæ ordinariæ operatur. Recollectio verò *supernaturalis* est illa, quam operatur Deus ministerio cuiusdam gratiæ extraordinariæ, et per quam Deus collocat animam in statu passivo; ita ut recollectio supernaturalis, seu infusa,

tunc propriè habeatur, quando collectio potentiarum non evenit opera ipsius animæ, sed beneficio lucis, quam Deus infundit, et per quam excitatur in anima magnus et sensibilis amor divinus. In hoc statu non est cogenda anima ad suspendendum tranquillum eum discursum, quem fortè ei lux ipsa suaviter insinuaret: quemadmodum nec debet incumbere considerationi rerum particularium, aut determinationibus quas valet efficere. Nec debet curiosius investigare quidnam sit interior ea spiritus recolectio: sed sinat se dirigi à Deo ad considerandas res illas, illosque actus faciendos, ad quos se magis à Deo ferri cognoscit.

134. Secundus gradus est *quietis*. In recolectione vis amoris communicatur immediatè sensibus externis, quos Deus ipse intra animam facit colligere. Sed in quiete amor communicatur immediatè spiritui in ipso animæ centro: et amor ipse est ardentior, qui deinde etiam ad sensus externos diffunditur: hoc verò non semper: unde multoties accidit, quòd anima habeat orationem quietis, sed sine ulla dulcedine sensibili. Dicit S. Theresia (*In Vita. c. 14.*) quod in hac oratione non suspenduntur omnes potentiae: suspenditur quidem voluntas, et remanet tanquam ligata, quia tunc nullum aliud objectum præter Deum valet amare, qui eam sibi trahit; sed intellectus, et memoria, aut phantasia quandoque remanent liberæ, et huc illucque excurrunt. Unde dicit Sancta (*Comm. di perfec. p. 209.*) animam de hoc non debere tritari. « Rideat (*inquit*) de sua cogitatione, illamque deserat » veluti stultam, et maneat in sua quiete: et cum voluntas sit do- » mina, ipsa cogitationem ad se reducet, absque ullo vestro la- » bore. » Quod si anima velit se applicare ad colligendam cogitationem, nihil omnino aget, et suam quietem amittet. In hoc statu multò minùs quàm in recolectione anima debet se applicare ad faciendas determinationes, aut alios actus ex se ipsa emendicatos: eos tantummodo faciat, ad quos se sentit à Deo suaviter impelli.

135. Dicamus nunc aliqua de oratione puræ contemplationis, scilicet de contemplatione negativa superius enunciata, quæ est longè perfectior quàm affirmativa. Hæc contemplatio *negativa* dicitur *Clara Caligo*, quia ob nimiam lucis abundantiam intellectus obscuratur: quemadmodum qui intuetur solem, radiorum fulgore obcæcatus nihil cernit, sed tantum intelligit solem esse magnum quoddam lumen; sic Deus in ista caligine infundit animæ lucem magnam, quæ facit, ut illa intelligat non jam veritatem aliquam particularem, sed acquirat generalem quamdam, et confusam notitiam suæ incomprehensibilis bonitatis, unde anima incipit efformare altissimam de Deo ideam, licet confusam. Quando anima aliquantulum noscit aliquam ex divinis perfectionibus, altum quidem conceptum suæ bonitatis concipit, sed longè melior est conceptus quem format, quando cognoscit divinam perfectionem non posse comprehendi. Scribit Cardinalis Petruccius in doctissimis suis Epistolis, hanc orationem propterea vocari orationem caliginis, quia in hac vita anima non est capax clarè intelligendi

divinitatem, unde in hoc statu intelligit non intelligendo; sed intelligit longè meliùs omni alio modo intelligendi. Non intelligit, quia cum Deus non sit res quæ formet imaginem aut figuram, intellectus nequit de eo ideam efformare, et ideo nihil aliud intelligit quàm quòd illum non valet intelligere; quapropter hujusmodi intelligentia vocatur ab Arcopagita: *Sublimis cognitio Dei per ignorantiam*. In hac oratione caliginis suspenduntur omnes interiores potentiaè animæ, et quandoque etiam sensus exteriores: ita ut anima aliquando ingrediatur in *Ebrietatem Spiritualem*, quæ facit eam prorumpere in quædam amoris deliria, ut cantus, clamores, fletus immodicos, saltus, et his similia, quemadmodum eveniebat S. Mariæ Magdalenaè de Pazzis.

136. Post gradus istos facit Dominus animam ad unionem transire. Unicus animæ scopus hic esse debet, unio scilicet cum Deo; sed ut anima perfectionem attingat, non est necessaria unio *passiva*; satis est illi pervenire ad unionem *activam*. Paucissimæ, inquit S. Theresia, sunt animæ illæ, quæ diriguntur à Deo per vias supernaturales: et nos in cœlo permultas aspiciemus, quæ sine hujusmodi gratiis supernaturalibus erunt gloriores illis, quæ gratias istas receperunt. Unio *activa* est perfecta uniformitas divinæ voluntati, in qua certè consistit tota perfectio divini amoris. *Perfectio*, inquit S. Theresia (*Conc. dell' Amor di Dio Conc. III.*) « non consistit in extasi, sed vera unio animæ » cum Deo est unio voluntatis cum divina voluntate. » Hæc unio est necessaria, non verò unio *passiva*; et animæ illæ quæ solam habent activam, inquit eadem Sancta (*Avvisi per l'oraz. 22.*), « fieri poterit quòd habeant meritum longè majus, quia » majorem patiuntur laborem; et Dominus dirigit eas ut fortes, » et consolationes quas in hac vita non habent, servat ut postea » det eis in alia. » Cardinalis Petruccius inquit, quòd absque contemplatione infusa rectè quidem possit anima beneficio gratiæ ordinariæ pervenire ad annihilationem propriæ voluntatis, et ad eam transformandam in Deum, nihil aliud volendo quàm voluntatem Dei. Et quamvis sentiat passionum motus, tamen hi non impediunt illi præfatam transformationem; unde subdit, quòd cum in hoc posita sit tota sanctitas, unusquisque nihil aliud debet desiderare, et petere à Deo, quàm ut dirigatur ab ipso, et in ipso suam efficiat voluntatem. S. Theresia tractando de unione passiva, inquit (*Mans. V. c. 1.*), quòd anima posita in ea, *non videt, non sentit, neque advertit ita se habere*; quoniam ex abundantia lucis et amoris efformatur illa beata caligo, in qua suspenduntur omnes potentiaè animæ; memoria enim non recordatur, nisi Dei: voluntas conjungitur Deo tali amore, ut nequeat amare aliud objectum; et intellectus tanta luce repletur, ut nullam rem aliam valeat cogitare, nec etiam gratiam quam actu tunc recipit; unde intelligit multum, sed nequit percipere quid intelligat. In summa anima in hoc statu constituta habet claram et experimentalem cogitationem Dei præsentis, qui in animæ centro eam sibi conjungit. Hæc unio, inquit S. Theresia (*Vita c. 18.*), non multum

perdurat; sed ad summum dimidiam horam non excedit. In aliis Contemplationibus, de quibus antea locuti sumus, Deus præbet se videndum tanquam proximum animæ, hîc verò tanquam præsentem; et anima experitur eum sibi conjunctum per suavem quemdam contactum. Unde, inquit Sancta (*Mans. V. c. 1.*), in aliis contemplationibus posse animam dubitare, utrùm fuerit Deus, in hac verò non. Hoc tamen non obstante, debet eam Confessarius monere non ideo evasisse impeccabilem, et propterea, quò magis se videt à Deo hujusmodi gratis donatam, eò magis esse debet humilior, et ab omnibus alienata, unicè diligendo crucem, et vivendo in totum divinis dispositionibus uniformata, cum assiduo timore ne suæ infidelitates ex eo tempore acerbius puniendæ sint, ob majorem qua committentur ingratitude. Inquit S. Theresia (*Mans. V. et VI.*) sibi cognitæ plures animas, quæ, cum antea ad hunc statum unionis ascendissent, postea in peccata mortalia præcipites ceciderunt.

137. Tres dantur species Unionis, et sunt: unio *simplex*, unio *desponsationis*, et unio *consummata*, quæ vocatur unio *Matrimonii spiritualis*. Unio simplex est illa, de qua usque adhuc locuti sumus. Dicendum nunc est de unione *desponsationis*. Hanc unionem solet ordinariè præcedere ariditas substantialis, quæ est purgatio spiritûs, de qua jam supra locuti sumus n. 128. In hac verò unione desponsationis tres sunt alii gradus diversi, scilicet *Extasis*, *Raptus*, et *Elevationis spiritûs*. In simplici unione suspenduntur potentia, sed non sensus corporei, quamvis hi remaneant valde infirmi ad operandum. In unione autem extasis amittitur quoque usus sensuum, ita ut persona non videat, non audiat, et non percipiat neque incisiones, neque adustiones. Raptus verò nihil aliud est quàm impressio quædam gratiæ validior, qua Dominus non solum elevat animam ad unionem, sed etiam rapit illam motu quodam subitaneo et violento; ita ut aliquando elevetur etiam corpus, et reddatur leve ad instar plumæ. *Elevatio spiritûs* est quando anima sentit se rari quasi extra se, et extolli supra seipsam cum magna quadam violentia, unde anima ab initio magnum experitur timorem. In elevatione spiritûs continetur tam extasis, quia intervenit amissio sensuum, quàm raptus, id est motus violentus. Retulit mihi persona quædam similibus gratiis à Deo donata, quòd in talibus elevationibus spiritûs videretur sibi tanquam si anima è corpore fuisset avulsa, et elevata cum tanta velocitate ac si conficeret decies centena millia miliaria in quovis temporis momento, non sine magno terrore, quoniam ignorabat quòd esse: ascensura; sed cum postea subsedisset, tunc illustrabatur ad cognoscendum aliquod divinum arcanum. Sed hîc oritur dubium; si in hac unione suspenduntur potentia, et intellectus obscuratus à lucis abyssu nequit attendere rebus quas intelligit, qua unquam ratione potest ibi anima intelligere, et verba facere de illo divino arcano? Respondent mystici, quòd quando Deus vult, ut anima intelligat aliquod secretum, aut immittere illi aliquam visionem intellectualem, vel

imaginariam, minuit nonnihil lucem, ita ut anima remaneat habilis ad cognoscendum, et perpendendum quodcumque Deus voluerit.

138. Tandem perfectior unio, quæ dicitur *consummata*, et major quam in hac vita possit Deus concedere animæ viatrici, est illa quæ dicitur *Matrimonii spiritualis*, per quam anima transformatur in Deum, et fit unum quid cum Deo: eodem modo quo vas aquæ infusum mari evadit unum cum aqua maris. Et advertendum hæc est, quòd in reliquis unionibus, ut loquuntur mystici, potentiæ remanent suspensæ; in hac verò minimè suspenduntur; quoniam potentiæ purificatæ à sua sensibilitate, et materialitate, jam effectæ sunt capaces divinæ unionis, ita ut voluntas amet Deum suum placidissimè, intellectus rectè cognoscat, et attendat huic intimæ divinæ unioni, quæ jam facta est in animæ centro, quod accidit eodem modo ac si quis intueretur solem, et sine ulla offensione oculorum solis splendorem cognosceret. Insuper est advertendum, quòd hæc unio non est transitoria, ut duæ priores, sed permanens; ita ut anima fruatur habitualiter divina præsentia jam sibi conjuncta, et fruatur in pace stabili: nam passionibus nihil ampliùs eam perturbant: illas quidem anima cernit dum faciem suam ostendunt; sed non tristatur, nec ullam patitur molestiam ab illis, ad instar ejus qui fortè habitans super nubes, cerneret tempestates inferiùs evenientes, et ipse non tangeretur ab illis.

139. Hic abs re non erit aliqua dicere de visionibus, locutionibus, et revelationibus ad discernendas falsas à veris. Visiones vel sunt *externæ*, vel *imaginariæ*, vel *intellectuales*. *Externæ* sunt quæ oculis cernuntur. *Imaginariæ* quæ spectantur in phantasia, seu imaginativa. *Intellectuales*, quæ neque oculis, neque in phantasia videntur, sed à solo intellectu divina luce adjuto, quæ species intelligibiles ingerit; atque hæc visionum species, teste S. Theresia, tota est spiritualis; nullam enim in ea partem habent sensus neque externæ, neque interni, qui sunt imaginativa, et phantasia. Notandum quòd neque oculis, neque phantasia potest anima cernere res sibi repræsentatas, nisi in apparentia corporea, etiamsi essent substantiæ spirituales; è contra beneficio intellectûs res cernuntur tantùm spirituales, etiamsi fuerint materiales; vel ut meliùs dicam, noscuntur, non videntur, sed noscuntur longè meliùs quam si oculis cernerentur.

140. Advertendum tamen hæc est, quòd visiones istas tam Deus, quam diabolus possit operari; quod est intelligendum etiam de intellectualibus, ut videtur innuere S. Joannes à Cruce, (*Saluta l. 2. c. 24.*) contra id quod sentit Cardinalis Petrucci, quamvis multò faciliùs corporales, quæ ut plurimùm, et præcipuè in foeminis, ab ipsa phantasia efformantur. Signa ad distinguendas veras è falsis sunt: 1. Si veniant ex improvise sine ulla præcedenti animæ cogitatione. 2. Si ab initio afferant confusionem, et terrorem, sed postea relinquant animam in pace. 3. Si sint raræ, quia frequentes sunt valde suspectæ. 4. Si parùm du-

rent, quoniam, inquit S. Theresia (*Mans. 6. c. 9.*) quando anima intuetur per longum tempus rem sibi repræsentatam, signum est quòd sit potiùs actus phantasie. Visio divina ut plurimum transit ad instar fulguris, sed remanet inde immobiliter menti infixæ. 5. Vera visio relinquit animam in summa pace, et vivida cognitione miserie suæ, non sine ingenti desiderio perfectionis; ad differentiam visionum diabolicarum, quæ parùm remanent impressæ, et relinquunt animam in quadam siccitate, perturbatione, motibus propriæ æstimationis, et cum fame sensibili harum gratiarum. Verùm cum omnibus signis superiùs memoratis, inquit S. Theresia (*Ibid.*), nullam certam haberi posse securitatem, quoniam multoties dæmon fecit simulare quietem, cogitationes humilitatis, desideria perfectionis; quæ omnia incertum est à quo procedant; quoniam sæpe ipse dæmon, ut ei fides præstetur, solet hæc insinuare, ut tandem illum percipiat fructum, et deceptiones, quas intendit. Unde director, regulariter loquendo, non prohibeat animæ enarrare sibi hujusmodi visiones, imò imponat illi, ut manifestet quæcumque videt, sive vera ea sint, sive falsa, ut docet S. Theresia (*Mans. V. c. 9.*), sed è contrario nullam ostendat curiositatem sciendi hujusmodi visiones, neque de his minutè animam interroget: nec præveniat dicendo: *Non fuit sic? Vidistine hoc, vel illud?* quia tunc facillè anima respondet affirmativè aut ex sua malitia, aut simplicitate. Si apertè noverit hujusmodi visiones esse opus phantasie, aut diabolicum, quia fortè arcent animam ab obedientia, humilitate, aut ab alia virtute, tunc patenter ei hoc dicat. Si verò id Confessarius non discernat, non omnino expedit indubitanter asserere visiones illas esse vel diabolicas, vel phantasias, quemadmodum solent quidam nimis increduli (ad differentiam aliorum qui nimis creduli omnes habent ut veras): sed dicat pœnitenti, ut oret Deum quòd non ampliùs ducatur per vias adeo periculosas, se protestando quòd quamdiu vivet in terris, velit Deum cognoscere solùm per viam fidei. Cæterùm insinuet, ut ex visionibus habitis, vel falsis, vel veris illum percipiat fructum, qui magis est necessarius, et præcipuè se rectè cum Deo gerendi; ita enim agendo, quamquam visiones fuerint à dæmone, dæmon remanebit elusus.

141. Quod verò ad *Locutionem* attinet, *locutio esse potest successiva, formalis et substantialis*. Successiva est quando anima meditando aliquam veritatem fidei, sentit sibi quasi responderi ab ipsomet suo spiritu, sed veluti ac esset persona extranea. Hæc quando bonos parit effectus, ut essent amoris, aut humilitatis extraordinariæ, esse potest speciale Dei lumen: sed quando non videt augeri consuetum amorem, indicium est, eam esse intelligentiam proprii intellectûs. *Formalis* est quando anima audit aliqua verba formata, sed extra se; et potest hæc percipi vel auribus, vel imaginativa, vel intellectu. Hæc, ut discernatur utrùm sit divina, vel diabolica, videndæ sunt res quas exprimit, aut faciendas imponit; et effectus quos relinquit. Præcipuè, si est di-

vina, imponitque opera patientiæ, propriæ abjectionis, aut quodvis aliud opus spirituale, relinquet facilitatem quamdam ad omnia toleranda, ad operandum, et se humiliandum. *Substantialis* est eadem ac formalis, et solùm differt in effectu; quoniam formalis aut instruit, aut imponit; substantialis verò cito operatur id quod exprimit; ut ex. g. si diceret: *Consolare; noli timere: dilige me*: anima tunc in eodem temporis puncto remanet consolatione repleta, intrepida, aut amoris igne succensa. Hæc locutio cæteris omnibus est securior; prima enim est valde incerta: secunda, id est formalis, est multùm suspecta, præsertim quando jubet res exequendas; unde Director si observat ea quæ jubentur esse Christianæ prudentiæ opposita, debet ea omnino prohibere; si verò non sint prudentiæ contraria, expedit, ut earum suspendat executionem quousque deveniat in majorem securitatem, et multò magis si res sint extraordinariæ.

142. Denique quod attinet ad *revelationes* rerum occultarum, aut futurarum, ut scilicet mysterium fidei, statûs conscientiarum, prædestinationis animarum, mortis, promotionis ad aliquam dignitatem, et his similia; hæc possunt tripliciter haberi, nempe per visiones, per locutiones, et per intelligentias nudarum veritatum. In hujusmodi Revelationibus debet director magnam adhibere prudentiam, nec sit nimis facilis ad credendum, et præcipuè ad exequendum, quando agitur de certiorando aliquem ob notitiam in Revelatione acceptam. Ante omnia jubeat animæ, ne revelationem aliis indicet, et ipse cautissimè semper procedat, imò utatur sapientiorum consilio, quoniam ut plurimum tales revelationes dubiæ sunt, et suspectæ. Minùs verò suspectæ sunt intelligentiæ simplicium veritatum circa mysteria, attributa divina, malitiam peccati, damnatorum infelicitatem, et his similia: hæc quando sunt fidei conformia, inquit S. Joannes à Cruce (*Salita l. II. c. 33*), quòd anima non debet illas expetere; sed si ipsi concedantur, humiliter sunt ab ea accipiendæ, et non refutandæ.

143. Oritur hîc dubium: Utrùm omnes istæ species gratiarum et communicationum supernaturalium debeant rejici, aut acceptari. Et distinguendum est, ut ait doctus quidam Auctor (*F. Bernard. da Casteloetere Direct. Miss. l. 2. p. 2. c. 1.*) cum S. Joanne à Cruce, et aliis: gratiæ illæ quæ elongant à fide, ex eo quia consistunt in quibusdam notitiis distinctis, ut sunt visiones, locutiones, et revelationes, has oportet omni conatu rejicere; sed illæ, ex opposito, quæ sunt uniformes fidei, ut sunt notitiæ confusæ, et generales, et tactus divini, qui uniunt animam Deo, non sunt rejiciendæ, imò possunt humiliter expeti, et desiderari, ut magis magisque Deo uniatur, et in suo sancto amore solidetur. Hoc nihilominus intelligitur pro illis animabus, quæ jam donantur similibus favoribus, quoniam pro aliis tutior via est desiderare et expetere tantummodo unionem activam, quæ, ut diximus, est unio voluntatis nostræ cum divina voluntate. Director igitur quando ei occurrerit anima cum his communicationibus

contemplationis, aut caliginis, aut unionis, non debet ei imponere, ut eas rejiciat, sed ut humiliter, et cum gratiarum actione recipiat. Semper verò utatur verbis, quæ animam non omnino securam efficiant, sed relinquunt quemdam timorem, qui eam etsi non conturbet, detineat verò in humilitate, et ab omnibus alienatione. Gratias autem quarumdam notitiarum distinctarum quæ habentur per viam visionum, et his similium, ut superius diximus, jubeat Confessarius constantissimè recusari, semper tamen in spiritu humilitatis (et sine ullo contemptu, ut expuendi in faciem, irridendi etc. quod non licet, ut plures asserunt); et protestando se coram Deo: Se velle ei in pura fide servire. Cæterùm, inquit S. Theresia (*Vita c. 15. et Mans. VI. c. 9.*) quòd quotiescumque anima sentit se suaviter accendi ad amorem erga Deum, habere debet communicationem tanquam divinam, non ideo ut credat se aliis meliorem, sed ut animam faciat ad perfectiùs coram Deo ambulandum; ait enim agendo Deus efficiet ut dæmon, etiamsi iste aliquam partem haberet, victus remaneat, et suis ipsis armis sibi damnificet.

144. Sed concludamus. Director ergo 1. Imponat animæ, ut superius diximus, ut fideliter enarret omnes communicationes quas habet in oratione, nullam tamen eas sciendi gulam demonstret: nec unquam alii manifestet gratias supernaturales suo pœnitenti concessas; fiet enim ut illi ejus precibus se commendent, eamque maximo superbiendi periculo exponant: vel si post hanc notitiam, levissimum intueantur defectum, multùm scandalizabuntur, et in derisione habebunt. 2. Non ostendat huic animæ talibus favoribus distinctæ particulare aliquod signum æstimationis, et multò minùs mittat alias pœnitentes ad petendum consilium ab ea, vel ad exposcendum solatium, aut directionem: potiùs ostendat minoris eam facere, quàm alias animas quæ ambulant per viam fidei, quoniam animæ his favoribus ornatae, regulariter loquendo, semper et multùm sunt humiliandæ. 3. Si advertat animam servare humilitatem, atque timorem in istis divinis communicationibus, oportet eam adjuvare, imò et securam facere, quoties expedire cognoverit. Inquit S. Theresia; quòd anima nunquam movebitur ad magna pro Deo gerenda, nisi agnoverit se magna accepisse à Deo. Et quidem eadem Sancta, quando à SS. Francisco Borgia, et Petro de Alcantara fuit facta securior, dona quæ ipsa acceperat, esse verè divina, ex eo tempore ad perfectionem non ampliùs currit, sed evolavit. Neque ex eò quòd cernit director animam identidem in aliquem defectum incidere (quoties defectus non sunt plenè deliberati, aut commissi cum adhærentia, et contemptu) reputare debet omnes hujusmodi communicationes pro mendaciis, et illusionibus. Dominus tales gratias concedit non tantùm animabus perfectis, sed aliquando etiam imperfectis, ea scilicet ratione, ut liberet à suis imperfectionibus, et ad vitam perfectiorem extollat. Unde quando dignoscitur quòd per hujusmodi communicationes anima magis magisque se liberat à passionibus, et proficit in amore di-

vino, atque in desiderio perfectionis, signum est quòd illæ sint bonæ. De reliquo quando agitur de gratiis externis, ut sunt visiones, locutiones, et revelationes, regulariter loquendo, ut diximus, tutius est, ut director ostendat se parvi eas facere, dicendo id quod ait S. Theresia è cælo post obitum suum cuidam personæ Religiosæ: *Ne fidant animæ visionibus, et revelationibus particularibus, nec collocent perfectionem in eis habendis: licet enim aliquæ ex eis sint veræ, plures nihilominus sunt falsæ, et mendaces: et difficile est invenire unam veritatem in plura mendacia* (quare plures sunt visiones falsæ quàm veræ); *et quo acrius expetentur, et in pretio habebuntur, eò magis persona aberabit à fide, et humilitate, quæ est via tutior quam posuerit Deus.* Quare det ei consilium, ut oret Deum, ut veram concedat extasim, scilicet totalem à rebus terrenis, et à semetipsa alienationem, sine qua ad perfectionem nunquam valebit pervenire. Quòd si unquam director advertat animam non esse bene fundatam in suæ miseris cognitione, et vellet pro certo tenere quòd suæ communicationes sint divinæ; et turbaretur audiendo, quòd Director mollet eas credere uti tales, pessimum signum est: signum est quòd illæ sint dæmonis ex effectibus qui observantur, scilicet adhærensionis, superbis; aut indicium est quòd anima non bene ambulet, quoniam ipsa saltem dubitare deberet, quoties dubitat Confessarius, et ideo in hoc casu omnibus modis est humilianda, et in timore detinenda quantum fieri potest; et tunc si nec etiam acquiescit, privet eam Communionem, et severius mortificet, quia tunc in magno versatur periculo, ne decipiatur à dæmone. Demique director etsi indicarat reddere animam certiozem, quòd suæ communicationes sint à Deo, tamen ei insinuet, ut in Oratione semper præ oculis habeat (vel saltem in principio) punctum aliquod vitæ, vel passionis Jesu Christi. Dicebat S. Theresia, animam quæ amittit directionem boni Jesu, nunquam perventuram ad perfectam cum Deo unionem. Animæ incipientes meditantur Domini passionem per modum discursûs; contemplativè verò non utuntur discursu, sed proposito sibi mysterio aliquo admirantur bonitatem, misericordiam, amorem divinum, et hinc Deus facit eas transire, quando ei placuerit, ad contemplationem suæ divinitatis.

§. III. De Mortificatione.

145. QUOAD mortificationem oportet advertere, quòd quando animæ vitam spiritualem incipiunt, ex eò quòd solet tunc Dominus, ut diximus, eas allicere consolationibus sensibilibus, in primis illis fervoribus velent se interficere disciplinis, ciliciis, jejuniis, et similibus exercitiis afflictivis. Interea oportet, ut director sit parcissimus in hujusmodi mortificationibus concedendis: nam aliàs superveniente inde tempore ariditatis, ut ordinariè solet accedere, facilè anima destituta suo pristino fervore sensibili, omittet omnes suas mortificationes, et incipiens inde diffidere,

relinquet etiam orationem, et vitam ipsam spiritualem, utpote res minùs sibi accomodatas, et consequenter amittet omnia. Aliquando etiam accidit, ut hæ animæ incipientes ratione primi illius fervoris dent in res immoderatas, et incidant in morbos corporales, et tunc ut reficiantur, omittunt omnia exercitia spiritualia non sine ingenti periculo ampliùs ea non resumendi. Ideo director curare debet, ut priùs ipsæ in vita spirituali solidentur, et postea consideratis circumstantiis sanitatis, occupationum, atque fervoris, concedat illis eas mortificationes externas, quas ipsi magis judicaverit convenire secundùm christianam prudentiam. Dico *secundùm christianam prudentiam*; quoniam dantur aliqui directores adeo imprudentes, qui omnem animæ progressum collocare videntur in onerando eam jejuniis, ciliciis, disciplinis sanguineis, adustionibus, et his similia. Alii verò omnes omnino mortificationes externas videntur reprobare tanquam mutiles spirituali progressui, totam perfectionem in interiori mortificatione collocando. Sed hi etiam errant ut primi, quoniam mortificationes corporales adjuvant internas, et sunt quodammodo necessariæ (quando possunt exerceri) ad frænandos sensus, et ideo legitur ab omnibus sanctis plus minùsve fuisse frequentatas. Verum quidem est, quòd mortificatio interior passionum est à pœnitentibus potissimùm exigenda; ut ex. gr. esset, non respondere injuriis, non quærere, neque manifestare aliis quæ tendunt ad propriam æstimationem, cedere in contentionibus, aliorum voluntati condescendere (sed sine damno spirituali); unde expedit aliquando alicui animæ prohibere omnes mortificationes externas, quousque se sentiat liberam ab aliqua passione magis dominante, ut vanitatis, rancoris, cupiditatis rerum hujus mundi, æstimationis propriæ, aut propriæ voluntatis. Sed absolutè asserere, mortificationes externas nihil, aut parùm prodesse, maximus error est. Dicebat S. Joannes à Cruce ei qui reprobat pœnitentias, nullam præstandam esse fidem, etiamsi miracula perpetraret.

146. Ab initio ergo director ante omnia injungat pœnitenti, ut nihil unquam faciat contra, aut sine ejus obedientia. Qui contra obedientiam pœnitentias agunt, inquit S. Joannes à Cruce: *Hi magis progrediuntur in vitiis quàm in virtutibus*. Sit quoque, ut dixi, valde retinens in concedendis hujusmodi mortificationibus, quamvis id importuniùs efflagitent pœnitentes; satis erit ab initio eis concedere aliquam tenuem, sed raram mortificationem, ut disciplinam, catenulam ferream, abstinentiam, potiùs ad ingendum in eorum animis mortificationis desiderium, quàm ad eos ut convenit mortificandos; et postea processu temporis poterit liberaliùs agere juxta progressum quem anima faciet in virtutibus; quando enim illa erit in spiritu solidata, non poterit ei sine scrupulo opportunas mortificationes denegare. Cæterùm, ordinariè loquendo, generalem hanc regulam sibi proponat, nunquam scilicet concedendi mortificationes externas, nisi priùs requisitus, quia hæ non multùm prosunt, si absque magna appe-

tentia recipiantur : et quoties concedit, semper minùs quàm postulatur concedat, et potiùs, ut inquit Cassianus, excedat in denegando, quàm in concedendo. Præcipuè curet suadere mortificationem externam circa gulam, cujus quædam animæ spirituales non admodum sunt amantes : hæc revera est omnium durissima, sed utilissima spiritui, et sæpe etiam corpori : dicebat S. Philippus Neriùs : *Qui non coercet gulam, nunquam perveniet ad perfectionem.* E contrariò sit parcus in concedendis mortificationibus somni, quoniam hæc facillè tum corporis, tum spiritùs saluti sunt nocivæ ; sublato enim somno sufficienti, patitur caput, et languente capite remanet persona inhabilis ad meditandum. et ad cætera alia exercitia devotionis. Quamcumque vero mortificationem concesserit pœnitenti, ut omnem illi auferat superbiendi occasionem, persuadeat illi hoc nihil prorsus, esse respectu ejus quod Sancti fecerunt, et respectu pœnarum quas pro nobis perpessus est Jesus Christus. Dicebat S. Theresia : *Totum est immunditia quidquid agere possumus in comparatione unius sanguinis guttæ quam Dominus effudit pro nobis.* Meliores mortificationes, utiliores, et periculis minùs obnoxix sunt negativæ, ad quas faciendas, regulariter loquendo, non est necessaria obedientia directoris, ut esset privare se visione, aut auditione rerum curiosarum : loqui parcè : contentus esse cibis gustui minùs acceptis, seu malè conditis : non accedere ad ignem tempore hyemis : eligere pro se res viliores : exultare et lætare deficientibus quibusdam rebus etiam necessariis ; quoniam in hoc consistit virtus paupertatis, ut ait S. Bernardus : *Virtus paupertatis non est paupertas, sed amor paupertatis.* Insuper non queri de incommodis temporum ; de contemptu suò ipsius ; de persecutionibus, molestiisque infirmitatibus corporis. Scalpro cruciatuum, et dolorum perficiuntur lapides Jerusalem cœlestis. Dicebat S. Theresia : *Credere quòd Deus admittat in suam amicitiam gentem commoditatis amicam, dementia est. Animæ, quæ verè diligunt Deum, nesciunt quietem expetere.*

147. Hic oritur dubium : Evangelium in quodam loco ait : *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est. Matth. 5. 16.* Alio loco dicit : *Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua. Matth. 6. 3.* Quæritur ergo, utrùm actus virtutis sint manifestandi aliis, vel occultandi ? Et respondetur distinguendo : opera communia ad virtutem Christianam necessaria exerceri debent palam ; ut esset frequentia Sacramentorum, oratio mentalis, visitatio Venerabilis, audire Missam genibus flexis, et cum interiori spiritùs recollectione ; deferre oculos modestos, silentium in Ecclesia servare ; dicere : *Volo sanctus evadere* ; fugere garrulitatem, conversationes periculosas, curiositates, et his similia. Opera verò quæ dicuntur supererogationis extraordinariæ, et quæ sapiunt singularitatem, ut supra enarratæ pœnitentiæ externæ ciliciorum, flagellorum, orationis, cum brachiis in crucem expansis, comestionis herbarum

amariorum, suspiriorum, fletûs tempore orationis, etc., occultari debent, quantum possibile est. Reliqua verò opera virtutis ut ministrare infirmis, erogare eleemosynam pauperibus, humiliare se facienti injurias, et similia; hæc melius erit occultare quantum fieri potest: sed si fortè exerceri nequeant nisi publicè, non debent prætermitti, dummodo fiant tantum intuitu placendi Deo.

§. IV. De frequentia Sacramentorum.

148. TANDEM dicenda sunt aliqua de modo quo Confessarius dirigere debet animas spirituales circa frequentiam Sacramentorum, scilicet Confessionis, et Communionis. Quod spectat ad confessionem, expedit ipsis insinuare, ut generaliter de suis peccatis confiteantur, si adhuc non fecerint; qui si fortè jam fecerint, vel si anima esset scrupulis agitata, oportet omnino confessionem hanc prohibere; quoad verò confessionem ordinariam, quædam animæ delicatioris conscientiæ consueverunt quotidie confiteri; sed, generaliter loquendo, sufficiet personis spiritualibus præsertim scrupulosis confiteri semel, aut ad summum bis in hebdomada. Sed quando aliqua ex istis gravaretur aliqua culpa levi, et non haberet opportunitatem confitendi, dicit P. Barisonius in suo tractatu de Communionem, innixus auctoritati S. Ambrosii, et complurium aliorum Auctorum (quod etiam suadet S. Franciscus Salesius in quadam sua Epistola), quòd non ideo omittere debet Communionem; ad remissionem enim venialium docet sacrum Concilium Tridentinum esse quoque alia media, ut essent actus contritionis, et amoris; unde melius tunc est ad purificandam animam à culpa illa, uti istis mediis, quàm privari Communionem propter absentiam Confessarii. Et sapiens quidam director dicebat, quòd aliquando longè fructuosius est pro quibusdam animabus timoratis disponere se ad Communionem actibus suis, quàm cum ipsa confessione. Et multoties accidit, quòd tunc anima se disponat actibus ferventioribus contritionis, confidentiæ, et humilitatis.

149. Quoad verò Communionem, non loquimur hîc de obligatione Pastorum animarum non negandi Communionem cuicumque subdito qui non sit publicè peccator, et quoties rationabiliter petat. Satis de hoc egimus in Libro (*Lib. 6. num. 254.*), in quo vidimus, Innocentium XI in quodam suo Decreto ordinasse usum Communionis frequentis totum remitti prudentiæ Confessariorum; unde sine evidenti causa, nescio quomodo Parochi possint tuta conscientia denegare petentibus Communionem. Et notandum est, quòd in præfato Decreto prohibetur Episcopis præscribere in genere suis subditis dies ad faciendam Communionem; sed loquimur hîc duntaxat de modo quo Confessarii debent se gerere in concedenda Communionem suis pœnitentibus. In hoc quidam errant ob nimiam indulgentiam, alii ob nimium rigorem. Non est dubium quin error sit, ut advertit SS. P. Benedictus XIV in aureo suo libro de Synòdo, concedere Com-

munionem frequentem iis qui sæpe in peccata gravia labuntur, nec solliciti sunt de agenda pœnitentia, ac de sua emendatione; aut iis qui accedunt ad Communionem cum affectu ad peccata venialia deliberata sine ullo desiderio se ab eis liberandi (*Lib. 6. num. 270.*) Expedi quidem aliquando concedere Communionem aliquibus, qui essent in periculo labendi in peccata lethalia, ut vires recipiant ad resistendum: sed respectu earum personarum, quæ non existunt in tali periculo, et è contra committunt ordinariè peccata venialia deliberata, et nulla in eis emendatio, neque desiderium emendationis effulget, optimum erit non permittere eis Communionem plusquam semel in hebdomada, imò poterit expediens esse illis aliquando per integram hebdomadam Communionem interdicerè, ut majorem concipiant horrorem in suos defectus, et majorem erga Sacramentum hoc reverentiam (*c. Peracta, 2. Dist. 2. de Consecration.*). Tantò magis, quòd sententia communior tenet, recipere Eucharistiam cum peccato levi actuali, aut cum affectu ad ipsum, novam esse culpam ratione irreverentiæ quæ irrogatur Sacramento. Quidam afferunt Decretum S. Anacleti (*Catech. Rom. de Sacram. Eucharist. n. 2. n. 61.*) in quo habetur: « Peracta consecratione omnes » communicent, qui noluerint Ecclesiasticis carere liminibus; sic » enim et apostoli statuerunt, et S. Romana tenet Ecclesia. » Sed in primis negatur à P. Suarez, et aliis quòd unquam fuerit tale Apostolorum præceptum. Secundo Decretum istud, ut Glossa ibidem testatur, et Catechismus Romanus (*Ibid. n. 60.*), non obligabat omnes fideles, sed tantum ministros assistentes altari. Et tandem posito quòd Decretum obligaret omnes, certum est, hodie in desuetudinem abiisse.

150. E contrario errant certè quidam alii Directores, et multum se elongant à spiritu Ecclesiæ, dum sine ullo respectu ad exigentiam aut progressum animarum, negant indiscriminatim Communionem frequentem, non alia ratione ducti, quàm quia frequens est. Ipse Catechismus Romanus (*Ibid.*) explicans desiderium S. Concilii Tridentini, ut omnes sacrificio Missæ adstantes communicent, docet, esse officium Parochi sedulo hortari fideles ad Communionem non modò frequentem, sed etiam quotidianam: cum obligatione instruendi illos quòd sicut corpus, ita et anima eget quotidiano alimento. Prætermitto hæc afferre Sanctorum Patrum, et magistrorum spiritus auctoritates omnino conformes, quoniam hæc reperiuntur annotatæ in tot libris, qui tractant de frequenti Communione. Sufficiat scire ex Catechismo Romano loco supra citato, et ex Decreto Innocentii XI relato in nostro libro (*Lib. 6. n. 254.*), quòd frequens Communionis usus, imò quotidianus fuit semper ab Ecclesia et ab omnibus Patribus approbatus; qui, ut demonstrat doctus quidam auctor, quoties adverterunt frigesce re usum Communionis quotidianæ, omnem diligentiam adhibuerunt ad illum reintegrandum. Et in III Synodo Mediolanensi habita sub S. Carolo Borromæo, injunctum fuit Parochis exhortari fideles in concionibus ad hanc.

frequentiam Communionis; et insuper impositum fuit Episcopis provinciarum, ut prohiberent concionari, et severius punirent eos qui oppositum disseminarent tanquam scandalorum satores, et totius Ecclesiarum sensui contradicentes. Insuper in præfato Decreto Innocentii imponitur Episcopis, ut diligentissimè caveant, ne alicui Communio denegetur, etiam quotidiana, et quærant, ut par est, in suis subditis hanc alere devotionem. Fatentur ultro quidam spiritus rigidiores licitam quidem esse Communionem quotidianam, sed dicunt requiri ad hoc debitam dispositionem; sed scire ab ipsis desideramus quidnam intelligant hoc nomine *debitæ dispositionis*? Si intelligunt dignam, equis unquam deberet ampliùs ad Eucharistiam accedere? Solus Jesus Christus dignè Eucharistiam sumpsit, quia solus Deus dignè Deum potuit recipere. Si verò convenientem dispositionem intelligunt, jam superiùs dictum est, quòd iis qui actualia habent peccata venialia, aut affectum ad illa, sine desiderio emendationis, æquum est frequentem Communionem denegare. Sed si postea loquamur de illis, qui sublato jam affectu etiam ad venialia, et superata majori parte pravitarum suarum inclinationum, inagnum communicandi desiderium habent, inquit S. Franciscus Salesius (*Introd. alla vita divota c. 20.*) quòd hi prævio sui Directoris consilio rectè possunt communicare quotidie. Et S. Thomas (*4. Sent. Dist. 12.*) docet quòd quando anima aliqua experitur beneficio Communionis se crescere in amore divino, nec imminui reverentiam in Sacramentum, non debet abstinere à Communione etiam quotidiana; en ipsa S. Doctoris verba: « Si aliquis experientia communi perisset ex quotidiana Communione augeri amoris fervorem, et non minui reverentiam, talis deberet quotidie communicare. »

151. Et quamvis aliquo die à Communionem abstinere sit etiam virtus, tamen inquit P. Granata in suo Tractatu de Communionem, esse communem Doctorum opinionem, quòd melius sit accedere quotidie ad Communionem ob amorem, quàm abstinere ob reverentiam. Et hoc confirmat idem S. Thomas (*p. 3. qu. 80. art. 10. ad. 3.*) dicens: « Et ideo utrumque pertinet ad reverentiam hujus Sacramenti, et quòd quotidie sumatur, et quòd aliquando abstinenceatur... Amor tamen, et spes, ad quæ semper Scriptura nos provocat, præferuntur timori. » Imò rectè ait P. Barisonius, quòd ille, qui ad Eucharistiam accedit cum desiderio crescendi in amore divino, etiam reverentiæ actum exercet erga Jesum Christum: imò hic facit actum positivum, quando, ille qui abstinet, facit tantummodo negativum. Plures Sancti, qui magnam erga hoc Sacramentum reverentiam habuerunt, non abstinuerunt a quotidiana Communionem: ut consueverunt S. Gertrudis, S. Catharina Senensis, S. Theresia, B. Joanna de Chantal, et alii. Et asserentibus hodie non ampliùs existere has S. Theresias, rectè reponit idem P. Barisonius, temeritatem hanc esse supponere quòd hodie manus Domini sit abbreviata, V. P. Magister Avila non dubitat dicere quòd illi qui damnant eos, qui sæpiùs ad Eucharistiam accedunt, dæmonis officio funguntur.

152. Cæterum considerando relatas doctrinas, videtur non posse Director sine scrupulo negare Communionem frequentem et etiam quotidianam (excipe ordinariè loquendo unum diem in quavis hebdomada, ut facere solent prudentes aliqui Directores, et excipe tempus illud quo privare velint pœnitentes communionem, ad probandam eorum obedientiam, aut humilitatem, aut ob aliquam aliam justam causam) quibusdam animabus eam desiderantibus, ut proficiant in divino amore; semper verò ac illa vivendo alienata ab affectu cujuscumque culpæ venialis, incumbit insuper multum orationi mentali, et conatur tendere ad perfectionem; et ampliùs non labitur in peccata, etiam venialia plenè voluntaria. Hæc enim, ut ait S. Prosper, est perfectio, quæ potest in hac vita haberi, attenta humana fragilitate. Et quando Confessarius utile esse cognoverit concedere Communionem frequentem similibus personis, inquit Innocentius XI in suo Decreto, nihil obstare, quòd sint etiam negotiatores, et conjugati. En ejus verba : « Frequens (ad Eucharistiam) accessus » Confessariorum judicio est relinquendus, qui ex conscientiarum » puritate, et frequentia fructu, et ad pietatem processu laicis, » negotiatoribus, et conjugatis, quod prospiciunt eorum saluti » profuturum, id illis præscribere debebunt. »

153. Et quamvis anima aliqua caderet aliquando in veniale peccatum voluntarium ob meram fragilitatem, sed citò postea doleret, emendationemque proponeret; si deinde Communionem desideraret ad robur accipiendum à Sacramento, ne cedat, et ad progrediendum in via perfectionis, quam de causa ei esset deneganda Communionem? Damnata jam fuit ab Alexand. VIII propositio 22. Baii, quæ dicebat : « Sacrilegi sunt judicandi qui jus » ad Communionem percipiendam prætendunt, antequam de de- » lictis suis pœnitentiam egerint. Et Propositio 23. Similiter » arcendi sunt à sacra Communionem quibus nondum inest amor » Dei purissimus, et omnis mixtionis expers. » Sacrum Concilium Tridentinum vocabat hoc Sacramentum : « Antidotum quo libe- » ramur à culpis quotidianis, et à peccatis mortalibus præserva- » mur. » Et quidem ad hunc finem præservandi animam à reci- » divis, Apostoli Communionem quodiam primitivis Christianis concedebant, inter quos sine ullo dubio reperiebantur similiter imperfecti, et fortasse imperfectiores, ut arguitur ex Episto- » lis SS. Pauli, et Jacobi. S. Ecclesia (in Postcommunionem Dom. XXIII post Pentecosten) orat, « ut quidquid in nostrâ » mente vitiosum est, dono medicationis hujus Sacramenti cure- » tur. » Ergo communicatio fuit instituta etiam pro imperfectis, ut virtute hujus cibi sanentur. Notandum insuper est id quod S. Franciscus Salesius in sua Philothea (Vita Devota c. 21) in hoc proposito dicit : « Si quærunt à te cur tam frequenter com- » munices, responde illis, quòd duplex personarum genus debeat » sæpius communicare, perfecti scilicet, et imperfecti; perfecti, » ut se in perfectione conservent; imperfecti, ut ad perfectionem » valeant pervenire. Fortes, ne debiles fiant; debiles, ut fortes

» evadant; infirmi, ut curentur, bene valentes, ne infirmentur.
 » Et quod ad te attinet utpote imperfectam, infirmam ac debilem,
 » eges frequenti Communione. Dic illis, quod illi, qui mundanis
 » negotiis non sunt implicati, debeant sæpius communicare, quia
 » habent opportunitatem; qui verò hujusmodi negotiis detinentur,
 » quia egent Communione.» Denique Sanctus concludit, dicens:
 « Accede sæpius, ô Philothea, ad Eucharistiam, imò quàm sæpis-
 » sime consilio tui directoris, et crede mihi, quod lepores in nostris
 » montibus albi evadant non alia ratione, nisi quia non edunt nisi
 » nivem: et tu comedendo puritatem in hoc Sacramento tota pura
 » evades.» Item P. Granata in suo tractatu de Communionem ait:
 « Non debet homo recedere ab hoc Sacramento ob propriam in-
 » dignitatem; pro pauperibus enim relictus est hic thesaurus, et
 » pro infirmis hæc medicina: itaque nemo (*subdit*) quantum
 » imperfectum se noscat, debet se longè ab hoc remedio tenere, si
 » verè curari desiderat.» Imò, ait idem auctor, quòd quantò
 » magis quis se debilem noscit, tantò magis ad hunc cibum fortium
 » debet accedere: quòd valde consonat cum eo quòd inquit S. Am-
 » brosius (*Lib. 4. de Sacram. c. 6.*): « Qui semper pecco, debeo
 » semper habere medicinam: » et S. Augustinus (*Lib. 5. de*
Sacram. c. 4.) «: Quotidie peccas, quotidie sume.»

154. Adde, quòd S. Thomas docet (*S. Th. 3. p. q. 79. art. 8.*)
 effectum Sacramenti, quantum ad augmentum gratiæ, non im-
 » pediri à peccatis venialibus, dummodo non committantur in ipsa
 » Communionem: et quamvis hæc impediunt in parte, non tamen
 » in toto effectum Sacramenti impediunt. Hanc sententiam com-
 » muniter tenent Sotus, Suarez, Valentia, Vasquez, Coninkius,
 » et plures alii apud Salmanticenses (*Lib. 6. n. 270. v. Qu. II.*)
 » Insuper tenent plures graviore Auctores (*Ibid. n. 269. Eff. II.*),
 » hoc Sacramentum ex opere operato remittere peccata venialia,
 » de quibus anima actualem complacentiam non habeat; atque
 » hoc concordat cum eo, quòd ait Catechismus Romanus (*De Eu-
 » char. p. 2. n. 52.*): « Remitti verò Eucharistia, et condonari
 » leviora, quæ venialia dici solent, non est quòd dubitari de-
 » beat: quidquid enim cupiditatis ardore anima omisit, totum
 » Eucharistia, eas minores culpas abstergens, restituit.» Sal-
 » tem, ut ait Angelicus (*D. Th. 3. p. qu. 79. art. 4.*) cum communi,
 » excitatur per Communionem actus charitatis, quo inde peccata
 » remittuntur: « Qui (*actus charitatis*) excitatur in hoc Sacra-
 » mento, per quem peccata venialia solvuntur.»

155. Quòd si postea dignoscatur, non obstante frequentia
 » Communionem, animam nihil proficere in via perfectionis, neque
 » se emendare à culpis deliberatis, licèt venialibus, ut si adhæret
 » etiam voluptatibus sensuum in videndo, audiendo, edendo, cum
 » aliqua vanitate vestiendo, tunc certè consultò restringendus erit
 » usus Communionem, etiam ut seriò cogitare incipiat de sua emen-
 » datione, et suæ spirituali perfectioni consulere. Cæterum adver-
 » tendum est, quòd licèt juxta S. Thomam (*Ibid. qu. 80. art. 10.*),
 » ut possit quis ad Communionem accedere, requiratur, ut cum

magna devotione accedat : nihilominus non est necessarium, ut illa sit summa, vel apertè sensibilis. Sufficit Directori detegere in intimo voluntatis sui pœnitentis quamdam alacritatem ad exequenda quæcumque Deo placuerint. Qui à Communionem abstineret, quia non sentiret in se magnum quemdam fervorem, inquit doctus Gerson; esset comparandus illi qui nimis frigescebat nollet ad ignem accedere, quia nullum in se experitur calorem. Unde docet P. Granada cum Cajetano, personas pusillanimes, quæ ob immoderatum timorem suæ indignitatis Communionem omittunt, magnum suo proprio progressui inferre præjudicium. Neque ad prosequendas Communionem, inquit S. Laurentius Justinianus, oportet, ut anima sentiat, aut apertè in se discernat augmentum fervoris, quoniam non rarò hoc Sacramentum operatur, absque eò quòd ipsi animadvertamus. S. Bonaventura inquit (*De Profectu Religios. c. 78.*) : « Licet tepidè, tamen confidens de misericordia Dei fiducialiter accedas, quia qui se indignum reputat, cogitet, quòd tantò magis egeat medico, » quantò senserit se ægrotum : neque ideo quæris te jungere Christo, ut tu eum sanctifices, sed ut sanctificeris ab illo. » Et postea subdit : « Neque prætermittenda est sancta Communio si quandoque non sentit homo specialem devotionem, cum se ad illam præparare studeat, vel in ipsa perceptione, vel post fortè minùs devotum se sentit, quàm vellet. » Ergo bene sentit Sanctus, quòd etsi anima experiretur minorem devotionem post susceptam Eucharistiam, quàm antea, nec etiam debeat eam omittere. Quapropter, quemadmodum quando anima sentit se maximopere ad Communionem inclinatum, expedit identidem eam mortificare Communionem differendo (præsertim si advertatur, quòd per illam prohibitionem turbetur; hujusmodi enim contristatio est argumentum superbæ, quæ eam verè reddit indignam); ita ex opposito quando sentit in se ariditatem, et tædium ad Eucharistiam suscipiendam, expedit tunc illam sæpius ad Communionem impellere, ut à Sacramento vires acquirat.

Ô utinam! concludo, ô utinam et in mundo plures animæ hujusmodi invenirentur (quæ à nonnullis ultra quàm convenit rigiditati addictis, irreverentes, et temerariæ vocantur), quæ odio habentes etiam culpas leviores, expeterent communicare, non modò frequenter, sed etiam quotidie, cum vero desiderio se emendandi, et in divino amore proficiendi : si enim hoc esset, longè plus in mundo Jesus Christus diligeretur. Bene experientia demonstrat omnibus his qui dirigendarum animarum munus exercent, ut et ego expertus sum, valde quidem proficere personas illas, quæ recto cum desiderio ad Communionem accedunt; et Dominum mirum in modum eas ad suum amorem pertrahere, quamvis sæpe hoc eis non manifestat pro majori earumdem bono : quin et multoties eas relinquit in tenebris, et desolatione, et sine ulla devotione sensibili. Animabus istis (ut docent S. Theresia, et S. Henricus Susonius) nullum efficacius est remedium, quàm frequens Communio. Unde, ut concludamus, curet Confessarius

Communione suadere, quoties verum desiderium demonstret, et quoties advertat animam in spiritu proficere beneficio Communionis. Curet etiam insinuare, ut post Communionem immoretur in gratiarum actione pro eo tempore quo potest. Paucissimi sunt directores qui sedulo id faciunt; scilicet inculcare suis pœnitentibus, ut per aliquod notabile tempus post susceptam Eucharistiam gratias agant, et ratio est, quia paucissimi sunt Sacerdotes qui post Missæ Sacrificium cum Jesu Christo in gratiarum actione subsistant; et ideo pudet eos aliis insinuare quod ipsi non faciunt. Gratiarum actio ordinariè per integram horam durare deberet; fiat saltem per dimidiam, in qua anima in amando et petendo se exerceat. Inquit S. Theresia, quòd post Communionem Jesus existit in anima tanquam in throno misericordiæ, ut illi gratias elargiatur, dicens: *Quid vis, ut tibi faciam?* Et alibi: Post Communionem non amittamus tam præclaram opportunitatem negotiandi. Non solet divina majestas malè rependere hospitium, si bene in anima excipiatur. Insinuet etiam, ut sæpius spiritualiter communicet: quæ res valde à Tridentino Concilio commendatur. « Spiritualiter communicare (*inquit S. Theresia*) » est valde utile. Nolite id prætermittire: hæc enim experietur » Dominus quantum eum ametis. »

§. V. Methodus vitæ pro aliqua Moniali qua exposceret dirigi per viam perfectionis.

156. ANTE omnia præmittere oportet, ea, quæ inferiùs exponam, intelligenda esse, quoties non obstat pœnitenti aliquod impedimentum sanitatis, officii, aut obedientiæ: quod etiam intelligendum est cum licentia Patris spiritualis, et etiam Præsulis monasterii, pro eo quod spectat mortificationes externas quæ aliorum oculis sunt expositæ.

157. Et primùm quoad orationem, 1. Tres saltem horas orationis mentalis efficere, unam mane, aliam vespere et aliam post Communionem. 2. Visitare SS. Sacramentum, et Mariam SS. per semihoram, vel saltem quadrantem. In his orationibus incumbat renovandis votis pluries in die, si jam emiserit professionem, vel illis quibus fortè se obligavit. 3. Recitare Rosarium saltem quinque decadam cum aliis orationibus vocalibus; sed hæc non sint plus justo, quia cum plures sunt, recitantur cum tenui fructu, caput aggravant, et inde orationem mentalem impediunt. 4. Ut sæpius orationibus jaculatoriis, ut e. c. « Deus » meus, et omnia, quàm bonus es Deus meus! Diligam te, Jesu » amor meus, pro me crucifixum, Domine quare non amaris ab » omnibus? Oh utinam et nunquam offendissem te! Volo, Domine, mine, quæcumque tu vis. Quando te videbo, et amabo de facie » ad faciem! Ecce me, fiat de me quodcumque vis. » Insinuet magnopere director hujusmodi jaculationes amoris, et anima magni eas faciat. 5. Orationi adjungere lectionem spiritualem per semihoram, legendo Opera vel Rodriquez, vel Santejuræi, vel monita ad Religiosos, vel alium librum qui tractet de virtutibus,

vel legere vitas Sanctorum, quarum lectio est fortassis cæteris omnibus utilior.

189. Secundò accedere quotidie ad Communionem, uno excepto die in quavis hebdomada. Sed in novenis Spiritûs Sancti, Nativitatis Domini, et Mariæ sanctissimæ, et sanctorum Patronorum communicet quotidie, et quotidie saltem ter communicet spiritualiter.

189. Tertiò quoad mortificationes, 1. Quotidie flagellationem incruentam per horæ quadrantem circiter, et sanguineam bis, vel saltem unam in mense adhibere. 2. Mane catenulam ferream usque ad prandium: post prandium verò aliquam parvam, in brachio. Nunquam tamen catenam circa cincturam, neque cilicia equinis crinibus contexta, quoniam hæc valde officiunt sanitati. 3. Jejunium in pane et aqua in die sabbati, et vigiliis septem festivitatum Mariæ, si commodè per valetudinem poterit, vel saltem unico tantùm uti obsonio. In refectioe vespertina ordinariè non excedere octo uncias cibi, nisi adfuerit aliqua extraordinaria urgentia; abstinere à fructibus diebus Mercurii et Veneris, et in Novenis superiùs enunciatis, in quibus potest etiam abstinere ab aliqua alia portione cibi consueti; et in edendo miscere cibis aliquam particulam herbæ amarioris, sed nunquam cinerem. Extra mensam nihil comedere, quoniam melius est, comparativè loquendo, quotidie prætatam abstinentiam exercere, quàm bis, vel ter in hebdomada jejunare. Somnus non extendatur ultra sex horas: semper verò ad quinque; quoniam excedens defectus somni nocet capiti, et impedit cætera exercitia spiritualia. 4. Servare silentium per tres horas diei, quod intelligi debet de non proferendis verbis non necessariis.

Monita in genere pro Perfectione.

180. I. COLLOCARE omnem suam fiduciam in Deo, et omnino diffidere de se, et de suis bonis propositis. Mascula determinatio se vincendi, vim sibi in occasionibus inferendi. Ait S. Theresia: « Si defectus non procedit à nobis, ne timeamus quòd Deus se » abstineat ab impertiendò nobis auxilia ad nostram sanctificationem. »

181. II. Cavere à quocumque minimo defectu deliberato, sive apertis oculis admissio. « A peccato deliberato (*inquit eadem* » *Sancta*), quantumvis parvo Deus vos liberet. » Subditque: « Dæmon enim per opera minimarum rerum, aliqua facit foramina, per quæ res magnæ ingrediuntur. »

182. III. Non tristari post admissos defectus, sed citò se humiliare, et ad Deum confugiendo cum brevi actu contritionis, et proposito, se in pace remittere; et ita semper se gerere, etiamsi centies in die quis caderet. Et in hoc monet S. Theresia ne communicentur propriæ tentationes animabus imperfectis, quia ita et sibi, et aliis dânum affertur.

183. IV. Alienare se ab omnibus propinquis, rebus, voluptatibus; aliter, inquit S. Theresia: « Anima non recedendo à vo-

» luptatibus mundanis, non post multum denuo recedet à via » Dei. » Effugere familiaritatem personarum diversi sexûs, quantumcumque fuerint religiosæ; sæpe enim diabolus introducit cum illis quasdam affectiunculas non puras, eas obtrudendo pro spiritualibus. Videantur notata n. 119. Oportet ante omnia renunciare propriæ æstimationi, et propriæ voluntati, imò et rebus spiritualibus, ut orationi, Communioni, et mortificationibus, quando hæc obedientia non permittit. Uno verbo oportet expellere à corde omne quod non est Deus, et quod non est secundum majus Dei beneplacitum.

164. V. Lætari cum spiritu quoties se cernit contemni, irrideri, et omnium vilissimum reputari. O quam pulchrè orat anima illa quæ vilipendia libenter amplectitur! præcipuè in Communitatibus in quibus hæc virtus est omnium longè necessaria; consequenter oportet fovere affectionem specialem erga nostros inimicos, et persecutores, illis inserviando, benefaciendo, honorando, saltem benedicendo, et commendando specialiter Deo quemadmodum Sancti facere consueverunt.

165. VI. Alere ardentissimum desiderium amandi Deum, illique placendi. Ait S. Theresia: « Dominus adeo desideriis delectatur, ac si fuissent executioni demandata. » Sine hoc desiderio anima non progredietur in via perfectionis, nec Deus largietur illi gratias valde speciales. Eadem S. ait: « Ordinariè Deus non impertitur favores multum singulares, nisi iis qui diu desideraverunt ejus amorem. » Ei desiderio oportet semper conjungere determinationem faciendi quantum possumus, ut Deo placeamus. Præfata Sancta inquit: « Diabolus potissimum timet magnanima corda. » Et alibi: « Nihil aliud à nobis exigit Dominus minus quam validam determinationem, ut reliquum ipse inde perficiat. » Oportet quoque fovere affectum summum erga orationem, quæ est fornax in qua accenditur amor divinus. Omnes Sancti, quoniam unicè Deum diligebant, unicè quoque dilexerunt Orationem. Est etiam necessarium, ut quis ardentè desideret Paradisum; in Cœlo enim animæ diligunt Deum cum omnibus viribus suis, quod consequi nemo potest in terra, et ideo vult Deus, ut ardentissimè hoc regnum desideremus, quod Jesus Christus nobis acquisivit sanguine suo.

166. VII. Habere magnam uniformitatem divinæ voluntati in omnibus rebus appetitui nostro contrariis, et se pluries in die Deo offerre. S. Theresia hoc quinquagies in die facere consueverat: « Non consistit progressus (*inquit Sancta*) in sibi procuranda majore fruitione Dei, sed in adimplenda illius voluntate. » Et alibi: « Vera unio est unire nostram cum divina voluntate. »

167. VIII. Præstare exactam obedientiam regulis, superioribus, et Patri spirituali. Dicebat. V. P. Vincentius Caraffa: « Obedientia est regina omnium virtutum; omnes enim virtutes obediunt obedientiæ. » Et S. Theresia: « Deus ab anima, quæ sibi proposuit illum amare, nihil aliud exigit quam obedi-

» tiam. » Perfecta verò obedientia consistit in citò, fideliter, alacriter, et sine ullo iudicio obediendo, nullam exquirendo rationem, quoties res iussa non sit certè peccatum, ut inquit SS. Bernardus, Franciscus Salesius, Ignatius Loyola, et omnes spiritualis vitæ magistri: et in rebus dubiis eligere id quod præsumitur quòd jussisset obedientia; et quando hæc præsumptio non posset haberi, id eligere quod magis nostris inclinationibus adversatur. Hoc est illud *Vince te ipsum* toties inculcatum à S. Francisco Xaverio, et S. Ignatio, qui solitus erat dicere longè pluries proficere animam mortificationis amicam unico horæ quadrante, quàm alias non mortificatas per plurimas horas.

168. IX. Attendere semper divinæ præsentiaë. Inquit S. Theresia: « omne malum proveniet ex eo quod non consideremus » Deum præsentem. » Qui verò amat, nunquam obliviscitur objecti amati. Ad conservandam verò memoriam hujus divinæ præsentiaë juvat in praxi aliquod speciale signum gestare, vel intra cubiculum habere. Maximè verò oportet hanc præsentiam fovere, sæpius in die repetendo actus amoris in Deum, et petendo divinum amorem. E. C. Deus meus, et omnia, Diligam te ex toto corde meo. Totum me tibi do. Fac de me quod tibi placuerit. Nil aliud volo nisi te, et tuam voluntatem. Da mihi amorem tuum, et dives sum satis, etc. Advertendum tamen est quòd actus isti faciendi sunt sine ulla vi, et nullam desiderando consolationem sensibilem; sed cum suavitate quadam, et voluntate, putà unicè Deo placendi. Asserebat S. Theresia: « Ne vereamur relinqui » irremuneratam à Deo vel unicam elevationem oculorum ad » ejus recordationem. »

169. X. Dirigere intentionem placendi Deo in quacumque actione quotidiana sive spirituali, sive corporali, dicendo: Domine, hoc facio tantum, ut placeam tibi. Recta intentio appellatur alchimia spiritualis, quæ omnes actiones, etiam viliores, aureas facit.

170. XI. Quotannis exercitia spiritualia peragere per octo, vel decem dies, alienando se, quantum fieri potest, ab omni conversatione, et officio quod distractiones afferat, ut solum cum Deo versetur. Similiter singulis mensibus aliquam diem ad se colligendum destinare. Devotè celebrare Novenas nativitatis Domini, Spiritûs Sancti, septem festivitatum Mariæ, S. Josephi, Angeli sui custodis, et Sancti tutelaris. In his Novenis poterit quotidie accedere ad communionem orando per horam, vel saltem dimidium plus consueto. Recitare aliquas alias orationes vocales, sed non multas; quoniam longè melius erit exercere determinatum quemdam numerum actuum amoris, vel similitum.

171. XII. Habere devotionem specialem erga S. Josephum, Angelum suum custodem, sanctum suum tutelarem, et præcipuè erga S. Michaelem universalem cunctorum fidelium patronum: Sed ante omnia erga Beatissimam Virginem Mariam, quæ ab Ecclesia nostra vita, et nostra spes appellatur; est enim mo-

raliter impossibile, ut anima multum in perfectione proficiat, sine particulari, et tenera quadam devotione erga sanctissimam Dei genitricem.

CAPITULUM X.

De quibusdam Monitis magis notatu dignis ad Confessarios et Parochos : cum praxi docendi orationem mentalem.

§. I. Monita ad Confessarios.

172. Ex his quæ superius diximus annotanda sunt hæc aliqua principaliora, et quæ advertere debet Confessarius in suo officio exercendo.

173. I. Ante omnia curet ex una parte summam adhibere charitatem in excipiendis peccatoribus, iisque animandis ad confidendum in divina misericordia, ex altera verò ob humanum respectum non prætermittat eos fortiter admonere, simulque ostendere ipsis statum infelicissimum, in quo reperiuntur, ac assignando media opportuna ad se liberandum ex malis habitibus jam contractis; et præcipue sit inflexibilis in differenda eisdem absolutione, quoties oporteat.

174. II. Ut plurimum interroget rudes, utrum sciant principalia fidei mysteria. Videatur circa hoc quod diximus n. 22.

175. III. Hujusmodi rudes, aut alios neglectæ conscientiæ non omittat interrogare circa ea, in quæ frequentius solent incidere; quoties ipsi ex se non confitentur.

176. IV. Cautissimè se gerat in interrogationibus de materia turpi, præsertim cum puellis, puerisque, ne isti addiscant quod ignorant. Et si ipse in hujusmodi materia tentationes patiat, elevet sæpius mentem ad Deum, se convertendo ad aliquam sacram imaginem; et priusquam incipiat Confessiones audire, renovet semper rectitudinem intentionis.

177. V. Patres, matresque familiâs interroget non modò in genere circa filiorum educationem, sed etiam in particulari; et maximè exquirat, utrum filios corrigant sicut decet; si curent, ut sciant doctrinam Christianam, ut vitent consortium personarum pravi exempli, et præsertim si sint puellæ, diligentissimè cavendo, ne conversentur cum juvenibus, et multo minùs cum personis suspectis, scilicet uxoris, Religiosis, et Ecclesiasticis.

178. VI. Pœnitentes, de quibus justa potest esse suspicio, quòd propter erubescientiam aliqua peccata tacuerint, (ut sunt rudes, mulieres, et pueri) interroget, utrum anteaetæ vitæ scrupulum aliquem habeant, eos animando ad dicendum omnia. Per has interrogationes solent liberari plures animæ à sacrilegiis.

179. VII. Etiamsi magnus esset pœnitentium concursus, non

se acceleret plusquam oportet, ita ut pro audiendis plurium Confessionibus, deficiat vel circa integritatem Confessionis, vel circa debitam dispositionem, aut omittat illis præbere monita necessaria.

180. VIII. Quando quis confitetur aliquod grave peccatum, et præsertim si pluries illud commiserit, non sufficit exquirere tantummodo speciem et numerum; sed interroget, utrùm antea in illud cadere consueverit; et insuper cum quam persona peccaverit? Et quo loco? ut intelligat utrùm sit habitus, aut occasio quæ sit auferenda. In hoc plures errant Confessarii, et inde tot tantarumque animarum ruina procedit; omittendo enim Confessarius hujusmodi interrogationes, nequit dignoscere, utrùm poenitens sit recidivus, et consequenter nequit illi tradere media opportuna ad evellendum habitum, et occasionem. Observetur quod dictum est in Cap. IV et V in quibus vidimus poenitentem recidivum omnino absolvi non posse, nisi post experientiam emendationis, vel post exhibitum extraordinarium aliquod signum suæ dispositionis. Et quando agitur de occasione proxima, fortiter se gerat sine ullo personarum respectu in differenda absolutione, quousque poenitens occasionem removeat, quando actu existit, ut explicavimus n. 64. Et si occasio est necessaria, saltem quousque è proxima evadat remota adhibendo media sibi assignata.

181. Speciali modo sit inflexibilis in deneganda absolutione sponsis qui secum conversantur; sicut et genitoribus qui id permittunt: neque credat illis asserentibus nullum inesse malum; hoc enim est moraliter impossibile; ut docet experientia.

182. IX. Deneget quoque absolutionem illis qui volunt ad aliquem ordinem sacrum ascendere, dum adhuc sunt aliquo vitioso habitu irretiti. Nisi viderit illos adeptos esse bonitatem positivam ad hunc gradum necessariam, ut dictum est n. 79.

X. Caveant etiam, et diligenter caveant dissuadere aliquem adolescentem à vocatione religiosa propter humanos respectus; quod excusari non potest à peccato mortali, ut docet S. Th. *Quod lib. 3. art. 14.* Oh quot Confessarii imperiti sine ullo scrupulo abstrahunt juvenes à vocatione ad statum magis perfectum, nulla alia ratione ducti, quàm ut placeant eorum propinquis, asserendo filios teneri præstare obedientiam genitoribus! Docent communiter Doctores cum S. Thoma, in electione statûs unumquemque frui sua libertate: et magis quàm genitoribus præstandam esse obedientiam Deo vocanti. E contrario advertat Confessarius, quòd ipse nequit absolvere quosdam alios, qui sine vocatione vellent ad Ordines sacros ascendere. Vide Librum 6. n. 803.

183. XI. In excipiendis Sacerdotum Confessionibus reverenter se gerat; sed gerat se etiam fortiter in faciendis debitis correctionibus, et in deneganda absolutione, quoties oportet. Et Sacerdotem parùm meticulosæ conscientiæ non omittat interrogare præcipuè circa hæc tria. 1. Utrùm distulerit celebra-

tionem Missarum per mensem, si fuerint Missæ Mortuorum; et per duos, si fuerint vivorum: hoc enim non excusatur a peccato gravi (vide *lib. 6. n. 317. Qu. II.*) 2. Utrùm celebravit festinanter; impendens enim in Missæ celebratione minùs quàm horæ quadrantem, etiãsi esset Missa votiva BB. Virginis, aut Mortuorum, nec etiã excusabitur à culpa gravi (*l. 6. n. 400.*), quoniam in tali temporis spatio non poterit non deesse notabiliter cæremoniis, aut saltem convenienti earumdem gravitati tam necessariæ ad venerationem tanti hujus Sacrificii. 3. Utrùm satisfecerit obligationi divini officii, præcipuè si est Beneficiatus. Non omittat etiã insinuare, ut se habiliter juxta suam capacitatem ad lucrandas Deo animas, ut celebret Missam cum debita præparatione, et gratiarum actione, ut incumbat orationi mentali, sine qua difficillimè bonus erit Sacerdos.

184. XII. In materia restitutionis ordinariè non absolvat pœnitentem, nisi priùs, cùm possit, restituerit rem ablatam. Nihilominus advertat multos excusari à restitutione ratione præscriptionis cum bona fide. Et hęc notandum, 1. Bona mobilia, quando adest titulus præsumptus, præscribi spatio trium annorum; immobilia verò spatio decem annorum *inter præsentés et viginti inter absentes.* 2. Probabile esse præfatam præscriptionem valere in foro conscientiæ, etiã in illis locis in quibus in foro externo non viget lex præscriptionis, ut in Regno nostro, ob difficultatem probandi bonam fidem. Excipiendæ verò sunt præscriptiones illæ, quæ expressè prohibentur ab aliqua lege Municipali, ut ex. c. in Regno nostro reprobat præscriptio hæredis, quoties testator mala fide possiderit. Videantur aliæ doctrinæ circa præscriptionem relatæ in Morali (*Lib. 3. ex n. 504. usque ad 517.*)

185. XIII. Si pœnitens aliquam acceperit injuriam, propter quam inimicus sit inquisitus in Curia, non absolvat illum, (ordinariè loquendo) nisi priùs in scriptis fecerit remissionem. Videatur præsens Praxis n. 38.

186. XIV. Quando prævidet monitionem non esse profuturam, et pœnitens est in bona fide, illam omittat: præsertim quando agitur de nullitate Matrimonii jam contracti. Excipienda tamen est obligatio denunciandi Confessarios sollicitantes in materia turpi, quoniam Confessariis directè est injunctum præceptum imponendi omnibus sollicitatis hanc obligationem. Vide Praxim n. 8. 9. et 12.

187. XV. Curet, ut omnes in Confessione eliciant actum contritionis, nisi certè præsumat pœnitentem jam rite fecisse: nec omittat præbere illis motiva attritionis, et contritionis eo modo, quo annotavimus n. 10. Et speciali modo advertat, si pœnitens venerit indispositus, teneri Confessarium, quantum fieri potest, eum disponere ad absolutionem. Vide n. 7. *in fine.*

188. XVI. Non absolvat pœnitentes illos, qui afferunt tantummodo peccata venialia, sed habituata; nisi cognoscat illos verè pœnitere, et proponere emendationem saltem de aliquo ex

illis; aut si non ponant pro materia aliquod peccatum gravius vitæ prioris, ut notavimus. *n. 99.* Oh quot Confessiones invalidæ (quæ in se vera sunt sacrilegia) fiunt in hoc ob Confessariorum negligentiam!

189. XVII. Illas tantummodo pœnitentias injungat, quas judicaverit facile à pœnitentibus adimplendas, ut diximus *n. 11.* Sed curet, ut illæ sint medicinales, ut essent, frequentia Sacramentorum; visitationes; commendare se Deo mane, et vesperè; lectio alicujus libri spiritualis: adscribere se alicui Congregationi, et similia.

190. XVIII. Personis devotis, quæ frequentant Sacramenta, non omittat insinuare usum orationis mentalis, exigendo inde rationem de ea, vel saltem interrogando utrum illam fecerint. Adhibendo hanc minimam diligentiam quisque Confessarius poterit multas animas sanctificare. Nec sit renitens in concedenda Communionem frequenti, quoties cernit aut prudenter existimat pœnitentem fructum ex ea percepturum.

191. XIX. Scrupulosis personis insinuet ante omnia obedientiam, illisque semper inculcet, quòd obediendo erunt securæ, inobediendo verò exponant se periculo damnationis. Viriliter semper, et rigidè exigat obedientiam, intrepidè semper loquendo; quia si cum timore loquetur, illas pejùs quàm antea confundet. Det illis regulas generales ad dubia sua deponenda, quemadmodum cuique magis expediet: e. c. Illi, qui semper dubitat de transactis confessionibus, jubeat ampliùs non confiteri, nisi peccata illa, quæ certò sciat fuisse peccata mortalia, et certò etiam sciat nunquam se confessum esse. Et circa hoc Confessarius constantissimè se gerat nunquam audiendo, si non obediat, si enim Confessarius aliquando cedat, pœnitens nunquam curabitur. Quidam Confessarii maximam hujusmodi animabus causant perniciem, eas audiendo. Alicui verò timenti singulas suas actiones esse peccata, imponat vincere scrupulum, et liberè operari quoties non advertat certum esse peccatum.

192. XX. In seligendis opinionibus, quando agitur de subtrahendo pœnitente à periculo peccati formalis, Confessarius non rarò uti debet opinionibus benignioribus, quantum christiana prudentia permittit. Quando verò aliqua opinio reddit magis proximum periculum peccati formalis, tunc omnino suadere debet opinionem rigidiorum. Vide dicta *n. 65.* Dico suadere, quia quando opinio est probabilis, et pœnitens vult eam sequi, non potest illi absolutionem denegare ob jus certum, quod ille acquisiverit per confessionem jam factam suorum peccatorum, ut *n. 115.*

193. XXI. In audiendis Confessionibus mulierum, illisque pertractandis, adhibeat eam majorem austeritatem, quæ conveniens est secundum prudentiam; et ideo recuset munuscula, effugiat familiaritatem, et omnia alia, quæ possunt esse causa adhæisionis. Ob aliquem circa hoc negligentiam, oh quot Confessarii et suas, et pœnitentium animas perdiderunt!

194. XXII. Sit humilis, nec de sua doctrina præsumat; unde frequenter oret Deum ob merita Jesu Christi, et præsertim in casibus dubiis, ut velit sibi lucem ad bene solvenda dubia imperiri: « Invocavi, et venit in me spiritus sapientiæ. » *Sap. 7. 7.* Et ideo Confessarius, qui orationem non facit, difficiliter recte incedet; et in dubiis magis implicatis, aut majoris consequentiæ non omittat consulere alios viros doctos, et majoris experienciæ. Præsertim ita se gerat in directione alicujus animæ elevatæ, et quæ à Deo aliquibus gratiis supernaturalibus sit donata, quando ipse in hac materia est parùm expertus. Aliquos, qui scientiam mysticam vix primoribus labris degustarunt, pudet ab aliis consilium petere: non ita se gerunt verè humiles; hi non modò consilium petunt, imò et à pluribus petunt quoties oportet: sed etiam nullam omnino sentiunt difficultatem præcipiendi hujusmodi animabus, ut se conferant, ob directionem, ad magistros magis peritos: vel saltem, ut illorum subeant judicium. Has verò animas Confessarius nunquam audiat in diebus festivis, sed tunc det locum magis indigentibus, et præcipuè pauperibus campes-tribus.

§. II. Monita ad Parochos.

195. EXPEDIT hęc breviter annotare quasdam particulares Parochorum obligationes circa curam suarum ovium.

196. I. Parochus tenetur eas instruere circa fidei mysteria, et res alias ad salutem necessarias, ut sunt, 1. Quatuor mysteria principalia; scilicet quòd existat unus Deus, qui est omnipotens, sapientissimus, creator, et Dominus omnium, misericors, et amabilior quocumque bono; et præcipuè quòd tam bonorum, quàm malorum sit justus remunerator; insuper mysterium SS. Trinitatis, Incarnationis, et mortis Jesu Christi. 2. Sacramenta necessaria, ut Baptisma, Eucharistia, Pœnitentia, et alia saltem quando sunt suscipienda. 3. Symboli articuli, inter quos præsertim virginitatis Mariæ Sanctissimæ sessio Jesu Christi ad dexteram Patris, scilicet quòd ipse in cœlis sedeat cum Patre in gloria cœquali; resurrectio corporum in judicio finali faciendò à Christo Domino: unitas Romanæ Ecclesiæ, in qua sola reperitur animæ salus; et denique æternitatis paradisi, et inferni. Quæ omnia unusquisque fidelis tenetur scire sub gravi. 4. Præcepta Decalogi, et Ecclesiæ. 5. *Pater noster, et Ave Maria*, et actus fidei, spei, amoris, et contritionis. Sicuti graviter peccat ille, qui scire hæc negligit (quæ scienda sunt non modò in quantum ad nomina, sed etiam in quantum ad sensum), ita etiam graviter peccat Parochus, ut aiunt communiter Doctores, si per se, vel per aliam idoneam personam (quoties ipse fuerit legitime impeditus,) ut habetur in Concilio Tridentino (*sess. 5. c. 2.*) omiserit docere saltem in substantia suos parochianos, pueros, et adultos, qui ea ignorant. Unde quoties ipse videt patres, aut dominos non curantes mittere filios, aut servos ad doctrinam, tenetur apprehendere media opportuna apud Episcopum, qui, ut habetur in

Tridentino *sess. 25. cap. 3.* potest cogere genitores etiam per Ecclesiasticas censuras. Parochi probi retinent notam puerorum ut sciant eos qui desunt. Imò dicit *Croix. l. 2. qu. 149. et l. 3. v. 1. n. 767.* si extant personæ aliquæ rudes, quæ nequeant ad Ecclesiam venire, ex eo quia debent custodire domos, aut greges; si illæ existant in gravi necessitate spirituali, debet Parochus privatim accedere ad eas instruendas *cum quantumque suo incommodo*, ut loquitur idem auctor. Saltem, quando hoc difficillimum esset ob magnum numerum harum rudium personarum, procuret eas examinare, et instruere tempore præcepti Paschalis, vel quando veniunt ad petendas fides pro susceptione Sacramenti Confirmationis, vel Matrimonii. Operæ quoque pretium est, ut parochus exploret magistros, et magistras, ut bene instruant pueros et puellas circa doctrinam, et media bene vivendi in sancto Dei timore.

197. II. Parochus tenetur per se ministrare Sacramenta, quoties parochiani justè exposcunt. Et si fortè œconomum constituerit, ejus vitam et scientiam diligenter examinet; aliàs omnium inconvenientium, quæ postea evenient, ipse Deo redditurus est rationem. Insuper tenetur assistere morientibus, nisi adsit alius idoneus. Peccatoribus autem habituatim morientibus specialem tenetur præstare assistentiam, quoniam isti existunt in gravi necessitate suæ assistentiæ. Et circa Extremam Unionem, attendat id, quod habetur in Catechismo Romano (*part. 2. cap. 6. nu. 9.*) « Gravissimè peccant qui illud tempus ægrotos ungenti observare solent, cum jam omni salutis spe amissa, » vita, et sensibus carere incipiant. » Tenetur quoque se informare, utrùm sui subditi præcepto Paschali satisfecerint; *Barb. de Off. Par. c. 2. num. 7. et Segneri Par. Instr. c. 23.* Et diligentissimè caveat nunquam committere cuicumque Clerico schedas Communionis.

198. III. Cavere quoque debet Parochus, ne concedatur habitus clericalis illis pueris, aut adolescentibus, qui moribus suis non præ se ferunt indolem ecclesiasticam. Diligenter postea erudire debet circa statum Ecclesiasticum Clericos suos jam habitum deferentes; aliter illi sine instructione relictis, et moribus depravatis, aut per fas, aut per nefas ad Ordines inde non sine magno suæ urbis scandalo et detrimento ascendent. Prætermitto hęc loqui de maxima ratione, quam Deo reddituri sunt Parochi illi, qui exhibent fides Ordinandis, quos ipsi bene noscunt indignos, aut exhibent illas priusquam se reddant securos, prævia diligenti informatione, de ordinandorum bonitate.

199. IV. Tenetur Parochus se informare de iis, qui vivunt in peccato lethali, ut eos corrigat: de inimicitis, et scandalis præsertim inter sponso, ut quantum possibile est, illis afferat remedium. Inquit S. Th. (*2. 2. qu. 33. a. 2. ad 4.*). « Qui habet » spiritualiter curam alterius, debet eum quærere ad hoc, quòd » eum corrigat de peccato. » Et quando scandalum est alicujus personæ potentis (et præcipuè Sacerdotis) cui ipse enim non va-

let remedium afferre, debet saltem de hoc Episcopum certiorare pro remedio opportuno : et ob quemcumque respectum aut timorem hoc non potest omittere. Bonus pastor tenetur dare vitam pro ovibus suis.

200. — V. Curet, ne sponsalia celebrentur longè priùs quàm celebretur matrimonium : perfectis enim sponsalibus, toto tempore quod nuptias præcedet, tam sponsi, quàm eorum genitores in mortali peccato existunt.

201. VI. Quando in aliqua urbe, cernuntur notabilia inconvenientia, quibus Parochus nequit afferre remedium, ipse tenetur omnem curam adhibere ad Missionem obtinendam. Et semper expediens erit, ut quandoque advocet etiam aliquos Presbyteros externos pro bono animarum verecundiorum : et multò magis si ad suum oppidum non solet Concionator quadragesimalis accedere ad audiendas confessiones : parochus verò ille, qui rejicit Missiones, magnam ingerit suspicionem suæ probitatis.

202. VII. Non modò Parochus debet auferre malum, sed etiam bonum promovere, quemadmodum faciunt omnes boni pastores, qui nunquam omittunt exhortari ad frequentiam Sacramentorum, et Congregationum, ad visitandum Sanctissimum Sacramentum, et divinam Matrem : ad Novenas, ad associationem Venerabilis, quando datur tanquam Viaticum, et ante omnia ad orationem mentalem, de qua in §. III. ubi exponemus praxim, et methodum facilem, quæ parochis et Confessariis poterit inservire ad cæteros in ea erudiendos.

203. VIII. Parochus tenetur ad concionandum diebus Dominicis, et festis principalioribus; ex quo Doctores (vide l. 3. n. 269 et 360.) affirmant graviter peccare Parochum qui per mensem continuum, aut per tres menses discontinuos concionare omittit, exceptis duobus mensibus, in quibus permittit. Trid. Parochis, ex justa causa ab Episcopo approbanda, posse licitè abesse. Et hîc notandum est, Trident. (sess. 5. c. 2. de Ref.) præcepisse ut Parochi gregem suum verbo divino pascant, sermones faciles pro ejus captu habentes, quo possit populus capere quæ illi concionantur : cum enim expertum habetur, fidem, sicut ipsa diffunditur prædicatione, ita per eandem conservari (*fides ex auditu*), parùm utilitati erunt populis eæ conciones, quæ similes non erunt illi concionandi rationi quam tenuerunt Christus et Apostoli, qui prædicabant non in « persuasibilibus » humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritûs et veritatis, » ut Apostolus ait. Ideoque jure merito V. P. Magister Avila non Jesu Christi ministros, sed proditores appellabat eos qui inanis gloriæ cupiditate conciones habent. Et P. Gaspar Sanctius aiebat his nullos esse crudeliores in Ecclesiam Dei insectatores, dum sic concionando causa sunt cur pereant multæ animæ, quæ si illis juxta Apostolorum normam prædicaretur, utique salvæ fierent. Verba inania, periodos sonoros, descriptiones inutiles, dicebat S. Franciscus Salesius esse pestem concionis, cujus unicus finis esse debet, auditorum voluntates erga bonum mo-

vere, non autem intellectum inutiliter pascere. Experientia jam docemur, per hujusmodi conciones tot figuris, et tropis, et dicendi fucato artificio adornatas, animas ad bonam frugem non redire, quia auxilium suum Deus vanitati non confert. Et hoc omnium concionatorum gratia, qui ex vanitate concionantur, dictum sit, sed potissimum eorum, qui curam animarum habent, quibus Tridentinum loco citato sic præscribit: « Archipresbyteri quoque, Plebani, et quicumque Parochia- » les... curam animarum habentes, ecclesias quocumque modo » obtinent, per se, vel alios idoneos, si legitime impediti fue- » rint, diebus saltem Dominicis, et festis solemnibus plebes sibi » commissas pro sua, et earum capacitate pascant salutaribus » verbis. » Notentur illa verba, *pro earum capacitate*; unde certè Concilio contraveniunt illi Pastores qui sublimes tylo utuntur populi audientis capacitatem excedente.

204. Hic quoque juvat animadvertere quædam magna consideratione digna, quæ Parochus, conciones habens, populo sibi commisso inculcare debet. Et 1. quòd ad emendationem non sufficit proponere peccata vitare, sed etiam debent occasiones peccandi removeri. Et loquendo de sponsis, qui domos sponzarum frequentant, dicat tam ipsos, quàm illarum parentes, qui hoc permittunt, non posse absolvi, nisi præfatas occasiones auferant.

205. Insistat 2. in homines qui cauponas frequentant, eis patefaciendo plurima peccata quæ ibi præter ebrietates committi solent, blasphemias nempe, contentiones, scandala, obscœnitates, discordias cum domesticis, defraudationes victûs à familia, etc.

206. Increpet 3. atque invehatur sæpe contra vitium (quod est generale, præcipuè in campis, et in officinis) inhonestè loquendi: et tantò magis si hæc verba inhonestè proferantur coram pueris, puellis, aut personis diversi sexûs. Ob hos turpes sermones, quot pueri perversi fiunt! Et de hoc admoneat parentes, dominos, et opifices officinarum, ut vigilantes sint in corripiendis, et castigandis filiis, aut famulis, qui hos sermones effutiunt, præcipuè messis et vindemiæ temporibus.

207. Insistat 4. in ostendendo sacrilegii enormitatem, quod committunt illi, qui confitentur, et communicant, aliquod peccatum propter erubescerentiam reticentes. Et ut horrorem concipiant adversus tantum scelus, curet sæpe narrare aliquod formidabile exemplum ex illis, qui, erubescerentes de aliquo peccato, sacrilegè confessi sunt; et ad hoc potest uti præcipuè illo libello *P. Vega*, cui titulus: *Casi della Confessione*, etc.

208. Sæpe insinuet 5 necessitatem doloris et propositi ad Confessionem requisitorum, etiam pro venialibus, exhortans, ut nemo ad absolutionem recipiendam accedat, nisi saltem de aliquo peccato veniali eorum, de quibus se accusat, verum habeat dolorem; aut nisi exponat pro materia certa aliquod peccatum vitæ præteritæ, jam aliàs confessum, cujus verè se pœnitet, ut

valida sit confessio. Et quoniam rudes parùm intelligunt, quomodo debeat esse dolor, sæpe ostendat quòd pœnitentes, ut validè confiteantur (sive contritionis sive attritionis sit dolor) debeant eam concipere displicentiam de suo peccato, ut illud odio habeant, et abhorreant plus quàm cætera mala.

209. Hortetur 6. ut in iracundiæ motibus, vice blasphemiarum, aut imprecationis assuescant dicere : *Maledictum sit peccatum meum, maledictus sit dæmon*; aut dicere, *Maria SS. adjuva me. Domine, concede mihi patientiam.*

210. Inducat 7. in horrorem superstitiones, aut vanas observationes, quæ in usu sunt apud plures ad finem morbo medendi, aut latrones dignoscendi.

211. Instet 8. in parentes, ut in filios animadvertant, præcipuè cum sunt pueri, tunc quando blasphemant, aut furantur, etc. Item, ut invigilent ad observandum et inquirendum, quibuscum illi versentur; et interdicit eis versari cum pravis sociis, et cum personis diversi sexus. Item, ut filios non admittant in lectum suum cubandos; aut enim sunt nimis parvuli, et timetur ne illi suffocentur; aut grandiores, ut si sextum annum jam excesserint, et timetur ne illis aliquod præbeatur scandalum. Et tantò minùs permittant simul dormire pueros et puellas.

212. Moneat 9. jugiter suos parochianos, ut internas tentationes (præcipuè contra castitatem) superent, invocando nomina sanctissima Jesu et Mariæ; hoc enim est maximum contra tentationes remedium.

213. Moneat 10. jugiter quoque, ut si quis in peccatum mortale labatur, statim se conterat cum proposito quantocius confitendi, quo amissam gratiam recuperet; et hanc dæmonis fraudem ab eis eripiat, Deo idem esse unum quàm duo peccata remittere; nam potest contingere, quòd Deus post unam peccatum ad pœnitentiam expectet, post secundum verò eos derelinquat.

214. Doceat 11. actus, in quibus quisque mane, die et vespere se exercere debet; et ut hos in promptu habeat, breviter illos hîc describimus. — Actus faciendi de mane. Signet se signo crucis, et postea dicat I. « Te adoro, Domine Deus, et ago tibi » gratias de omnibus beneficiis in me collatis, et præcipuè, quia » hac nocte me custodire dignatus es. II. Amo te ex toto corde, » et quidquid mihi hodie patiendum contigerit, et quidquid faciam, tibi offero in unione operationum et cruciatuum Jesu » et Mariæ, cum intentione lucrandi omnes Indulgentias, quotquot possum, in animarum Purgatorii suffragium. III. Propono » evitare hodie quodlibet peccatum, ac omnem occasionem; et » obsecro te propter amorem Jesu Christi, ut concedas mihi » perseverantiam. Propono, præcipuè in rebus adversis, obsequi » voluntati tuæ, dicendo semper : Domine, fiat voluntas tua. » Jesu mi, ne removeas hodie manus tuas à me. Maria sanctissima, custodi me : Angele custos, et sancti Advocati, præstò » mihi estote. » Deinde recitet *Pater, Ave, et Credo*, et ter *Ave* puritati Mariæ sanctissimæ. — Cum laborare incipit dicat :

« Domine Jesu, in unione perfectissimorum operum tuorum »
 « commendo tibi hoc opus meum, secundum tuam voluntatem »
 « regendum. » — Ante conestionem : « Benedic, Domine, cibum »
 « istum, et me quoque, ut in comedendo nullum committam de- »
 « sectum, et hoc totum sit ad gloriam tuam. » — Post comes- »
 « tionem : « Ago tibi gratias, quod bona tribuisti mihi inimico »
 « tuo. » — Ad sonitum horologii : « Jesu mi, amo te; ne per- »
 « mittas me offendere te. » — Si urget aliqua tentatio, replicet »
Jesus, et Maria. — Si lapsus sit in aliquod peccatum : « Deus »
 « meus, me pœnitent me offendisse te, nolo amplius hoc facere. »
 — Et si peccatum fuerit grave, statim confiteatur. Vesperis, dum »
 cubitum se confert, agat gratias de bonis sibi collatis. Examine- »
 conscientiam, et postea eliciat actum doloris. Deinde eliciat actus »
 christianos, quorum exemplum habebis infra n. 286. Hortetur »
 omnes matres, ut quotidie hos actus praticari faciant à filiis suis. »
 Præterea ostendat, parentes teneri operam dare, ut filii Sacra- »
 menta frequentent; nam si ad ea frequenter non accedunt, fa- »
 cilè Dei gratiam perdunt; et parentes huic damno prospicere »
 debent. Insuper eosdem moneat, quòd peccant, si, causa justa »
 non accedente, impediunt filios quominus Matrimonio conjun- »
 gantur, aut eos invitos ad Matrimonium cogant (Vide l. 6. »
 n. 849. v. *Conveniunt, ad VI.*). Sicut contra peccant filii qui »
 parentibus justè invititis, Matrimonia ineunt (l. 6. dict. n. 849.).

215. Item 12. cum pro comperto habeatur, ut supra ostensum »
 est, quòd Parochus nedum tenetur ad mala impedienda, sed »
 etiam ad bonum promovendum, populum hortetur ad quotidia- »
 nam Sanctissimi Sacramenti, ac B. Mariæ Virginis visitationem. »
 Hæcque visitatio potest fieri vesperè ab ipso in communi, unà »
 simul cum populo sibi commisso, designando horam populo magis »
 accommodam, prout usus in multis regionibus cum magno »
 fructu introductus est. Et hortetur, ut quibus commoditas Eccle- »
 siam adeundi non est, ex domo propria eam faciant. Præ cæteris »
 insinuet hominibus, ut frequentent Congregationem. Et omni- »
 bus, ut sæpe communicent, præcedente debita animi præpara- »
 tione, et gratiarum actionibus eam consequentibus, per exerci- »
 tium actuum fidei, charitatis, oblationis, et petitionis, eos docendo »
 praticum modum, quo hi actus fieri debeant.

216. Invigilet 13. sæpe reddere suas oves erga devotionem »
 Mariæ Virginis studiosas, declarando quanta sit potentia et mi- »
 sericordia hujus divinæ Matris in suis devotis adjuvandis. Ideo- »
 que insinuet, ut in communi cum familia quotidie recitent quin- »
 que decades Rosarii, ut Sabbato jejurent, et celebrent Novenas »
 in festivitibus nostræ Dominæ, quas ipse ab altari annunciet, »
 quotiescumque illæ incident. Valde laudabile erit, si in Sabbato »
 ille conciumculam faceret de B. Virgine, semper narrando ali- »
 quod exemplum, et semel in anno celebrando Novenam aliquam »
 solemnem nostræ Dominæ cum sermone, et expositione SS. Sacra- »
 menti; et ad hoc uti posset inter cæteros illo libro, quem ego »
 ad hunc finem typis dedi, cui titulus, *Glorie di Maria*, ubi con-

gestas reperiet materias, et exempla. Felix ille Parochus, qui suos parochianos fervidos tenet in Beatissimæ Virginis devotionem; nam illi cum ejusdem Virginis auxilio vitam morigeram ducent, et ipse in vitæ exitu ipsam fidelem et potentem Advocatam habebit. Denique insinuet ante omnia, ut assuescant sæpius se Deo commendare, ab eo sanctam perseverantiam per merita Jesu Christi et Mariæ postulantes. Sæpius quoque prædicet gratias, et præcipuè perseverantiæ donum non concedi nisi petentibus; *Petite, et accipietis*. Notamque faciet illam promissionem Jesu Christi, quidquid à Patre postulabimus in nomine ejus, id omne Patrem daturum nobis: « Amen amen dico vobis, si quid » petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. » (Joann. 16. 23.) Insinuet etiam orationis mentalis usum, et curet in Ecclesia cum populo quotidie, aut saltem diebus festivis, ut illa fiat; docendo etiam modum, quem domi in ea facienda tenere possunt; ideoque hæc subjungitur sequens instructio ubi exponitur necessitas, et modus practicus orationis mentalis.

§. III. Brevis Praxis orationis mentalis.

217. NON est dubitandum quin ex considerationis veritatum æternarum defectu, mundus peccatis scateat, et infernus animabus repleatur, *Desolatione desolata est omnis terra, quia nullus est qui recogitet corde. Jerem. 12. 11.* Et contra, ait Spiritus Sanctus, eum, qui sæpe mortem, judicium, et æternitatem memoratur, à peccatis liberari: *Memorare novissima tua, et in æternum non peccabis. Eccli. 7. 40.* Quidam auctor dicit, quòd si à damnatis sciscitaretur: *Cur vos in inferno estis?* Major eorum pars responderet: *Nos hîc sumus, quia infernum non cogitavimus.* Ait S. Vincentius de Paulo, quòd si peccator missionem, aut exercitia spiritualia audiret, et non converteretur, miraculo id tribuendum esset. Jam in oratione mentali Deus est qui loquitur: *Ducam eum in solitudinem, et loquar ad cor ejus. Osee 2. 14.* Deus utique omni concionatore meliùs loquitur. Omnes Sancti per orationem mentalem sancti facti sunt. Et experientia scimus, quòd, qui orationi mentali dant operam, difficulter in peccata mortalia decidunt, et si casu aliquando in ea labuntur, orationi insistendo, statim respiscunt, et ad Deum redeunt. Oratio mentalis, et peccatum, unà simul consistere nequeunt. Aiebat quidam servus Dei, quòd multi recitant Rosarium, Officium Virginis Mariæ, jejulant, et in peccatis vivere pergunt; sed qui orationem non intermittit impossibile est, ut in Dèi offensa vitam prosequatur ducere; aut enim orationem omittet, aut à peccatis cessabit. Sed si orationem non omittet, non solum peccata relinquet, sed à creaturis amorem suum removebit, et ad Deum convertet. *In meditatione mea exardescet ignis. Ps. 38. 4.* Oratio est fornax, ubi animæ accenduntur in divinum amorem.

218. Loquendo de loco, ubi oratio facienda sit, magis prior est Ecclesia; sed illis qui illuc ire aut ibi morari nequeunt, quisque locus erit orationi aptus, sive sint domus, sive

villæ. Etiam iter, et labor orationi non disconveniunt, cum etiam tunc possit mens in Deum elevari. Quot rusticulæ, cum eis nihil temporis nec loci supersit laborando, et iter agendo, suam faciunt orationem? Quærenti enim Deum in omni loco, et in omni tempore invenire ille se facit.

219. Quoad tempus, aptius erit tempus matutinum. Bonum non habebunt exitum, quæ in die fiunt, cum mane orationein suam quisque facere neglexit. Orationi propriè bis in die vacari deberet, mane, et vesperi; sed cum vespere commoditas non est, fiat saltem mane. Aiebat V. P. D. Carolus Carafa, piorum Operariorum fundator, unum actum amoris cum animi fervore mane in oratione factum, sufficere ad retinendam animam in suo fervore per totum diem. Quoad autem tempus, quod in oratione insumendum erit, Parochus, aut Confessarius pro sua prudentia se dirigat. Certum est, ut ad perfectionis gradum sublimem perveniat, mediæ horæ spatium non esse sufficiens. Cæterum satis erit hoc tempus pro incipientibus; quos verò sedulo moneat, ne orationem omittant cum tempus desolationis advenerit. Observetur quod dictum est n. 125. Sed progrediamur ad modum practicum orationis, quem docere decet. Oratio tribus constat partibus, præparatione, meditatione, et conclusione. In præparatione tres continentur actus quibus se exercere debet, *fidei* nempe per præsentiam Dei, *humilitatis*, et *supplicationis* divini luminis. Dicendo « 1. Deus meus, credo te mihi esse præsentem, et in mei nihili abyssu demersus majestatem tuam adoro. » 2. Domine, propter peccata mea nunc ego in Inferno cruciandus essem; me pœnitet me offendisse te, per pietatem tuam mihi parce. 3. Pater æterne, propter Jesum et Mariam, præbe mihi lucem tuam in hac oratione, ut ab ea fructum percipiam. » Deinde dicatur semel salutatio Angelica Mariæ SS. ut ipsa hanc impetret lucem, et semel *Gloria Patri* S. Josepho, Angelo custodi, et S. Patrono. Hi actus fiant cum animi attentione, sed breviter, et statim progrediatur ad meditationem.

220. Circa meditationem, juvat illum, qui legere scit, uti aliquo libro, sistendo ubi sentiat animum suum moveri. Ait S. Franciscus Salesius in hac re debere nos apes imitari; quæ tandem immorantur uni flori, usquedum totum mel extraxerint, et postea ad alium meant. Qui autem legere nescit, meditetur Novissima Dei beneficia, et ante omnia vitam et passionem Jesu Christi: hæc (ait S. Franciscus Salesius) nobis debet esse nostra meditatio ordinaria. Oh quam excellens liber est passio Christi animabus devotis! ibi melius quam in quolibet libro percipitur peccati malitia, et Dei amor erga hominem. Quædam imago Redemptoris semel quondam allocuta est Vener. Fr. Bernardum à Corlione, qui ab illa scire petiit, an vellet, ut ipse legere disceret? et Crucifixus respondit: « Quid tua legere refert? Quid tibi libri? Ego sum liber tuus, hic tibi sufficit. »

221. Oportet autem advertere orationis mentalis profectum non solum; nec tam consistere in meditatione, quam in affecti-

bus faciendis, in supplicando, et in deliberandis agendis: et hi sunt tres meditationis fructus ut supra innui n. 123. Igitur postquam aliquam æternam veritatem quis meditaverit, et postquam Deus cor ejus allocutus fuerit, oportet, ut ipse suo corde Deum alloquatur, eliciendo affectus, ut sunt actus fidei, aut actionis gratiarum, adorationis, laudis, humilitatis, et præ cæteris amoris, et contritionis, qui etiam est actus amoris. Amor est illa catena aurea, quæ astringit animam cum Deo. Quilibet actus amoris est thesaurus, per quem certi efficimur de Dei amicitia: *Infnitus enim thesaurus est hominibus, quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitie Dei. Sap. 7. 14. Ego diligentes me diligo. Proo. 8. 17. Qui diligit me, diligitur à Patre meo. Jo. 14. 21. Charitas operit multitudinem peccatorum. 1. Pet. 4. 8.* Observetur id quod in Opere morali dictum est circa hoc l. 6. n. 442. Ven. sorori Mariæ Crucifixæ visa fuit ingens quædam flamma, in quam, cum projectæ fuissent quædam paleæ, statim visæ fuerunt consumi: et hæc visione ei ostensum fuit, quod per unum actum amoris auferantur, atque consumantur in anima omnes culpæ commissæ. Accedit id, quod docet S. Thomas, nempe, quemlibet actum amoris mereri unum gradum gloriæ æternæ. « Quilibet actus charitatis meretur vitam æternam. » Actus autem charitatis sunt dicere: *Deus meus, super omnia te æstimo. Te diligo ex toto corde. Cupio te ab omnibus diligi.* Aut se totum divinæ voluntati committere, dicendo: *Domine, fac ut cognoscam quod tibi de me placet fieri, nam promptus sum totum exequi.* Aut se ita offerat Deo, quin sibi aliquid reservet, dicendo: *Ecce me, de me, et de iis quæ ad me pertinent, dispone pro tua voluntate.* Et hi actus oblationis sunt actus amoris, qui valde sunt Deo cordi, propterea S. Theresia quinquagies quolibet die se Deo offerebat. Sed inter alios præstantius erit dicere: *Gaudeo, Deus meus, quod es, qui es; quod es summum bonum nullius indigens etc.* Cum autem anima cognosceret se supernaturali sive infusa recollectione elevatam (ut explicatum est n. 133.) tunc non debet ipsa niti ad alios actus faciendos, præter illos, ad quos sentit se à Deo suaviter trahi; cum debeat tunc animo amabiliter intento attendere id quod Deus in se operatur. Alioquin obstaculo posset esse divinæ operationi. Insuper notetur, ut advertit S. Franciscus Salesius, quod si unquam Spiritus Sancti afflatu mens nostra ad aliquem bonum affectum ante considerationem concitata fuerit, tunc, posthabita consideratione, locus dandus est affectibus, nam consideratio ad id deservit, ut affectus concitentur: quare, obtento fine, medium derelinquendum est.

222. Item summopere juvat petitiones in oratione repetere, cum humilitate, et fiducia exposcendo à Deo suum ipsius lumen, peccatorum remissionem, perseverantiam, bonam mortem, paradisum, et in primis donum sui sancti amoris. Hortabatur S. Franciscus Salesius inter cæteras gratias postulandam esse cum animi vehementiori fervore divini amoris gratiam, quia (aiebat) obtento amore, omnes reliquæ gratiæ obtinentur. Igitur suffa-

sciens erit animæ, si propter spiritûs desolationem in qua reperitur, aliud facere non posset, sufficiens (dico) ei erit, ut repetat hanc Davidis petitionem : *Deus, in adiutorium meum intende; Domine, adjuva me, festina mihi auxiliari.* Dicebat Ven. P. Paulus Segneri se experientia didicisse, nullum aliud exercitium esse animabus utilius in meditatione, quàm iterum atque iterum petere, in nomine sive per merita Jesu Christi, qui nobis illam magnam jucundamque promissionem fecit, ut superius dictum est : « Amen, amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. »

223. Item expedit, in oratione, saltem in ipsius fine, aliquid deliberare, non solum in genere, ut evitare omnem culpam deliberatam etiam levem, et se totum Deo committere; sed etiam in particulari, ut est accuratius evitare aliquem defectum, in quem sæpius offendit, aut vigilantius attendere ad aliquam virtutem, circa quam frequentiores habet occasiones se exercendi, ut tolerandi alicujus molestias, tali superiori, aut tali regulæ diligentius obediendi, et majus studium adhibendi, ut in tali et tali re desideria sua cohibeat; et ab oratione non discedendum, nisi aliquid in particulari deliberatum sit.

224. Demum conclusio orationis tribus actibus terminatur : 1. Gratia Deo agantur de omnibus illustrationibus quæ in meditatione acceptæ sunt. 2. Proponatur omnes deliberationes factas fideliter observare. 3. Oretur æternus Pater, ut propter Jesum, et Mariam auxilium suum præbeat, ad fideliter exequendum quod ei sponsum est. Et in fine orans commendet Deo animas Purgatorii, Prælatos Ecclesiæ, peccatores, et omnes sibi conjunctos, amicos, benefactores, recitando semel *Pater*, et *Ave*, quæ sunt omnium precum, quas à Christo et Ecclesia docti sumus, utilissimæ.

225. Antequam tamen ab oratione exeatur, oportet (ut ait S. Franciscus Salesius) colligere fasciculos florum, ut totum diem illi olfiant, nimirum seligere præ cæteris unam, vel alteram rem, in qua anima magis se moveri sensit, ut reliquum diei illam recogitet. 2. Oportet operam dare, ut statim executioni mandet deliberationes factas, tam in parvi, quàm magni momenti occasionibus, quæ nobis occurrent, ex gr. superet cum mansuetudine molestias, quæ sibi inferuntur ab aliquo in se ira succenso; aut ut se mortificet in visu, auditu, loquendo. Et præcipue refert, ut cum silentio quantum possibile est conservet illos animi pios motus affectuum, quos in oratione Deus ei communicavit, alioquin si statim ad actiones externas, et ad inutiles sermones divertet, illico fervor ille devotionis in oratione conceptus, tepescet, et irritus reddetur.

226. Præ cæteris denique director suum penitentem sedulo admoneat, ne orationem intermittat, neque ab illa aliquid temporis detrahat, præcipue in ariditatis tempore, et nunquam turbetur, licet nimis et diu cognosceret animam in ariditate positam, ac omni devotionis fervore carentem. Quot aulici,

aiebat S. Franciscus Salesius, eunt suum Principem honoratum, et contenti sunt, si duntaxat ab eo aspecti sunt? Ad orationem nos pergitur, ut obsequium præstemus Deo, et ei obsecundemus; si ipsi lubet nos alloqui, et suis consolationibus nobis favere, de tanta gratia ei rependamus; ~~sem~~ minus, sufficiens erit nobis suæ divinæ præsentiae adesse æquo animo, eum adorando, et nostras necessitates ei exponendo; et si tunc Dominus nobiscum non loquetur, utique acceptabit nostram attentionem, et nostram fidelitatem, et pro nostra in eum fiducia nostras petitiones exaudiet.

CAPITULUM XI ET ULTIMUM.

227. Non adest charitatis opus magis Deo acceptum, magisque ad animarum salutem conducens, quam in extremo vitæ periculo positos ad sanctè moriendum adjuvare; nam tempore mortis (à qua uniuscujusque æterna vita pendet) inferni vires fortiores sunt, infirmorum verò debiliores. Deus, ut manifestaret quàm gratam habet assistentiam moribundis præstitam, multoties S. Philippo Nerio ostendit angelos Religiosis infirmorum ministris verba suppeditantes.

228. Nec id Parochorum tantum munus est, ad quos animarum cura ex officio pertinet; sed omnium etiam Sacerdotum. De Parochis tamen Ritualis Romanus præsertim loquens, ait præcipuam illorum muneris partem esse ægrotantium curam habere: quapropter vult, ut ipsi, statim ac aliquem ex suis parochianis ægrotare intelligunt, non expectent, ut infirmus Parochum accersat, sed ipse Parochus ultro eum invisere curet; idque non semel tantum, sed frequentius, si infirmum etiam spiritu ægrotare advertit. Quòd si legitime sit impeditus, id saltem præstandum providebit per alium Sacerdotem, modò hic sit pius, et prudens; quidam enim Sacerdotes, hoc munus exercendo, magis quàm utilitati, damno esse solent, tam infirmis, quàm sibi; et infirmorum domesticis, quorum profectum Sacerdos assistens etiam respicere debet. Monet insuper Ritualis, quòd si Sacerdos fortè deesset, id Parochus præstandum curabit saltem per aliquem laicum pium et christiana charitate præditum, qui sanctis verbis infirmo præsto sit.

§. I. Monita ad Sacerdotem assistentem.

229. I. Sacerdos clam procuret à medico scire, an infirmitas sit mortalis. Dico *clam*, quia detestabilis usus medicorum est ægrotos decipere, ne eos et propinquos contristent, pene ac si infirmis obligationem intimare confessionis (quam, cognito periculo, illis imponere debent), idem sit ac mortem denunciare.

230. II. A conjunctis, amicis, necnon ab ipsomet ægroto, ejus naturam, indolem, et defectus perquirat: item quibus indulserit passionibus, et præsertim si ad aliquam bonorum aut famæ restitutionem teneatur: si odium aut pravam habuerit amici-

tiam, ut omnibus opportunum præbere possit remedium. Caveat memorare infirmo personas odio habitas, aut impurè dilectas, si ad hoc ex necessitate non obstringatur. Vulneratos, postquam quidquid ad remissionem pertinet provisum fuerit, ne interroget quis illos, qua de causa, vel quomodo læserit; et si infirmus de hoc loquitur, sermonem ad aliud divertere curet. Et ita etiam, si necessitas non urgeat, nec de litibus, bonis, aliisque rebus impertinentibus verbum quidem faciat.

231. III. Postquam igitur morbum periculosum esse deprehenderit, imprimis non alloquatur infirmum de confessione, sed tantum eum de infirmitate, doloribus, et quomodo valeat benignè interroget. Hortetur inde, ut se Dei voluntati conformet, utque suas cum Christo in cruce languenti pœnas conjungat, necnon ut eas pro peccatorum satisfactione patienter ferat: et sic paulatim, qua par est prudentia, illum, tempus à quo confessus sit interrogando, ad confessionem inducat. Moncat, ut omnem suam spem in Deo ponat; qui potens est ipsum in pristinam si velit reducere sanitatem. At eodem tempore sensim efficiat, ut ægrotus suæ infirmitatis periculum agnoscat. Præsertim advertat, ne ille omnino fidem præbeat medicis, et propinquis, qui fortè morbi gravitatem ei celabunt, ne ipsum mœrore afficiant. Dicat sapientis esse prævidere futura. Hortetur, ut dum mens valet, confessionem faciat, quæ corporis saluti (si animæ expedierit) etiam proderit. Refert Belluacensis de quodam moribundo, quòd statim ac ipse sua confessus fuerit peccata, è strato incolumis surrexit. Pariter Cantipratensis enarrat, quòd quidam eques, ubi multæ non profuerant medicinæ, confessionis virtute statim convalescit.

232. Si tamen ægrotus dilationem quærit, et periculum mortis, lethargi, vel delirii imminens non est, poterit ei indulgere. Curet tamen, ut ille determinet tempus, putà vesperarum, vel diem crastinam, confessioni explendæ. Si tamen periculum imminens est, ipsum cum D. Augustino moneat, quòd Deus non promiserit peccatores expectare, sed tantum parcere eis si penitentiam agant: *Crastinum non promisit; fortasse dabit, fortasse non dabit*. Quòd si adhuc infirmus nec etiam per hæc monita ad confessionem adduci possit, Sacerdos nunquam eum deserat, sed quandoque terroris, quandoque fiduciæ argumentis curet ipsum expergiscere; et provideat, ut tam privatæ, quàm publicæ pro hujus miseri salute preces ad Deum adhibeantur.

233. IV. Si morbus increbuerit, infirmum hortetur, ut de suis domesticis rebus opportunè disponat; id enim expedit pro familiæ pace, et ea magis si opus sit pro illius conscientia levamine. In hoc tamen Sacerdos sedulo caveat, ne ipse in aliquam lucri notam incidat. Si autem ægrotus fratres vel sorores indigentes habeat, moneat ipsum sub gravi obligatione teneri illis bona sua relinquere, saltem quod ad eorum necessitatem sublevandam sufficiat. Hæc tamen gravis obligatio non videtur urgere pro remotioribus propinquis. Observa quod dictum est in Opere Tom. 3.

lib. 3. num. 946. Si verò ægrotus vult pro sua anima aliquod testari, ipsum moneat, ne onus illud hæredibus imponat, quia experientia docet, legatis piis pene nullis satisfieri, sed potius hortetur, ut aliquod corpus relinquat, aut pecuniæ summam, ad Sacrificia, aut aliam piam operam persolvendam. Caveat Sacerdos, ne consulat infirmis quidquid aliis præjudicio esse potest, cum Christi Ministros non doceat aliorum odium sibi commovere.

234. V. Cum rudibus, dum actus christianos eis suggerit, Italico, imò vernaculo semper loquatur sermone. Cum Litteratis contra comioribus verbis, et aliquoties etiam latinis ex Scriptura excerptis, sed brevibus sententiolis utatur. Monet tamen Rituale, ne Sacerdos nimis loquendo, et crebris sententiis, ut aliqui solent, infirmo potius caput obtundet, quàm adjuvet. Pater Recupitus è Soc. Jesu de seipso refert, morti proximum quidquid ei dicebatur, non intellexisse, sed tantum quoddam molestum murmur; ita ut, ne magis caput læderent, coactus rogaverit, ut aliquam verbis moram interponerent.

235. VI. Præter parvas Christi Domini crucifixi, Beatæque Virginis Imagines, quas juxta infirmum apponi curaverit, si fieri potest, etiam ob oculos ejus collocare faciat Imagines Deiparæ et Redemptoris majoris molis, ut sic ægrotus, quocumque se vertat, eascernere possit, et illis se commendare.

236. VII. Curæ ei etiam sit, ut ab infirmi cubiculo periculosa objecta removeantur, veluti arma, imagines parum honestæ, et præsertim personæ, quæ aliquo modo occasionem peccati præbere possunt; et istæ non solum à cubiculo, sed à tota domo expelli debent. Et dum infirmus agonizans proximus videtur esse, Sacerdos omnes ab ejus cubiculo depellat, præter unum aut duos tantum, qui ipsi dum oportet præsto sint. Cæterum omnino prohibeat in ægroti cubiculo propinquos ingredi, ne alicui passioni causam præbeant.

§. II. Remedia adversus tentationes.

237. Præcipua contra tentationes remedia sunt Jesu ac Mariæ SS. nomina sæpius invocare, et crucis signaculo se munire. Pro aliquibus tamen specialibus dæmonis insidiis quædam hæc annotare expedit.

238. Et I. Adversus fidei tentationes. Ab hac terribili tentatione præsertim agitantur, qui cum perditam egerint vitam; sibi suoque judicio nimis adhæserant; præcipuè si viri eruditi fuerint. Hic sedulo advertendum, quòd si dæmon aliquod eis circa finem dubium aut subtilitatem suggerat, statim constanti animo tantam generatim respondeant: *Ego credo quod S. mater Ecclesia credit, quæ veritatem credit et confitetur.* Horteturque Sacerdos infirmum, ut maximas Deo gratias agat, quòd ipsum in Ecclesiæ sinum ab incunabulis accipere dignatus sit; ideoque in ipsa fide usque ad extremum vitæ perseverare velle profiteatur. Præcipuus tamen modus, et utilior ad hujusmodi tentatio-

res repellendas crit mentem aliò divertere, aliosque varios elicere actus, nempe contritionis, spei, caritatis erga Deum, et similia. De quodam doctore Bellarminus refert, quòd hic dum in morte cum dæmone disserere de quodam fidei articulo voluerit, deceptus succubuit, et mortuus est.

239. Si tentatio tamen pergit vexare, ostendat infirmo quòd nostræ fidei (per se sanctæ, et intemeratæ à pauperibus piscatoribus per totum orbem diffusæ, tot miraculis ac tot millium martyrum sanguine, qui vitam suam pro ipsa immolaverunt, confirmatæ) argumenta luce clariora sunt, et manifestè illam veram esse patefaciunt, licèt res, quas ipsa docet, nunc per speculum in ænigmatè videamus; nam si mysteria de quibus nos instruit essent evidentià, ubi esset meritum fidei? quæ ideo fides dicitur, quia res, quas docet, obscuræ sunt et non apparentes. Hinc dictum fuit: *Beati qui non viderunt, et crediderunt.* Joan. 20. 29.

240. II. Adversus tentationem *desperationis*. Hæc est præcipua tentatio, qua inferniùs vehementiùs ægrotos impetit; unde illis de divina justitià, de damnatorum pœnis loqui, eoràmque patrata scelera exaggerare, Sacerdos caveat; sed potius ipsis fiduciæ in misericordià Dei, Salvatoris passiõne, divinis promissis, et Dei Matris intercessiõne argumenta insinuentur.

241. Primum igitur nostræ spei motivum est divina misericordià, dum Deus vocatur et verè est pater misericordiarum (2. Cor. 17). Ipse occurrit etiam non quærentibus se: *Invenierunt, qui non quæsierunt me.* Isaïæ 65. 1. Magis Deus cupit nos salvos facere, quàm nos salutem optamus: quare ipse meritò de illis queritur, quos etiam fugientes amplexari desiderat, ut ait D. Bernardus: *Amplecti quærit, à quibus desertum esse se queritur.* Ipse est totus pronus ad ignoscendum: *Multus est ad ignoscendum.* Is. 55. 7. Protestatur se nolle mortem peccatoris: *Nolo mortem impii, sed ut convertatur.... et vivat.* Ezech. 33. 11. Inquit quòd cum peccator sua detestatur peccata, ipse eorum memoriàm amittit: *Si.... impius egerit pœnitentiàm...., omnium iniquitatum ejus... non recordabor.* Ezech. 18. 21. Post hæc divina testimonia, quis unquam de Dei misericordià diffidere poterit? Unus tantùm pœnitentiæ actus ad innumerabilia peccata delenda sufficit. Publicanus, vix ingemendo dixit: *Propitius esto mihi peccatori,* et justificatus est. Prodigus filius statim ac ad patris pedes rediit, pater eum amplexus est. David, ut dixit *peccavi,* Natan ei respondit: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum,* 2. Reg. 12. 13.

242. Secundum motivum est passio Jesu Christi, qui non ad aliud quàm peccatorum salutem in terram se descendisse protestatur: *Non... veni vocare justos, sed peccatores,* Matth. 9. 13. Profitetur etiam se nullum à se abire pati: *Eum, qui venit ad me, non ejiciam foras.* Joan. 6. 37. Et apud Matthæum, 18. 12. inquit quòd ipse est bonus ille Pastor, qui dispersas oves quærit, et si quam reperit, exultat, eam amplectitur, suisque humeris imponit, et videtur deinde hanc maiori diligere affectu, prout se

gessit cum S. Maria Ægyptiaca, B. Angela à Fuligno, S. Margaritha à Cortona, aliisque pœnitentibus. Qui igitur rectam habet voluntatem, timere non debet damnari à Domino, qui ne damnet nos, seipsum ad mortem crucis damnare non dubitavit.

243. Tertium motivum, sunt divina promissa. Multis in locis Evangelii petentibus divina promittitur gratia : *Petite, et accipietis. Joan. 16. 24. Amen amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Joan. 16. 23.* Et hîc non solum de justis, sed etiam de peccatoribus sermo fit, juxta textum Matthæi : *Omnis qui petit, accipit. Matth. 7. 8.* Satis igitur est gratias à Deo petere ad salutem, ut certè obtineantur. *Bonus est Dominus... animæ quærenti illum. Thr. 3. 25.*

244. Quartum motivum est Sanctorum intercessio, et præsertim Deiparæ, quam vult Deus, ut nos cum tota Ecclesia salutemus nostrum refugium, vitam, et spem nostram, ac dicamus : *Refugium peccatorum, ora pro nobis : vita, spes nostra, salve.* Unde meritò ipsa B. Virgo appellatur à Blossio, *Spes desperantium*, et à S. Ephrem, *Adjutrix destitutorum.* Eadem Dei mater B. Brigittæ revelavit, quòd sicut aliqua mater, videns filium inter enses suorum hostium versantem, animosa in tutelam suam illum suscipit : ita ipsa curat devotos suos tutari, dum à dæmonibus vexantur, eique se commendant. Insuper dixit, quòd cum accedit ad eam peccator, ipsa non ejus merita discutit, sed cum quali intentione veniat, attendit. Et Deus ipse B. Catharinæ Senensi revelavit, Mariæ suæ filiæ se concessisse, quòd quivis peccator ad eam recurrens, nullo modo possit à dæmone rapi.

245. III. Adversus tentationem *vanae gloriæ.* D. Bernardus ait, quòd vana gloria est quædam sagitta, quæ *levis penetrat, sed non levis vulnerat*; præsertim si persona timorata sit conscientiæ. Si igitur Sacerdos unquam adverteret moribundum nimis se reputare securum de sua salute, quia nimis suis operibus fidit, ei dicat quòd peccata solummodo nostra sunt, omnia autem bona à Deo recipimus, ex illo : *Quid... habes, quod non accepisti?* 1. Cor. 4. 7. Et cum certum sit nullum suæ salutis æternæ, divinæque gratiæ infallibilem certitudinem habere posse (*Nescit homo, utrum amore, an odio dignus sit. Eccles. 9. 1.*); ideo quisque semper pavere debet, et cum metu et tremore salutem suam operari, ut ait Apostolus. *Philipp. 2. 12.*

246. IV. Adversus tentationem *impatientiæ.* Si infirmus ex morbi cruciatibus impatientia afficitur, huic ostendatur quanta Martyres pro Christi nomine tormenta sint passi, vivi excoriati, adusti, trucidati. Et præsertim ei ob oculos ponantur omnia quæ innocens Jesus propter nostrum amorem est perpressus. Dicatur ægrotò, quòd infirmitatis dolores vitari nequeunt; unde si ipse invitus eos patitur, malè nunc, et in altera vita se habebit; si autem libenti animo pro Deo acceptet, non solum hic à morbi pœna levabitur, sed ibi minùs Purgatorii tormenta luet, magisque postea in cælo remunerabitur : *Tristitia vestra vertetur in gaudium. Joann. 16.* Moneatur quòd extremæ vitæ cruciatus nostram

complement æternam coronam, quoniam (ut S. Bonav. dicit) pœnas patienter tolerare, aliis cunctis operibus perfectius opus est, juxta illud Jacobi: *Patientia... opus perfectum habet. Jac. 1. 4.* Et ita Deus suos in hac vita amicos tractat, dum crux est nostræ prædestinationis securus signum. B. Clara per 28 annos doloribus vexata vitam duxit. S. Lidovina per 38 annos semper infirmitatum pondus toleravit. Et divina Mater quodam die B. Birgittæ ægrotanti sic dixit: « Scis quare tua infirmitas tam » in longum abierit? abiit, quia te Filius meus, et ego nimis » diligimus. » Nôs miseros viatores inter hujus sæculi ærumnas Apostolus valde consolatur dicendo: *Momentaneum et leve tribulationis nostræ... æternum gloriæ pondus operatur in nobis. 2. Cor. 4.* Et alibi: *Non sunt condignæ passionis hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis. Rom. 8. 18.*

247. Et sic infirmo sedulo oportet suadere, ut Dei voluntati conformetur, non solum si dolores patitur, sed etiam si medici errant, aut assistentes ipsius curam negligunt. Hinc crebrò moeat illum, ut à Deo patientiam expostulet.

248. V. Iis qui ægrè ferunt mori tam immaturè, ob oculos ponantur præsentis vitæ miseræ, infirmitates, animi angores, nec non peccandi et damnationis pericula. Ideo sancti viri tam avidè mortem exoptabant. S. Theresia aiebat: « Heu mihi, quia » in omni vitæ meæ momento Deum amittere possum; » unde quoties horologium sonabat, toties valde gratulabatur, eò quòd jam hora hujus periculi transacta esset. Martyres sancti hilares ad patibula procedebant, ut citiùs hoc periculum effugerent, et Deo fruerentur. Hinc dicitur in Apocalypsi (14. 13.): *Beati mortui, qui in Domino moriuntur... ut requiescant à laboribus suis.* In hac lacrymarum valle viatores sumus: *Non... habemus hîc manentem civitatem. Hebr. 13. 14.* Unusquisque aut Rex, aut Pontifex, mortem subire debet.

249. Hortetur infirmum, ut Deo gratias agat quia non permittit eum mori tempore quo erat in peccato; et quia tunc ipsum Sacramentis munitum discedere disponit. Dicat, saltem mortem libenti animo excipiendam esse, quia evadimus tot leves culpas, à quibus in hac vita immunes esse non possumus.

250. Dicat ægroto: « Frater mi, oportet, ut te conformes » voluntati Dei, quia omnia disponit propter nostrum bonum. » Quis scit, an si ampliùs viveres, animam perderes? » Sed dicit infirmus: « Ego vivere optarem, ad aliquam Deo de cul- » pis meis satisfactionem præbendam, et aliquid boni ante mor- » tem peragendum, dum usque adhuc nihil egi. » Respondeat Sacerdos: « Fili, nulla pœnitentia est Deo magis accepta, » quàm mortem in peccatorum expiationem libenter acceptare; » nullusque actus perfectior est, quàm mortem accipere ad vo- » luntatem Dei exequendam. »

251. VI. Adversus tentationem *adhæSIONIS* bonis, et propin- quis. Eis quibus mori displicet, quia nimis adhærent bonis, dicat Confessarius, hæc non esse vera bona, cùm sint transeuntia, et de

brevi defectura, et si non deficiunt, potiùs animum angunt quàm solantur.

282. Si autem affligitur infirmus propter uxorem, filios, aut nepotes dilectos, quos relinquit, blandè sic hortetur : « Fili mi, » statutum est omnibus mori, omnes te ordine sequentur ; nunc » tuæ saluti consule, et animam tuam salva, et sic pro ipsis in » cœlo orabis, unâque cum ipsis eris aliquando beatus in æter- » num. Sed nunc quid dulciùs, quàm proficisci ad manendum cum » Jesu Christo, cum Regina cœli, et omnibus Sanctis ! »

283. Si autem angitur, quia conjunctos suos relinquit inopes, ei dicat : « Audi fili, si tu æternam salutem assequeris, multò meliùs » de cœlo, quàm de terra tuis opem ferre poteris. Sed ne dubites, » quia Deus, qui volatilia pascit, non omittet eis providere. Si tu » illos amas, Deus plus te diligit. »

VII. Adversùs tentationem odii, et vindictæ. Si quis propter aliquam acceptam offensam odio tenetur, 1. ipsi intimetur divinum præceptum : *Diligite inimicos vestros*. 2. Dicatur ei quòd qui non dimittit, nec veniam sperare possit à Deo qui dicit, *Foris canes, Apocal. 22. 15.* Canes (vindicum symbolum) repelluntur à cœlo. E converso Deus veniam certam promittit illi peccatori, qui veniam dat offensori suo, ex illo : *Dimitte, et dimittimini. Luc. 6. 37. 3.* Subdat, quòd si inimicus injustè læserit ipsum, quantò injustiùs ipse Deum? Quamobrem, si ipse petit à Deo ut sibi ignoscat, quantò magis proximo ipse ignoscere debet? *Sicut et Dominus donavit vobis, ita et vos. Col. 3. 13.* Ultimò ostendat eidem, quàm gratam rem Deo exhibeat, qui injurias dimittit. S. Joannes Gualbertus, postquam fratricidæ pepercit, Ecclesiam ingrediens, imaginemque Crucifixi salutans, vidit Redemptorem erga se caput inclinasse, ac si propter veniam datam ipsi gratias ageret. Sanctus Jacobus ante mortem amplexatus est eum qui se accusaverat. Sanctus Stephanus oravit pro eis qui eum lapidabant. Sanctus Ludovicus Galliæ Rex apud se cœnare fecit hunc qui sibi mortem fuerat molitus. Sanctus Ambrosius per multum tempus cuidam suo proditori alimenta subministravit. Et præcipuè primum exemplum de hoc præstitit Jesus Christus Dominus noster, qui in cruce positus pro persecutoribus et maledicentibus sibi valde Patrem exoravit.

§. III. Varia motiva, et affectus ægrotis suggerendi.

284. I. *Motiva fiducia.* De his supra (in §. II.) jam locuti sumus ; illis possunt sequentes adjungi ex Scriptura : *Nullus speravit in Domino, et confusus est. Eccli. 2. 11. Ipse est propitiatio pro peccatis nostris. 1. Joan. 2.* Jesus Christus ad hoc mortem subiit, ut nobis veniam criminum obtineret. *Pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit? Rom. 8. 32.* Quomodo igitur Deus remissionem nobis negabit, qui nobis proprium dedit Filium?

285. *Affectus fiducia :* Dominus illuminatio mea, et salus mea, quem timebo? *Ps. 26. 1.*

In manus tuas commendo spiritum meum, redemisti me, Domine, Deus veritatis.

Te ergo, quæsumus, tuis famulis subveni, quos pretioso sanguine redemisti.

In te, Domine, speravi; non confundar in æternum.

O bone Jesu, intra vulnera tua absconde me.

Vulnera tua, merita mea. S. Bernardus.

Jesu mi, non negabis mihi veniam, qui vitam et sanguinem mihi non negasti.

Passio Jesu, tu es spes mea. Merita Jesu, vos estis spes mea.

Vulnera Jesu, vos estis spes mea. Mors Jesu, tu es spes mea.

Maria, mater mea, salva me, miserere me.

Spes nostra, salve.

Sancta Maria, mater Dei, ora pro me peccatore.

Sub tuum præsidium confugimus, sancta Dei genitrix.

256. II. *Motiva et affectus Contritionis.* (Dicit S. Augustinus, quòd quisque usque ad extremum vitæ non debet omittere peccata sua deplorare.)

Non intres in judicium cum servo tuo. Ps. 142. Jesu mi, et Judex meus, parce mihi, antequam venias ad me judicandum.

Cor contritum et humiliatum, Deus, non despicias. Deus meus, oh si nunquam te offendissem!

Domine mi, non debebas sic tractari à me, sicut impiè feci.

Pater, non sum dignus vocari filius tuus. Ego à te discessi, tuam despexi gratiam, ultro te amisi: toto corde me pœnitet, Deus meus; propter amorem et sanguinem Jesu Christi, parce mihi.

Maledicta peccata mea, quæ Deo me privastis, ego vos detestor, abominor, et maledico!

Deus meus, quid mali fecisti, quòd ipse sic offendi te? Propter Jesum Filium tuum, miserere me.

Nunquam, Domine, te offendam quoadusque vivam; aut parum, aut multum mihi supersit, volo te amare.

Offero tibi in satisfactionem contumeliarum, quas tibi irrogavi, mortem meam, et dolores quos usque ad mortem perferam.

Domine, meritò me punis; nimis te offendi. Sed quæso, in hac, non in alia vita, me castiga.

O Maria, impetra mihi dolorem culparum mearum, remissionem, et perseverantiam.

257. III. *Motiva et affectus amoris.* Deus meus, qui es bonitas infinita, super omnia te diligo, amo te plusquam me, amo te ex toto corde. Deus meus, non sum dignus te amare, quia nimis te offendi, sed propter amorem Jesu fac me dignum.

Oh utinam et omnes te diligerent!

Jesu dulcissime, cupio pati et mori pro te, qui propter me pati et mori dignatus es.

Domine, castiga me uti vis, sed ne me prives te amare.

Deus meus, salva me; salus mea est amare te.

Opto Paradisum, ut in æternum, et ex totis viribus meis te diligam.

Deus meus, ne me dejicias in infernum ut mereor : ibi tu odio mihi habendus esses, sed animus mihi non suppetit te odio habere. Et quid mali, Domine mi, fecisti mihi, ut tu odio mihi habendus esses : fac, ut te amem, et mitte me quò vis.

Volo pati, quantum tibi placet : volo mori, ut tibi placeam. Devinci me tecum, Jesu mi, ne permittas me unquam separari à te.

Deus meus, fac, ut sim totus tuus, antequam moriar.

Quando erit, ut dicere possim : Deus meus, non possum amplius amittere te.

Oh Deus meus, amare te vellem, quantum tu mereris !

O Maria, trahe me totum ad Deum !

Mater mea, ego multum te diligo ; volo venire ad Cœlum, ad te amandum in æternum.

258. IV. *Motiva et affectus conformitatis.* Omne nostrum bonum et vita consistit in eo, ut conformemur Dei voluntati, juxta illud : *Vita in voluntate ejus. Ps. 29.* Deus quidem vult quæ nobis sunt meliori bono. S. Gertrudi cum Jesus apparuisset mortem et vitam offerens, respondit ipsa : *Domine, quod tu vis et ego volo.* Pariter S. Catharina Senensis, cum Jesus se illi præbuerit, offerens duplicem coronam, unam gemmarum, spinarum alteram, ut ipsa eligeret, ipsa respondit : *ego eligo, quæ tibi placet.*

259. *Affectus.* Eia N. si Deus te vocat ad aliam vitam, contentus es? Es contentus. Dic igitur semper : Domine, ecce me, fac de me, quod tibi placet. Semper fiat voluntas tua ; volo tantum, quod tu vis. Volo pati, quantum tu vis. Volo mori, quando tu vis.

In manus tuas commendo animam, et corpus meum, vitam et mortem.

Benedicam Dominum in omni tempore ; aut me consolaris, aut me crucias, Deus meus ; ego te amo, et semper te amare volo.

Deus meus, cum morte Jesu mortem meam conjungo, et sic eam tibi offero.

O voluntas Dei, tu es amor meus.

O beneplacitum Dei mei, me tibi totum in holocaustum trado.

260. V. *Motiva, et effectus desiderii erga Paradisum. Motiva.* Refert Blossius plures revelationes, ex quibus habetur, quòd in Purgatorio illi, qui tepidè Cœlum optavere, excruciantur peculiari pœna, appellata à Doctoribus Mysticis pœna *Desiderii*, aut *Languoris*. Præsens vita est pœnarum carcer, in quo Deum videre non possumus ; unde meritò rogabat David : *Educ de custodia animam meam. Ps. 141.* et S. Augustinus clamabat : *Eia Domine, moriar, ut te videam.* S. Hieronymus appellabat mortem, sororem suam, eique dicebat : *Aperi mihi, soror mea.* Et quidem rectè, nam mors est illa quæ Paradisi januas nobis reserat. Et ideo pariter. S. Carolus Borromæus, videns mortis effigiem cum falce in manu depictam, pictori præcepit, ut falcem

deleteret, et ejus vice clavem auream tanquam Cœli clavem depingeret. Expediit igitur, ut Sacerdos sæpius alloquatur Moribundos de cœlestis patriæ bonis, in mentem eis revocans quod Apostolus ait: *Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se* 1. Cor. 2.

261. *Affectus.* Quando veniam, et apparebo ante faciem Dei? Ps. 41. Quandone erit, Deus meus, quod tuam infinitam pulchritudinem videbo, et facie ad faciem te diligam?

In Cœlo semper te amabo, tu semper me amabis; invicem igitur in æternum nos amabimus, Deus meus, amor meus, et omnia.

Jesu mi, quando osculabor vulnera, quæ pro me sustulisti?

O Maria, quandonam erit, ut me videam ad pedes illius matris, quæ tantum me amavit, et auxiliata est?

Eia ergo, advocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos converte; et Jesum benedictum fructum ventris tui nobis post hoc exilium ostende.

262. VI. *Affectus, qui infirmo suggeri possunt dum Crucifixum deosculatur.*

Dulcissime Jesu, ne respicias quid ego in te, sed quid tu pro me fecisti.

Recordare quod sim una ex ovibus tuis, pro qua mortuus es.

Libenter pro te, qui pro me passus es, Jesu mi, moriar.

Accepto, Jesu mi, consumi pro te, qui totus consumi voluisti pro me.

Domine, majora tu pro me, quam ego pro te patior: tu innocens, ego peccator.

Deosculare, frater mi (*dicet Sacerdos infirmo*) pedes illos, qui tam ad te perditam ovem quærendam et salvandam laboraverunt. Dic quæso: Amabilissime Redemptor, amplector pedes tuos, ut Magdalena amplexa fuit, fac ut audiam te mihi pepercisse, ut illa audivit.

Deus meus, mihi propter amorem Jesu Christi parce, et fac ut bene moriar.

Pater æternæ, tu mihi Filium tuum tradidisti, me ego tibi trado.

Jesu mi, multum tibi ingratus fui, miserere meæ. Multoties infernum merui; non in alia, sed in hac vita me puni.

Si me fugientem quæsivisti, me te quærentem ne derelinquas.

Jesu dulcissime, ne permittas me separari à te.

Quis me separabit à charitate Christi?

Domine Jesu Christe, per illam amaritudinem, quam sustinuit nobilissima anima tua, quando egressa est de benedicto corpore tuo, miserere animæ meæ peccatrici in egressu de corpore meo. Amen.

Jesu mi, tu propter amorem meum mortuus es: ego propter amorem tuum mori volo.

263. VII. *Affectus qui suggeri possunt Sacerdotibus, et Religiosis infirmis.*

In pace in idipsum dormiam, et requiescam.

Deus meus et omnia. O me beatum, si omnia amittam, ut acquiram te meum summum bonum.

In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum.

Ne projicias me à facie tua.

Jesu dulcissime, ne permittas me separari à te.

Amore amoris tui moriar, qui amore amoris mei dignatus es mori. *Ita dicebat Sanctus Franciscus.*

Cor contritum et humilitatum, Deus, non despicies.

In te, Domine, speravi; non confundar in æternum.

Diligam te, Domine, fortitudo mea.

Eia moriar, Domine, ut te videam.

Quid mihi est in Cælo; et à te quid volui super terram?

Deus cordis mei, et pars mea in æternum.

Dominus illuminatio mea, et salus mea, quem timebo?

Pater, peccavi, non sum dignus vocari filius tuus.

Averte faciem tuam à peccatis meis.

Tuus sum ego, salvum me fac.

Quando veniam, et apparebo ante faciem Dei?

Quis nos separabit à charitate Christi?

Amorem tui solum cum gratia tua mihi dones, et dives sum satis. *S. Ignatius Loyola.*

Dilectus meus mihi, et ego illi.

Misericordias Domini in æternum cantabo.

Sancta Maria, mater Dei, ora pro nobis peccatoribus, etc.

Vita, dulcedo, spes nostra, salve.

Refugium peccatorum, ora pro nobis.

Maria, mater gratiæ, mater misericordiæ, tu nos ab hoste protege, et hora mortis suscipe.

O salus te invocantium! *S. Bonav.*

§. IV. Monita circa ultima Sacramenta, et modum quo utiliter recipi possunt.

I. Circa Confessionem.

264. JAM supra in Praxi monitum est (vide nostram Moralem. l. 6. n. 260 et 484. ad num. 2.) quòd dum periculum mortis instat, aut forsan Viaticum delatum est, et longa esset Confessio, tunc infirmus non tenetur omnia et singula peccata confiteri. Hæc amplius animadvertenda sequentia, nimirum. 1. Quisque Sacerdos in mortis non solum articulo, sed etiam periculo (ut *Trid. sess. 14. c. 7. declaravit*) censuris et casibus reservatis districtos potest absolvere (l. 6. n. 561.) Advertendum tamen est, quòd circa censuras reservatas tenetur Confessarius facultate carens infirmo imponere, ut elapso mortis periculo, se præsentet Superiori, secus in censuras reincident. n. 563. v. *Secus. 2.* Simplex Sacerdos absolvere non potest, præsentate Confessario approbato; secus tamen, si Confessarius approbatus veniat jam incepta Confessione; secus etiam, si approbatus sit

complex personæ infirmæ in peccato turpi, uti decrevit sum. Pontif. Benedictus XIV, (*lib. cit. num. 553.*) 3. Moribundus sensibus destitutus rectè potest absolvi, saltem sub conditione (quod securius est), dummodo constet infirmum absolutionem desiderasse, pœnitentiæ signum præbens; aut si Confessionem quæsierit; *num. 481.* et id intelligitur, etiamsi moribundus, in actu peccati sensus amiserit. *L. c.* ex D. Augustini auctoritate, et ratione; quia ex una parte conditio Sacramenti irreverentiam removet, et ex alia semper in tali casu quemque velle suæ saluti consulere judicatur, et sensibile aliquod signum ostendere, licet morbi causa signum non bene intelligatur. 4. Si infirmus post tertium diem, licet de periculo monitus, nec tamen confiteri vellet, optimum erit si Sacerdos medicum monefaciat, ut juxta S. Pii V Bullam, eum non ampliùs invisere eat. Si tamen infirmus in sua adhuc maneant perveracia, tunc Medico curam denuo suscipere licebit; vide *l. 6. num. 664.*

II. Circa Communionem.

265. SEQUENTIA adnotantur monita. I. Ut infirmo Viaticum ministrari possit necesse non est, ut omni vitæ spe destitutus sit, sed sufficit mortis periculum. *l. 6. n. 284.* II. Si vomitûs periculum adsit, Viaticum dari non potest, licet præmittatur experientia cum particula non consecrata. *n. 292. v. In dubio III.* Pueris ratione pollentibus etiam ritè Viaticum dari potest; necnon freneticis, dummodo sanctè vixisse constet, aut paulo ante confessi sint, et periculum irreverentiæ non adsit: ideoque cum istis probabiliter licitum est experiri cum particula non consecrata. IV. Infirmis etiam in Parasceve, ut habetur ex S. Rituum Congregationis Decreto anno 1622 edito, Viaticum ministrare, non tantùm licet, sed ad hoc Parochi tenentur.

266. V. Communis sententia tenet, quòd in eadem infirmitate ægroto non jejuno pluries Viaticum dari possit; saltem si intersit sex vel octo dierum spatium; imò multi Doctores minus temporis intervalli exigunt, vide *n. 284 et 285.* Si tamen ægrotus mane ex sua devotione communicavit, non potest eo ipsomet die Viaticum dari, nisi tamen mortis periculum ex aliquo supervenienti morbo violento, nempe vulneris, veneni, casûs et similis advenerit. Secus si ægrotus in infirmitate jam constitutus mane communicavit; vide rationem cit. *n. 285. Dub. 3.*

267. VI. Si tamen infirmus tantùm confessus sit, et malum increbrescit, tunc Sacerdos eum, ut quantò citiùs Viaticum accipiat, sedulo disponat, ut sana mente, et majori fructu recipiat; ideoque desiderium recipiendi Viaticum in animum inducere curet, ut ita munitus dæmonis viribus majori nixu et gratia obstare possit, utque Jesu Redemptori nostro magis se uniat; qui eum invisere cupit (dicat) ut suas possit in se gratias effundere, et ad cœlestem patriam brevè perducere; sin autem, ut si expedierit, etiam corporis salutem impertiatur. S. Cyrillus Alexandr. ait, quòd sancta Eucharistia etiam morbos depellit, et

ægrotos sanat. Et de suomet patre S. Gregor. Nazianz. refert, quòd statim ac Communionem accepit, convaluit.

268. Sacerdos igitur sic infirmum alloquetur : Frater mi, licet tua sanitas non sit desperata, in periculo tamen est; ideoque optimum est, ut quantò citiùs potes, Viaticum accipias; nam Christus in pristinam te restituet sanitatem, si hoc tuæ æternæ saluti expedierit; si tamen mori debes, contra diabolum in tuum auxilium veniet, et tui itineris ad beatam patriam comes erit. Quid dicis? cupisne Viaticum accipere? Quidem : Eia igitur præpara animam tuam ad amplectendum tuum Redemptorem, qui pro te mortuus est. Dic toto corde : Veni, Jesu mi, veni, amor meus; omne bonum meum, veni; ad te anima mea desiderat. *Quid mihi est in Cælo, et à te quid volui super terram? Deus cordis mei, et pars mea in æternum.*

269. Sacerdotis autem, cùm Viaticum pervenerit, si cura ab infirmi cubiculo parentes, uxorem nempe, sorores, filios, etc. qui passionis ei esse possunt causa, depellere. Tunc ei subjungat : S. Philippus Neri, cùm in suo cubiculo SS. Sacramentum viderit, exclamavit : *En amor meus, en amor meus.* Dic etiam, frater, dic : En amor meus : En hęc est Filius Dei, qui pro tua salute descendit de Cælis, homo factus est, pro te in cruce mortem subire voluit, et nunc te invisum in ipso tuo cubiculo venit. Bono sis animo, jam tibi peccata condonavit. Culparum tuarum jam te pœnituit, et adhuc pœnitet. Sed nunc diligis Dominum Deum tuum ex toto corde tuo; itane est? Eia ergo dic : Amo te, Deus meus, super omnia, et quia diligo te, me pœnitet peccasse; propter amorem tuum libenter morior; jam, si tibi placet mori cupio, ut videam te, et in æternum amem.

270. Dicat inde : Si igitur N. Jesum amas, parcis nunc amore suf omnibus, qui te in aliquo offenderunt : non est ita? petisne etiam veniam, quibus injurias et offensas irrogasti? Eia igitur converte faciem tuam ad Jesum, qui te amplecti cupit : dic toto corde : Domine, non sum dignus, sed licet indignum te tanto munere fatearis, ad te tamen Dominus venire vult. Iterum igitur eum ardentem voca : veni, Domine, veni; amor meus, Deus meus, et omnia, veni; ad te sitit anima mea, et præter te nihil aliud cupit.

271. Communicato jam infirmo, ad gratiarum actionem illum adjuvet Sacerdos : Eia igitur, frater, age nunc Domino gratias, qui ad te venire, teque amplecti dignatus est. Sacramentum est, et verè dicitur *future gloriæ pignus.* Dominus tecum est, quid ampliùs times? Exulta, frater, Deus tibi dare vult Paradisum, ideoque totum se tibi impertiri dignatus est : dic ergo : Dominus meus, amor meus, te amplector. Tibi gratias ago, te amo, et in æternum me te amaturum spem habeo : me pœnitet te offēdisse, et nunc quidquid mihi superest vitæ, in tuum amorem impendere firmiter propono.

272. Jesu mi, vitam meam in holocaustum libenter offero, si tibi placet eam mihi auferre. Fiat semper voluntas tua Sanctam

perseverantiam, amorem tuum mihi tantum concedere precor, ita ut amandote animam efflem, ut veniam ad te semper amandum in Cælo. Tu me non deseres, ego non deseram te; ergo Deus animæ meæ; in æternum nos invicem diligemus.

III. Circa Extremam Unctionem.

273. EXTREMA Unctio, uti est ultimum Sacramentum, ita ex D. Thoma est vitæ spiritualis corona; ipsa homo munitus, ad caelestem patriam ingredi disponatur. Unde Sacramentum hoc, dum ægrotus mente pollet, ut ei magis prosit, opus est ut conferatur, quoniam, licet conferri non possit, nisi grave mortis periculum (saltem probabile) immineat (ut in nostra *Morali l. 6. n. 714. Dub. 4.*); tamen ad ultimum vitæ discrimen prorsus differendum non est; *l. c. Advert. 1.* Unde ait Catechismus Romanus §. 9. graviter peccare Parochos illos, qui conferunt Extremam Unctionem, quando nulla adest spes vitæ et ægrotus jam privatur sensibus.

274. Ægrotus Sacerdos suadere studeat, quod Extrema Unctio, si animæ profutura erit, etiam ad corporis sanitatem confert, ut Trident. *Sess. 14. cap. 2.* « Interdum sanitatem corporis consequitur, ubi salutis animæ expedierit. » Hæc tamen sanitas non confertur, cum naturaliter impossibile sit iterum restitui ad salutem. De quodam jam defuncto refert Joannes Eroidus, hunc revelasse, quod si Extremam Unctionem prius accepisset, statim è morbo convalesceret; sed quia distulerat, ideo vita defunctus erat, et ad Purgatorii ignem centum annis damnatus. Secundò, Extrema Unctio peccatorum reliquias remittit, et per consequens ipsa peccata mortalia occulta, ut docet D. Thomas: vide *n. 731. v. Commune*; ideoque instruat infirmus, ut dum quinque corporis sensus unguuntur, ipse de culpis per ipsos commissis doleat, et cum astantibus etiam respondeat, *Amen*. Tertio, particularia auxilia, quibus in illo extremo agone inferni vim et impetum frangat, subministrabit. Quare multum probabile est gravi se obstringi scelere, qui hoc Sacramentum accipere recusaret, ut supra diximus *n. 107.*

275. Aliqua hic de hujus Sacramenti administratione scitu necessaria adnotare licebit. I. Speculativè tantum probabilis est opinio dicens, sufficere ministrare hoc Sacramentum cum una gutta olei, illam per partes non diffundendo, non tamen practicè, quia hæc vera unctio non esset, vide in *morali l. 6. n. 709. Dub. 4.* II. Unctio quinque sensuum, secundum communio rem sententiam, est de necessitate Sacramenti; unde pestis tantum tempore, aut alicujus imminenti mortis periculi, una tantum, et in uno sensu (consultius in capite) unctio adhiberi potest; sed semper sub conditione si valet, et cum unica forma dicendo: « Per istam sanctam unctionem, et suam piissimam misericordiam in dulgeat tibi Deus quidquid deliquisti per sensus, nempe visum, » auditum, gustum, odoratum, et tactum. » Si tamen æger supervivat, unctiones etiam sub conditione reiterari debent in

omnibus quinque sensibus solitis orationibus. III. Non est de necessitate Sacramenti geminam unctionem in geminis partibus adhiberi; imò unum tantum oculum, unam manum, etc. ungeri, licite sufficit, dum periculum infectionis, aut alia necessitas adest, ut si infirmus nequit verti ad aliud latus. Unctio renum in mulieribus, et etiam in viris, *quando infirmus* (ut Ritualis monet) *commode moveri non potest, relinquatur.* Unctionem tamen pedum non esse de necessitate Sacramenti, communis sententia tenet; sed quoad hoc Ecclesiarum consuetudo servanda est *l. 6. n. 710. v. Certum.* Nec etiam de necessitate Sacramenti est in unctione partium ordinem servari: gravi tamen culpa se obstringit, qui receptum Ordinem non servat. *l. c. v. Nec etiam.*

IV. Extrema Unctio rite confertur pueris, qui ratione pollent, licet non adhuc S. Communionis idonei sint; in dubio tamen de usu rationis, sub conditione administrari potest. Hoc tamen cum prorsus carentibus non procedit; *n. 719 et 720.* V. Amentibus, phreneticis, delirantibus, qui dum rationis usum habuerunt, pii animi significationem dederint, et Extremam Unctionem petierint, aut verisimiliter petiissent, aut contritionis signum dederint, remoto irreverentiæ periculo, dari potest; et eò magis, si lucidum aliquod rationis intervallum habent. In dubio autem, an quis unquam rationis usum habuerit, conditionatè dari potest. Idem de ebriis, si in mortis periculo sint, nisi tamen constet in mortali culpa fuisse, cum sensus ipsi amiserint; impenitentibus enim, et qui in manifesto peccato moriuntur, necnon excommunicatis penitus denegari debet, ut Ritualis Rom. monet, vide *nu. 732.* Mulieribus etiam si ob partus dolores in mortis periculo sint, conferri potest. VI. Orationes præscriptæ, extra formam, in casu necessitatis omitti possunt; quæ postea dicentur, si tempus suppetet; *n. 727.* et in tali casu Sacramentum dari potest, etiam sine luminibus, et ministro; *n. 728.* et etiam probabiliter sine superpelliceo, et stola. *n. 726.* VII. Extrema Unctio in eadem infirmitate iterari non potest, nisi infirmus à priori probabiliter convalescerit, et in aliud simile vitæ discrimen inciderit, ut docent Trid. *Sess. 14. c. 3.* vide *n. 715.* VIII. Cautus sit Sacerdos in movendo ægroto, ut partes viciniore ungat; si tamen cautè revolvat, et casu ille è vita decedat, irregularitatem non teneat incurrisse, quia in hoc casu irregularitas non potest incurri nisi ob delictum, à quo qui charitatis causa aliquod inculpabiliter agit, immunis est. Denique rectè Parochus in sua domo oleum sanctum in nocte servare potest, dum probabile periculum prævidet, ut si vocatus ad conferendam Unctionem præsto non esset; *l. 6. n. 730.*

§ V. Monita circa agonem et mortem.

276. CUM infirmus ad agonem pervenit, solitis Ecclesiæ armis, ad eum juvandum quantum potest, Sacerdos utatur. 1. Sæpius infirmum aqua benedicta aspergat, præsertim si diabolicis tentationibus exagitur, dicendo: *Exurgat Deus et dissipentur inimici*

opus. 2. Crucis signaculo eum muniat, et benedicat, dicens: *Benedicat te Deus Pater, qui te creavit, benedicat te filius qui te redemit, benedicat te Spiritus Sanctus, qui te sanctificavit.* 3. Salvatoris necnon Mariæ aliquam Imaginem sæpius osculandam præbeat. 4. Curet, ut infirmus lucretur omnes indulgentias, quas potest, et præsertim accipiat Benedictionem in articulo mortis Bened. XIV, cum indulgentia plenaria quam infra n. 287. annotabimus. 5. Identidem suggerat aliquam sententiam doloris, conformitatis, spei in Domini passionem ac B. Mariæ intercessionem, necnon desiderii videndi Deum. Curet tamen Sacerdos intervallum aliquod interponere, ut infirmus habeat et ruminandi tempus, et quiescendi. 6. Studeat, ut sæpissime SS. Jesu, et Mariæ nomina, saltem corde, si loqui non potest, invocet, ac multoties dicat orationem illam: *Maria, Mater gratia, etc.* 7. Agonis tempore faciat, ut circumstantes plures B. Mariæ Virginis Litanias pro ægroto dicant. Proderit etiam procurare, ut tunc pulsetur campana agonis ad significandam omnibus instantem mortem expirantis ægroti, ut pro ipso orent; quod etiam sanis juvare potest. Et hinc generatim animadvertendum est quòd cum infirmus est sensibus destitutus, magis illi prosunt orationes, quàm verba. 8. Cum tempus expirandi instat, Sacerdos flebili voce, et flexis genibus consuetas Ecclesiæ orationes recitet: *Proficiscere, etc.* ut in fine Breviarii, aut Rituali habentur. 9. Dum manus, pedes, etc. infirmi tangit, ut an frigerit videat, caveat saltem ne sæpius fiat, ne eum perturbet; et ne illum vertant, curet illo agonis statu, nam id mortem accelerare posset. 10. Dum infirmus proximus est ad transitum, tradat ei candelam benedictam, ut teneat, et ita in fide mori profiteatur. 11. Dum infirmus adhuc sensibus viget absolutionem pluries ei conferre post brevem reconciliationem juvabit, ut ita ille magis circa statum gratiæ securus reddatur, si forsitan præteritæ Confessiones invalidæ fuissent, aut saltem gratiæ augmentum recipiat, nec non Purgatorii pœnæ ei minuantur. Et si fortè infirmus tunc in lethale incidat peccatum, ne exterreat, sed monens, ut Jesu ac Mariæ nomina invocet, si rursus tentatur benignè ipsum confortet, procuret ut Contritionis actum eliciat, et statim absolvat. Si tamen infirmus jam sensibus caret, et nullum doloris, nec absolutionis desiderii signum ostendit, non expedit valde sæpius intra eundem diem absolutionem ei impertiri; quia tunc, licèt conditionatè detur, tamen ut Sacramentum valeat administrari sub conditione, urgens et gravis causa requiritur; unde opus est, ut aliquod notabile temporis spatium intermediet. Verùm in hoc Sacerdos ex conscientia quam noverit infirmi, se dirigere debet; nam si ille habituatus fuit in pravis cogitationibus, si aliquo vulnere moritur, aut aliqua odii vel impuri amoris passione est irretitus, si infirmitas est nimis acerba, et ipse non libenti animo suffert, tunc sæpius absolutio dari potest, sin autem, sufficit utrium aut quatuor horarum spatium intercedat: frequentius tamen, si jamjam moriturus est. Non abs re autem erit ægrotum, dum mente pollet, monere, ut si loqui non possit, signum aliquod

omnibus quinque sensibus solitis orationibus. III. Non est de necessitate Sacramenti geminam unctionem in geminis partibus adhiberi; imò unum tantum oculum, unam manum, etc. ungere, licite sufficit, dum periculum infectionis, aut alia necessitas adest, ut si infirmus nequit verti ad aliud latus. Unctio renum in mulieribus, et etiam in viris, quando infirmus (ut Ritualis monet) commodè moveri non potest, relinquitur. Unctionem tamen pedum non esse de necessitate Sacramenti, communis sententia tenet; sed quoad hoc Ecclesiarum consuetudo servanda est l. 6. n. 710. v. *Certum*. Nec etiam de necessitate Sacramenti est in unctione partium ordinem servari: gravi tamen culpa se obstringit, qui receptum Ordinem non servat. l. c. v. *Nec etiam*. IV. Extrema Unctio ritè confertur pueris, qui ratione pollent, licet non adhuc S. Communionis idonei sint; in dubio tamen de usu rationis, sub conditione administrari potest. Hoc tamen cum prorsus carentibus non procedit; n. 719 et 720. V. Amentibus, phreneticis, delirantibus, qui dum rationis usum habuerunt, pii animi significationem dederint, et Extremam Unctionem petierint, aut verisimiliter petiissent, aut contritionis signum dederint, remoto irreverentiæ periculo, dari potest; et eò magis, si lucidum aliquod rationis intervallum habent. In dubio autem, an quis unquam rationis usum habuerit, conditionatè dari potest. Idem de ebriis, si in mortis periculo sint, nisi tamen constet in mortali culpa fuisse, cum sensus ipsi amiserint; impœnitentibus enim, et qui in manifesto peccato moriuntur, necnon excommunicatis penitus denegari debet, ut Ritualis Rom. monet, vide nu. 732. Mulieribus etiam si ob partus dolores in mortis periculo sint, conferri potest. VI. Orationes præscriptæ, extra formam, in casu necessitatis omitti possunt; quæ postea dicentur, si tempus suppetet; n. 727. et in tali casu Sacramentum dari potest, etiam sine luminibus, et ministro; n. 728. et etiam probabiliter sine superpelliceo, et stola. n. 726. VII. Extrema Unctio in eadem infirmitate iterari non potest, nisi infirmus à priori probabiliter convalescerit, et in aliud simile vitæ discrimen inciderit, ut docent Trid. Sess. 14. c. 3. vide n. 715. VIII. Cautus sit Sacerdos in movendo ægroto, ut partes viciniore ungat; si tamen cautè revolvat, et casu ille è vita decedat, irregularitatem non teneat incurrisse, quia in hoc casu irregularitas non potest incurri nisi ob delictum, à quo qui charitatis causa aliquod inculpabiliter agit, immunis est. Denique rectè Parochus in sua domo oleum sanctum in nocte servare potest, dum probabile periculum prævidet, ut si vocatus ad conferendam Unctionem præsto non esset; l. 6. n. 730.

§ V. Monita circa agonem et mortem.

276. CUM infirmus ad agonem pervenit, solitis Ecclesiæ armis, ad eum juvandum quantum potest, Sacerdos utatur. 1. Sæpius infirmum aqua benedicta aspergat, præsertim si diabolicis tentationibus exagitur, dicendo: *Exurgat Deus et dissipentur inimici*

opus. 2. Crucis signaculo eum muniat, et benedicat, dicens: *Benedicat te Deus Pater, qui te creavit, benedicat te filius qui te redemit, benedicat te Spiritus Sanctus, qui te sanctificavit.* 3. Salvatoris necnon Mariæ aliquam Imaginem sæpius osculandam præbeat. 4. Curet, ut infirmus lucretur omnes indulgentias, quas potest, et præsertim accipiat Benedictionem in articulo mortis Bened. XIV, cum indulgentia plénaria quam infra n. 287. annotabimus. 5. Identidem suggerat aliquam sententiam doloris, conformitatis, spei in Domini passionem ac B. Mariæ intercessionem, necnon desiderii videndi Deum. Curet tamen Sacerdos intervallum aliquod interponere, ut infirmus habeat et ruminandi tempus, et quiescendi. 6. Studeat, ut sæpissime SS. Jesu, et Mariæ nomina, saltem corde, si loqui non potest, invocet, ac multoties dicat orationem illam: *Maria, Mater gratiæ, etc.* 7. Agonis tempore faciat, ut circumstantes plures B. Mariæ Virginis Litanias pro ægroto dicant. Proderit etiam procurare, ut tunc pulsetur campana agonis ad significandam omnibus instantem mortem expirantis ægroti, ut pro ipso orent; quod etiam sanis juvare potest. Et hęc generatim animadvertendum est quòd cum infirmus est sensibus destitutus, magis illi prosumt orationes, quàm verba. 8. Cum tempus expirandi instat, Sacerdos flebili voce, et flexis genibus consuetas Ecclesiæ orationes recitet: *Proficiscere, etc.* ut in fine Breviarii, aut Rituali habentur. 9. Dum manus, pedes, etc. infirmi tangit, ut an frigerit videat, caveat saltem ne sæpius fiat, ne eum perturbet; et ne illum vertant, curet illo agonis statu, nam id mortem accelerare posset. 10. Dum infirmus proximus est ad transitum, tradat ei candelam benedictam, ut teneat, et ita in fide mori profiteatur. 11. Dum infirmus adhuc sensibus viget absolutionem pluries ei conferre post brevem reconciliationem juvabit, ut ita ille magis circa statum gratiæ securus reddatur, si forsan præteritæ Confessiones invalidæ fuissent, aut saltem gratiæ augmentum recipiat, nec non Purgatorii pœnæ ei minuantur. Et si fortè infirmus tunc in lethale incidat peccatum, ne exterreat, sed monens, ut Jesu ac Mariæ nomina invocet, si rursus tentatur benignè ipsum confortet, procuret ut Contritionis actum eliciat, et statim absolvat. Si tamen infirmus jam sensibus caret, et nullum doloris, nec absolutionis desiderii signum ostendit, non expedit valde sæpius intra eundem diem absolutionem ei impertiri; quia tunc, licèt conditionatè detur, tamen ut Sacramentum valeat administrari sub conditione, urgens et gravis causa requiritur; unde opus est, ut aliquod notabile temporis spatium intermediet. Verùm in hoc Sacerdos ex conscientia quam noverit infirmi, se dirigere debet; nam si ille habituatus fuit in pravis cogitationibus, si aliquo vulnere moritur, aut aliqua odii vel impuri amoris passione est irretitus, si infirmitas est nimis acerba, et ipse non libenti animo suffert, tunc sæpius absolutio dari potest, sin autem, sufficit ut trium aut quatuor horarum spatium intercedat: frequentius tamen, si jamjam moriturus est. Non abs re autem erit ægrotum, dum mente pollet, monere, ut si loqui non possit, signum aliquod

determinatum det dum absolutionem quærit, aut dum Sacerdos ipsi conferre vult, ex. gr. oculos claudat vel reseret, manum elevet, caput inclinet, et similia.

277. Denique cùm è vita jam migrasse videtur, caveat Sacerdos, ne statim det hujus mortis signum, nec ei statim oculos, aut os claudat, aut visum pannis cooperiat; quia si nondum mortuus esset, fieri posset, ut mors acceleraretur: Cùm autem certò scit animam jam ad æternitatem migrasse, circumstantes, ut pro illa orent, moneat, et ipse flexis genibus dicat orationem: *Subœnite, etc.* ut in Rituali, vel in Breviario.

§ VI. Affectus, qui suggeri possunt agonis et expirationis tempore.

278. In te, Deus meus, infallibilis veritas, credo; in te, immensa misericordia, spero; te, infinita bonitas, amo.

In te, Domine, speravi; non confundar in æternum.

Quid mihi est in cœlo, et à te quid volui super terram? Deus cordis mei, et pars mea in æternum.

Amore amoris tui moriar, qui amore amoris mei dignatus es mori.

In pace in idipsum dormiam, et requiescam.

Deus meus, ne permittas me separari à te. Nihil aliud quàm te cupio. Bonitas infinita, te amo, te amo, te amo.

(*Hic animadvertendum est, actus frequentiores, qui moribundis suggeri debent, esse amoris, et doloris.*)

Jesu mi, qui mox me judicaturus es, parce mihi antequam judices. Te amo, et quia te amo, me pœnitet te offendisse.

Jesu mi dulcissime, ne permittas me separari à te.

Sanguis Jesu, lava me. Passio Christi, salva me.

In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum.

Moriar Domine, ut te videam.

Maria Mater Dei, ora Jesum pro me.

Illos tuos misericordes oculos ad nos converte, et Jesum benedictum ventris tui nobis post hoc exilium ostende.

O Maria, nunc tempus est auxiliandi servum tuum.

Mater mea, ne derelinquas me.

O Paradise, & pulchra patria, ô amoris patria, quando te videbo?

Deus meus, quandonam facie ad faciem te amabo?

Quandonam, Jesu mi, te non ampliùs amittendi securus ero?

Deus meus, et omnia.

Contentus sum omnia amittere, ut acquiram te, Deus meus.

Deus meus, propter amorem Jesu miserere mei.

Mitte me, Domine, in Purgatorii ignem, per quantum vis; noli tamen in infernum, ubi te amare non possum.

Te ergo quæsumus tuis famulis subveni, quos pretioso Sanguine redemisti,

Æternæ Deus, spero, et cupio in æternum te amare.

Amor meus crucifixus est. Jesus meus, amor meus pro me mortuus est.

Deus, in adiutorium meum intende: Domine, ad adjuvandum, etc.

Pater æternæ, propter amorem Jesu Christi da mihi gratiam tuam. Te amo, inæpœnitet.

Quomodo possum de tot tantisque beneficiis quæ mihi fecisti, Deus meus, tibi rependere gratias? spero in æternum in Cœlo tibi gratias agere.

Maria Mater gratiæ, Mater misericordiæ, etc.

Miserere mei Deus, secundum magnam, etc.

Misericordias Domini in æternum cantabo.

Dum jam Ægrotus est proximus ad expirandum.

279. In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum.

Jesu mi, tibi animam quam tuo Sanguine redemisti commendo.

(*Hic notandum, quòd dum infirmus jam ad exhalandam animam vicinus est, actus suggeri debent sine pausa, et fortiori voce.*)

Domine Jesu Christe, suscipe spiritum meum.

Deus meus, adjuva me; sine me venire ad amandum te in æternum.

Jesu mi, amor meus, te amo, inæpœnitet. O utinam nunquam te offendissem!

O Maria spes mea, adjuva me, ora pro me Jesum.

Jesu mi, propter passionem tuam salva me. Te amo.

Maria Mater mea, in hac hora adjuva me; S. Joseph, adjuva me; Archangele Michael, defende me; Angele Custos, custodi me; S. N. (*hic præcipuè protectoris ægroti fiat mentio*) commenda me Jesu Christo; Sancti et Sanctæ Dei, intercedite pro me.

Jesus, Jesus, Jesus.

Jesus et Maria, vobis cor et animam meam dono.

§ VII. Imminentis mortis signa.

280. OPUS est, ut Sacerdos, qui hoc charitatis opus exercet, imminentis mortis signa sciat, ut ita ægrotò jam expiranti melius auxiliari possit. Præcipua et universalia sunt tria. 1. Pulsus deficiens, intermittens, et formicans. 2. Respiratio anxia. 3. Oculi excavati, et vitreati, aut apertiores solito, vel nimis lucidi, vel qui respiciunt objecta diversè quàm aliis apparent, ut cum palpebra superior relaxatur, et inferiorem prætergreditur.

281. Sunt etiam proxima mortis signa nasus acuminatus, et in extremitate albescens, et si nares ad instar fellis sufflant; manus trementes; unguis lividæ, facies flavescens, livida, et mutata; flatus malè olens et frigidus; corpus immobile; sudor frontis et frigidus; calor in cordis parte nimius; festucas aut lanugines colligere; frigiditas in extremis omnibus partibus.

282. Signa tamen proximiora expirationi sunt respiratio in-

termittens aut languida; defectio pulsûs; dentium contractio, stridor; distillatio in gela, lene quoddam suspirium, aut gemitus; lacryma per se fluens; oris, oculorum, et totius corporis torsio.

283. Advertatur 1. quòd laborantes hydropisi, ectica feбри, vel vulnere, asthmate, pleuritide, sanguinis fluxu, vomitu, angina, et reumatismo, interdum cum paucis nominatorum signorum, et cum pulsu valido, ac loquentes exspirare solent. Advertatur 2. proximos morti esse, qui pleuritide laborant, dum respirationis difficultas, anhelitûs augmentum, et labia livida apparent. Vulnerati capite interdum subitaneo deliquio moriuntur. Hydro-pici, dum pulsus deficit, et anhelitus crescit, ac in ore spuma apparet. Qui feбри intermittente laborant, mori solent in principio accessionis, dum convulsiones vehementes sunt. Advertatur 3. quòd in aliquibus ægrotis flatus est adeo debilis, et cordis exagitatio, ut jam mortui videantur, et tamen non sunt. Signa certiora mortis sunt omnium partium frigiditas, etiam in regione cordis, corporis gravitas, alicujus spiritus naribus admoti stimulum non sentire, speculum ori accessum flatu non maculari, et similia. Demum advertatur, quòd interdum signa superiùs in primo loco adducta fallunt, etiam sine illis repente moritur infirmus: ideoque dum ægrotus in agone manet, Sacerdos oportet ne unquam illum deserat.

§ VIII et Ultimus.

Preces, Actus Christiani, et Benedictiones.

284. SACERDOS domum ægroti ingrediens, dicat: *℟. Pax huic domui. ℞. Et omnibus habitantibus in ea.*

Cubiculum aqua benedicta aspergat, dicens: *Asperges me hysopo, et mundabor: lavabis me, et super nivem dealbabor.*

Deinde dicere potest orationes, quæ in Rituali pro Extrema Unctione extant. Postea Redemptoris Imaginem accipiat, dicens: *Ecce Crucem Domini, fugite partes aduersæ.* Et ægrotò osculandam præbeat, dicens: *Deosculare pedes Jesu Christi, qui in hac cruce pro salute tua mortuus est.*

285. Deinde dicat: in Deo N. N. igitur spem tuam jacta: sperare volumus Mariam à Deo salutem tibi intercedere velle: infirmitas tamen gravis est, voluntati Dei tuam conforma, ut de te faciat quod ipse vult. Eia igitur mecum recita christianos actus, ut cum istis ad mortem te disponere valeas, si pro bono animæ tuæ sic Deus determinavit; dic ergo mecum.

286. *Actus fidei.* Deus meus, infallibilis veritas, quia tu, quod credere debeam, S. Ecclesiæ revelasti, credo quod credendum mihi proponit Ecclesia. Credo te esse Deum meum, omnium Creatorem, qui per totam æternitatem Paradiso justos remaneras, peccatores verò castigas inferno. Credo Mysteriorum SS. Trinitatis, id est Patrem, Filium, et Spiritum Sanctum, tres Personas, sed unum Deum. Credo secundam Personam, id est Filium Dei.

hominem factum in utero Mariæ semper virginis, et pro nobis peccatoribus mortuum esse. Inde resurrexit, et nunc sedet ad dexteram Patris; et inde venturus est judicare vivos et mortuos. Credo septem sancta Sacramenta, et præcipuè Baptismum, Pœnitentiam, Eucharistiam, et Extremam Unctionem. Credo omnes resurgere debere cum corporibus suis; et denique credo omne id, quod credit S. Ecclesia Catholica Romana, in qua sola credo esse veram fidem.

Actus spei. Deus meus, confisus tuis promissis, quia tu fidelis, potens, et misericors es, propter merita Jesu Christi peccatorum meorum veniam spero, perseverantiam finalem, et gloriam Paradisi.

Actus amoris, et doloris. Deus meus, quia tu es bonitas infinita, infinito amore dignus, toto corde meo te diligo super omnia. Et omnium peccatorum meorum, quia tuam infinitam bonitatem offendi, tota anima mea me pœnitet, et displicet. Potius mori quàm peccare propono, cum gratia tua, quam, ut nunc mihi des et semper, te precor. Et propono sancta Sacramenta recipere in vita, et in morte.

(Benedictus XIII, omnibus qui semel in die hos eliciunt actus, septem annos Indulgentiæ largitus est; et si per mensem integrum fiant, confessis et communicatis, juxta mentem Pontificis orantibus, Indulgentiam plenariam, etiam pro defunctorum animabus, concessit: et si in fine vitæ quis faciat, Indulgentiam in articulo mortis.)

Benedictio in articulo mortis.

287. PONTIFEX regnans anno 1747 Episcopis facultatem concessit, et eorum delegatis, Indulgentiam plenariam ægrotis petentibus impertiri, postquam Pœnitentiæ, Eucharistiæ, et Extremæ-Unionis Sacramenta acceperint, aut verosimiliter quæsiissent, aut si signum aliquod doloris dederint, et postea sensus amiserint. Non verò excommunicatis, et impœnitentibus; nec etiam illis qui in evidenti peccato moriuntur. Advertendum tamen, quòd prædicta facultas debet ab Episcopis exposci à quocumque Pontifice pro tempore; in Bulla enim, *Pia Mater*, T. II. n. 34, edita à Bened. XIV, die 5. April. anno 1747, sic dicitur: « Cum novi » Episcopi Catholicis gregibus in posterum præficiantur, volumus, atque statuimus, ut singulis eorum hujusmodi facultatem » à Nobis, sive à Romano pro tempore Pontifice postulantes, » Apostolicæ Litteræ, etc. » Modus quo datur benedictio est hic.

288. Sacerdos ægroti domum ingrediens dicat: *Pax huic domui, et omnibus habitantibus in ea.* Et aspergat aqua benedicta, dicens: *Asperges me hyssopo, et mundabor: lavabis me, et super nivem dealbabor.* Postea dicat: *Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam. Gloria Patri, etc.* Et nihil aliud dicens repetat Antiphonam: *Asperges me, etc.*

Si ægrotus Confessionem petit, Sacerdos benignè audiat; sin verò contritionis actum ut ægrotus eliciat studeat, confortetque

eum ad Paradisi gloriam sperandam : hortetur, ut totum se offerat Deo, et pro peccatorum suorum satisfactione id quod vult Deus, ipsamque mortem acceptet; inde dicat :

289. *Ÿ.* Adjutorium nostrum in nomine Domini.

R. Qui fecit cœlum et terram.

Antiph. Ne reminiscaris, Domine, delicta famuli tui (vel ancillæ tuæ), neque vindictam sumas de peccatis ejus. *Kyrie, eleison. Christe, eleison. Kyrie eleison. Pater noster, etc.*

Ÿ. Et ne nos, etc.

R. Sed libera, etc.

Ÿ. Salvum fac servum tuum (vel ancillam tuam), Domine.

R. Deus meus sperantem in te.

Ÿ. Domine, exaudi, etc.

R. Et clamor meus, etc.

Ÿ. Dominus vobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

CLEMENTISSIME Deus, Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, qui neminem vis perire in te credentem atque sperantem, secundum multitudinem miserationum tuarum respice propitius famulum tuum N. quem tibi vera fides, et spes Christiana commendat. Visita eum in salutari tuo, et per Unigeniti tui passionem et mortem omnium ei delictorum suorum remissionem et veniam clementer indulge, ut ejus anima in hora exitûs sui te Judicem propitiatum inveniat, et in sanguine ejusdem Filii tui ab omni macula abluta transire ad vitam mereatur perpetuam. Per eundem, etc.

Tum postquam Clericus dixerit, Confiteor Deo, etc. Sacerdos dicat : Misereatur, etc. Indulgentiam, etc.; deinde :

Dominus noster Jesus Christus Filius Dei vivi, qui B. Petro Apostolo suo dedit potestatem ligandi atque solvendi, per suam piissimam misericordiam recipiat confessionem tuam, et restituat tibi stolam primam, quam in Baptismate recepisti, et ego facultate mihi ab Apostolica Sede tributa Indulgentiam plenariam, et remissionem omnium peccatorum tibi concedo. In nomine Patris, etc.

Per sacrosancta humanæ reparationis mysteria remittat tibi Omnipotens Deus omnes præsentis et futuræ vitæ pœnas, Paradisi portas aperiat, et ad gaudia sempiterna perducatur. Amen.

Benedicat te omnipotens Deus, † Pater, Filius, et Spiritus Sanctus. Amen.

At si infirmus esset tam morti proximus, ut tempus non suppeteret supradictis precibus, Sacerdos statim impertiatur ei præfatam Benedictionem.

Dominus noster Jesus Christus, etc.

290. *Benedictio Scapularis S. Mariæ de Monte Carmelo.*

Sacerdos conversus ad habitum dicat :

- Ÿ.** Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam.
R. Et salutare tuum da nobis.
Ÿ. Domine, Deus virtutum, converte nos.
R. Et ostende faciem tuam, et salvi erimus.
Ÿ. Domine, exaudi orationem meam.
R. Et clamor meus ad te veniat.
Ÿ. Dominus vobiscum.
R. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

CAPUT omnium fidelium Deus, et humani generis Salvator, hunc habitum, quem propter tuum, tuæque Genetricis Virginis Mariæ de monte Carmelo amorem, atque devotionem servus tuus est delaturus, dextera tua sanctifica † : et hoc, quod per illud mysticè datur intelligi, tua semper custodia corpore et animo servetur, et ad remunerationem perpetuam cum Sanctis omnibus felicissimè perducat. Qui vivis et regnas in sæcula sæculorum. Amen.

Deinde aspergat aquam benedictam super habitum, et postea ipsum imponat personæ recipienti, dicens :

Accipe, vir devote, hunc habitum benedictum, precans SS. Virginem, ut ejus meritis illum perferas sine macula, et te ab omni adversitate defendat, atque ad vitam perducat æternam. Amen.

Deinde dicat :

Ego ex potestate mihi tradita et concessa suscipio, ac recipio te ad participationem omnium orationum, disciplinarum, precum, suffragiorum, eleemosynarum, jejuniorum, vigiliarum, Missarum, Horarum Canoniarum, ac cæterorum bonorum spiritualium, quæ passim die, nocteque (cooperante misericordia Jesu Christi) à Religiosis peraguntur. In nomine Patris, et Filii, et Spiritûs Sancti. Amen.

Bene † dicat te Conditor Cœli et terræ, Deus omnipotens, qui te eligere dignatus est ad Beatæ Virginis Mariæ de monte Carmelo Societatem, et Confraternitatem, quam precamur, ut in hora obitûs tui conterat caput serpentis, qui tibi est adversarius, et tandem tanquam viator palmam et coronam sempiternam hæreditatis consequaris. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Aspergatur recipiens aqua benedicta.

201. Benedictio Scapularis S. Mariæ septem Dolorum.

- Ÿ.** Adjutorium nostrum, etc.
R. Qui fecit Cœlum, et terram, etc.

OREMUS.

DOMINE Jesu Christe, qui tegmen nostræ mortalitatis induere dignatus es, obsecramur immensam largitatis tuæ abundantiam, ut hoc genus vestimentorum, quod sancti Patres ad innocentiam, humilitatisque indicium in memoriam septem Dolorum B. Virginis Mariæ nos ferre sanxerunt, ita bene † dicere digneris, ut qui illis fuerit indutus, corpore pariter, ac anima induat te Salvatorem nostrum. Qui vivis et regnas in sæcula sæculorum. Amen.

Postea Sacerdos, aspersum Scapulare aqua benedicta recipienti imponat, dicens :

Accipe, charissime frater, habitum B. Mariæ Virginis, singulare signum servorum in memoriam septem Dolorum, quos ipsa in vita et morte Unigeniti Filii sui sustinuit, ut ita indutus sub ejus patrocinio perpetuo vivas.

Benedictio Dei omnipotentis, † Patris, et Filii, et Spiritûs Sancti descendat super te, et maneat semper. Passio Domini nostri Jesu Christi, et Compassio Beatæ Mariæ Virginis sit in corde, et corpore nostro. Amen.

292. Benedictio Scapularis Conceptionis immaculatæ Dei Mætris.

Y. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

R. Qui fecit cælum et terram.

Y. Dominus vobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

DOMINE Jesu Christe, qui tegmen nostræ mortalitatis induere dignatus es, tuæ largitatis clementiam humiliter imploramus, ut hoc genus vestimenti, quod in honorem, et memoriam Conceptionis immaculatæ Beatæ Mariæ Virginis (necnon, ut illo indutus exoret) in hominum pravorum morum reformationem institutum fuit, bene † dicere digneris, ut hic famulus tuus, qui eo indutus fuerit, eadem Beata Maria Virgine intercedente, te quoque inducere mereatur. Qui vivis, et regnas, etc.

Postea Sacerdos, aspersum Scapulare aqua benedicta, imponat recipienti, dicens :

Accipe, frater, Scapulare Beatæ Mariæ Virginis immaculatæ, ut, ea intercedente, veterem hominem exutus, ab omni inquinamento mundatus, ipsum perferas sine macula, et ad vitam pervenias sempiternam. Amen.

Et ego ex facultate mihi tradita recipio te in participationem honorum spiritualium, quæ in nostra Congregatione gratia Dei

sunt, et quæ per Sanctæ Sedis Apostolicæ privilegium concessa sunt. In nomine Patris †, et Filii, et Spiritûs Sancti. Amen.

Si infirmus nunquam acceperit aliquod Scapulare, vel aliquod ex iis, de quibus supra sermonem fecimus, curet Sacerdos qui facultatem habet, ut infirmus tunc recipiat, ut Indulgentias lucratur.

FINIS.

INDEX CAPITULORUM

IN HAC PRAXI CONTENTORUM.

INTRODUCTIO. *n.* 1.

CAP. I. De Officiis Confessarii. *n.* 2.

§. I. Circa officium patris. Ubi agitur de Charitate, quam adhibere debet Confessarius in excipiendis et audiendis Pœnitentibus. *n.* 3.

§. II. Circa officium medicî. *n.* 6. Ubi agitur de modo et tempore quando Confessarius corripere debet Pœnitentem. *n.* 7. Ignorantem instruere. *n.* 8. Disponere ad Absolutionem. *n.* 10. Imponere illi pœnitentiam, et remedia præbere ad perseverandum. *n.* 11. *et seq.*

§. III. Circa officium Doctoris. Ubi agitur de scientia qua indiget Confessarius. *n.* 17.

§. IV. Circa officium Judicis. *n.* 19. Et hic agitur specialiter de obligatione examinandi Rusticos, et de judicio formando peccatorum eorumdem. *n.* 20.

CAP. II. De Interrogationibus adhibendis cum rudibus Pœnitentibus. *n.* 21.

Circa I Præceptum. Et hic agitur de rebus scitu necessariis quoad Mystera Fidei, et salutem æternam. De superstitione et sacrilegio in recitandis peccatis propter ruborem. De pœnitentiis omissis, et de scandalo. *n.* 22 *et seq.*

Circa II Præceptum. Hic agitur de falsis Juramentis. *n.* 24. De Votorum transgressione, ac de ipsorum commutatione et dispensatione. *n.* 25 *et seq.* De Blasphemia, et de Maledictione Mortuorum, etc. *n.* 27 *et seq.*

Circa III Præceptum. Ubi agitur de obligatione audiendi Missam. *n.* 32. Et abstinendi ab operibus servilibus diebus festis. *n.* 33.

Circa IV Præceptum. Ubi agitur de obligatione Filiorum erga Genitores. *n.* 34. Et Genitorum erga Filios; Ac de obligatione mutua Conjugum. *n.* 35.

Circa V Præceptum. Ubi agitur primò de Desideriis damnorum Proximi. *n.* 36. Secundò de Contumeliis, et de obligatione restituendi honorem ablatum. *n.* 37. Tertiò de Remissione injuriarum facienda offensoribus. *n.* 38.

Circa VI *et* IX Præceptum. *n.* 39 *et seq.*

Circa VII. Præceptum. Ubi agitur de pluribus doctrinis practicis quoad furta et restitutiones honorum. *n.* 42 *et seq.*

Circa VIII Præceptum. Ubi agitur de obligatione restituendi famam. *n.* 45. Et de Judiciis temerariis. *n.* 46. Hicque aliqua adduntur de Jejunio. *n.* 47.

CAP. III. De Interrogationibus adhibendis cum Pœnitentibus diversi status, et conditionis qui sunt negligentes circa res ad conscientiam spectantes. Et I. Cum Sacerdotibus. *n.* 49. II. Cum Confessariis. *n.* 51. III. Cum Parochis. *n.* 52. IV. Cum Episcopis. *n.* 53. V. Cum Monialibus. *n.* 54. VI. Cum Judicibus, et Tabellionibus. *n.* 55 *et*

56. VII. Cum Medicis. *n.* 57. Et hic speciatim agitur de obligatione quam ipsi habent curandi, ut infirmi Confessionem faciant.
- VIII. Cum Pharmacopolis. *n.* 58. IX. Cum Negotiantibus. *n.* 59.
- X. Cum Sartoribus. *n.* 60. XI. Cum Proxenetis, et Venditricibus. *n.* 61. XII. Cum Barbitonsoribus. *n.* 62. Et hic sermo fit de Viris crines mulierum componentibus.
- CAP. IV. Quomodo se gerere debeat Confessarius cum iis qui sunt in proxima occasione peccandi. *n.* 63 *et seq.*
- CAP. V. Quomodo cum Consuetudinariis et Recidivis. *n.* 70 *et seq.* Et signanter cum Ordinandis, in aliquo vitio habitutis, qui inhiant suscipiendo Ordini sacro. *n.* 78 *et seq.*
- CAP. VI. Quomodo cum Pœnitentibus qui habent I. aliquam censuram, aut casum reservatum. *n.* 80, 81 *et seq.* Aut II. Obligationem denunciandi. *n.* 83. Aut III. Impedimentum Matrimonii dirimens. *n.* 84 *et seq.* Vel impediens à petendo debito. *n.* 86. Hic annotantur *Formulae* ad obtinendam Dispensationem à S. Pœnitentiaria in impedimentis, votis, et irregularitatibus. *n.* 87. *Formula* exequendi Dispensationem. *n.* 88.
- CAP. VII. Quomodo se gerere debeat Confessarius cum quibusdam diversi generis.
- §. I. Quomodo cum Pueris, Adolescentibus, et Puellis. Et hic agitur signanter de examine adhibendo cum pueris. *n.* 90. Et deinde de Absolutione ipsis impertienda. *n.* 91. Hic quoque agitur de Electione statûs. *n.* 92 *et seq.*
- §. II. Quomodo cum Scrupulosis. *n.* 95 *et seq.*
- §. III. Quomodo cum devotis. *n.* 99, 100. *et seq.*
- §. IV. Quomodo cum Mutis, et Surdis. *n.* 102 *et seq.*
- §. V. Quomodo cum Moribundis. *n.* 105 *ad seq.*
- §. VI. Quomodo cum capite Damnatis. *n.* 108. Et specialiter cum Damnatis obstinatis. *n.* 109.
- §. VII. Quomodo cum iis, qui à Dæmonibus infestantur, aut cum ipsis carnale commercium habent. *n.* 110 *ad seq.*
- CAP. VIII. De Prudentia Confessarii. *et seq.* I. Circa electionem opinionum. *n.* 114 *et seq.* II. Circa correctionem errorum ab ipso Confessario commissorum in administratione Sacramenti. *n.* 116. III. Circa custodiam Sigilli Sacramentalis. *n.* 117 *et seq.* IV. In excipiendis Mulierum Confessionibus, et de modo agendi cum eisdem. *n.* 119 *et seq.*
- CAP. IX. Quomodo se gerere debeat Confessarius in directione Personarum spiritualium. *n.* 121.
- §. I. Circa Orationem Meditationis. *n.* 122 *et seq.*
- §. II. Circa Orationem Contemplationis. *n.* 126. Et hic agitur de naturali animi Recollectione, sive de Otio Contemplativo. *n.* 127. De Ariditate supernaturali, distinguendo sensibilem à substantiali. *n.* 127 *ad seq.* De Contemplatione Affirmativa, et Negativa. *n.* 132. De Recollectione supernaturali. *n.* 133. De Oratione Quietis. *n.* 134. De Caligine. *n.* 135. De Uncione Activa, et Passiva. *n.* 136. De Desponsatione spirituali, et de Extasi, Raptu, et Spiritûs Volatu. *n.* 137. De Matrimonio Spirituali. *n.* 138. De Visionibus. *n.* 139 *et seq.* 140. De Locutionibus. *n.* 141. De Revelationibus. *n.* 142. Directio circa omnia enunciata dona supernaturalia. *n.* 143 *et seq.*
- §. III. Circa Mortificationem. *n.* 145 *et seq.*
- §. IV. Circa frequentiam Sacramentorum, et præsertim Eucharistiæ. *n.* 148 *et seq.*

- §. V. Directio Animæ quæ cupiat dirigi per tramitem perfectionis
n. 156 et seq.
- CAP. X. De quibusdam Monitis magis notatu dignis, ad Confessarios
et Parochos cum Praxi docendi Orationem Mentalem.
- §. I. Monita ad Confessarios. *n. 172 et seq.*
- §. II. Monita ad Parochos. *n. 195 et seq.*
- §. III. Praxis Orationis Mentalis. *n. 217 et seq.*
- CAP. ULTIMUM. Brevis Praxis assistendi infirmis. *n. 227 et 228.*
- §. I. Monita ad Sacerdotem assistentem. *n. 229 et seq.*
- §. II. Remedia contra tentationes. *n. 237 et seq.*
- §. III. Motiva et Affectus piis Infirmis suggerendi. *n. 254. et seq.*
- §. IV. Monita circa extrema Sacramenta; et I. Circa Confessionem.
*n. 264. II. Circa Communionem. n. 265 et seq. III. Circa Extremam
Unctionem. n. 273 et seq.*
- §. V. Monita respectu ad Agoniam. et Mortem. *n. 276 et 277.*
- §. VI. Affectus suggerendi tempore Agoniæ, et Expirationis. *n. 278
et 279.*
- §. VII Indicia proximæ mortis. *n. 280. et seq.*
- §. VIII et ultimus. Preces, Actus Christiani, et Formulæ plurium
Benedictionum.
- Preces et Actus. *n. 284, 285 et 286.*
- Benedictio in Articulo Mortis. *n. 287 et seq.*
- Benedictio Scapularis S. Mariæ de Monte Carmelo. *n. 290.*
- Benedictio Scapularis S. Mariæ septem Dolorum. *n. 291.*
- Benedictio Scapularis Conceptionis Immaculatæ Dei Matris. *n. 292.*

FINIS INDICIS.

EXAMEN
ORDINANDORUM.

EXAMEN

ORDINANDORUM,

Ab eodem Auctore breviter concinnatum ex eadem sua Theologia morali, res scitu magis necessarias continens.

CAPUT I.

De Sacramentis in genere.

1. Quid sit Sacramentum. — 2. Quæ requirantur ad constituendum Sacramentum? An Circumcisio, etc.? — 3. Quæ sint Sacramentalia. — 4. Distinguuntur Sacramenta. — 5. Qu. I. Quæ requirantur ad essentiam. De Materia. — 6. De forma, et de connexione materiæ cum forma. — 7. De mutatione substantiali, aut accidentali. — 8. De Sacramento sub conditione. Si cum forma, aut materia dubia, vel mixta. Interruptio formæ. — 9. De intentione ministri, et suscipientis. — 10. Qu. II. De Ministro. — 11. An debeat esse in gratia. — 12. Si sit laicus, aut ministret non solemniter, an sufficiat Contritio. — 13. Si absolvat in mortali: si ministret Eucharistiam: si celebret Missam. — 14. Si Subdiaconus, aut Diaconus ministret solemniter. — 15. Si ministret indigno. — 16. Simulare administrationem Sacramenti. — 17. Simulare susceptionem. — 18. An Minister debeat intendere quod facit Ecclesia. — 19. Qu. III. Quid ad validè, et licitè Sacramenta suscipienda. — 20. An petere ab Excommunicato, vel Peccatore. — 21. An liceat dare pecuniam pro administratione Sacramenti. — 22 et 23. Effectus, et I. De gratia. — 24. II. De Characterè.

1. — SACRAMENTUM, generaliter loquendo, significat mysterium, sive rem occultam: Sacramentum verò in Ecclesia christiana sic definitur: *Est visibile signum invisibilis gratiæ ad populum Dei sanctificandum, à Christo institutum.* Dicitur *Signum visibile*, scilicet signum externum in materia sensibus subjecta. *Invisibilis gratiæ*, quia Sacramentum significat gratiam quam causat invincibiliter, scilicet ex opere operato, sive per se, modò suscipiens sit dispositus. *A Christo institutum*, quia juxta sententiam probabiliorem, Christus etiam ut homo Sacramenta instituit ex potestate quæ dicitur *excellentiæ*. (*Vide opus Morale l. 6. n. 1. 2 et 3.*)

2. — Tria igitur ad Sacramentum constituendum requiruntur. 1. Signum externum. 2. Promissio gratiæ. 3. Institutio Christi, cum omnia Sacramenta ex Christi Passione vim habeant.

Dubitatur, an Circumcisio fuerit olim verum Sacramentum,

conferens gratiam ex opere operato? Affirmat *Scotus*, sed communiter id negant DD.; nam Circumcisio operabatur sanctitatem tantum externam, non autem internam; commune tamen est quod fuerit verum Sacramentum (l. 6. n. 4.)

3. — Sacramentalia autem sunt quaedam actiones sacrae ab Ecclesia institutae, prout sunt, aqua lustralis, benedictiones rerum, consecrationes, et similia. Haec non habent per se viam remittendi peccata, sed tantum impetrandi auxilia divina ad eliciendos actus bonos, quibus postea peccata remittuntur (l. 6. n. 90. ad 94.)

4. — Multipliciter distinguuntur Sacramenta. *Primo* alia sunt necessaria necessitate *medii*, ut sunt Baptismus pro omnibus, Pœnitentia pro lapsis in mortale, et Ordo pro iis qui Sacramenta Eucharistiae, et Pœnitent. ministrant: etiam Eucharistia (juxta probabiliorum sententiam), saltem in voto implicito, (l. 6. n. 192.) Alia necessitate *praecepti*, ut sunt Confirmatio, juxta probabiliorum sententiam, licet opposita *Nav. Suar. Soti, Laym. Ronc. Wiggandt, ex D. Th. (in 3. p. 9. 72. art. 8. ad 6.)* et aliorum etiam sit probabilis (l. 6. n. 181.); et Extrema Unctio, juxta probabiliorum sententiam, omnino *suadendam* (n. 733.). *Secundo*, alia sunt Sacramenta *Iterabilia*, ut Eucharistia, Pœnitentia, Extrema Unctio, et Matrimonium; alia sunt *Initerabilia*, ut Baptismus, Confirmatio, et Ordo, propter characterem, quem indelebiter imprimunt. *Tertio*, alia sunt Sacramenta *Mortuorum*, ut Baptismus, et Pœnitentia, quia primam conferunt gratiam et supponunt animam mortuam, id est gratia carentem: alia *Vivorum*, quae aliquando per accidens dant etiam primam gratiam, nimirum casu quo aliquis attritus, bona fide putans se contritum, illa suscipit, ut docent probabiliter *Lugo, Suarez, Con. Cay. Craix, Salm. Castrop.* et alii plures *ex D. Th.*, contra alios, *ex communi* (l. 6. n. 87.) *Quarto*, alia sunt *Formata*, id est cum effectu gratiae, alia *Informia*, scilicet sine collatione gratiae, quae est Sacramenti forma. An autem detur Sacramentum Pœnitentiae validum et informe, id est sine gratia, alii negant; sed communiter, et verius alii affirmant. Casus esset nimirum si quis acciperet absolutionem ab aliquo mortali peccato cum attritione concepta tantum ex turpitudine supernaturali illius peccati, et cum oblivione inculpabili alterius peccati mortalis. (*Qui vult videre hanc questionem cum omnibus suis rationibus enucleatam, observet Caput 1. l. 6. n. 444.*)

5. — *Quaer. I.* Quae requirantur ad essentiam Sacramenti? Tria requiruntur, Materia, Forma, et Intentio. *Materia* est res corporea et sensibilis, quae suscipienti applicatur, v. gr. Aqua, Chrisma, Oleum sanctum, etc. Et haec est *Materia remota*, nam *proxima* est ipsa applicatio materiae, ut ablutio, unctio, etc.

6. — *Forma* sunt verba prolata à Ministro. Ut autem Sacramentum valeat, requiritur connexio; sive simultas Materiae et Formae, scilicet, ut Materia applicetur antequam prolatio Formae terminetur, vel postquam prolatio Formae sit incepta. Ser-

tentia autem quòd sufficiat applicare Materiam immediatè ante vel post prolationem Formæ, est tantùm probabilis, non autem moraliter certa, ut requiritur, ubi agitur de valore Sacramenti, ex Propositione 1. damm. ab Innoc. XI, ideoque non est practicè probabilis. Excipiuntur tamen Sacramenta Pœnitentiæ, et Matrimonii, quæ valent etiamsi interponatur aliqua mora inter Materiam et Formam (l. 6. n. 9.)

7. — Si mutetur substantialiter Materia, nempe applicetur vinum pro aqua, vel mutetur Forma, nempe si verba non habeant eundem sensum, putà dicendo, *Te aspergo*, pro *te baptizo*, invalidum est Sacramentum. Secus si mutatio est accidentalis, scilicet si aqua sit calida, aut decocta, aut si dicas, *Ego te baptizo in nomine Patrias, et Filias, etc.* ut habetur ex c. *Retulerunt*, de *Consecr. Dist. 4.* vel in nomine *Patris omnipotentis, etc.* Sic tamen mutans non excusaretur à peccato gravi (n. 11.)

8. — In casu necessitatis, vel magnæ utilitatis bene possunt conferri sub conditione (saltem mente retenta) Sacramenta, non solùm characterem imprimentia, ut est certum ex c. 2. de *Baptism.*, sed etiam alia, si non possit haberi materia nisi dubia; ita *Suar. Castrop. Habert, Bonac. Roncag. Salmant.* et alii communiter, contra *Juenin. et Antoine* (n. 28 et 29.). An autem Minister possit uti Materia, aut Forma dubia, si ad id cogatur metu mortis? probabiliter potest: nisi cogatur in contemptum Religionis; ita *Sanch. Coninch.* Si in materia propria misceatur extranea in majori, vel æquali parte, Materia est inepta; secus si in minori; ita *S. Th.* (3. part. q. 74. n. 3. ad 3.) Interruptio Formæ si est modica, non officit valori Sacramenti. Secus si talis sit, ut verba non constituent unum sensum (l. 6. n. 11 ad 3.) Non licet autem formam repetere, nisi adsit probabile dubium, quòd forma invalidè fuerit prolata (n. 224. v. *Advertendum*). Alii dicunt aliquas Sacramentorum Materias et Formas fuisse à Christo in genere determinatas, et relictas Ecclesiæ, ut ipsa in particulari determinaret. Sed probabilius alii docent omnes fuisse à Christo determinatas in substantia. Unde si aliqua invenitur inter novam et priscam Ecclesiæ consuetudinem differentia circa Materias et Formas, mutatio illa censetur tantùm accidentalis. (*Vide hanc quæstionem ad trutinam revoocatam* Libro 6. num. 12.)

9. — Demum ad essentiam Sacramenti requiritur *Intentio* Ministri, et quidem actualis vel saltem virtualis. *Intentio Actualis* est ea, quæ actu habetur. *Virtualis* autem, quæ permanet in virtute actionis, quam Minister exequitur ex intentione actuali priùs habita; ad differentiam intentionis *Habitualis*, quæ aliquando est habita, et non est retractata (n. 15.) Hæc autem habitualis non sufficit in Ministro, sed bene sufficit in suscipientibus Sacramenta; atque in necessitate etiam si ipsi sint dormientes, aut ebrii, aut ceciderint in amentiam postquam jam habuerint intentionem illa suscipiendi, ut communissimè docent *Lug. Castrop. Salm.* et alii plures cum *D. Th.* (in 4. Dist. 6. q. 1.)

art. 2. q. 3. ad 2.), et patet, ex cap. *Majores*, §. *Vcrum*, de *Baptism.*, et etiam ex *Instruct. de Baptism.* data à Bened. XIV incipiente, *Postremo* Uctionem (in *Bullar. tom. II. n. 28.*) Imò quoad *Extremam Uctionem*, et etiam *Confirmationem* satis est pro suscipientibus adhuc *Interpretatio*, id est ea quam suscipiens non habet nunc, nec unquam habuit, sed haberet si rem adverteret (n. 81.)

10. — Quær. II. Quis sit Minister Sacramentorum? Quoad *Ordinem* solus *Episcopus* est Minister (l. 6. n. 761.): et quoad *Confirmationem* ipse est Minister *Ordinarius*, nam *extraordinarii* possunt esse etiam *simplices Sacerdotes* (n. 170.) *Aliorum* autem *Sacramentorum* solus *Sacerdos* est Minister, excepto *Matrimonio* (n. 897.); et etiam *Baptismo* in necessitate; in ea enim possunt etiam *laici*, et adhuc *Hæretici* baptizare (n. 113.)

11. — Ad validè autem ministranda *Sacramenta*, non est opus, ut Minister sit in gratia, nam *peccatores* etiam validè ministrant. Non verò *Hæretici*, nec *Excommunicati* vitandi respectu ad *Sacramentum Pœnitentiæ*. Vide dicta libro 6. numero 560. Ad licitè tamen ministrandum requiritur status gratiæ; sed in extrema necessitate, si Minister non posset tam cito conteri, probabiliter à culpa excusatur si ministrat; ita *Sotus*, *Suar. Tolet. Caj. Armil. Valen. Anacl.* (Vide l. 6. n. 33. et *Cabrin. Luc. Moral. p. 2. tr. 41. n. 56.*) Nunquam autem excusatur *Parochus*, aut *OEconomus*: hi enim debent esse semper parati ad ministrandum. Celebrans autem in mortali quatuor mortalia committit, 1. quia indignè consecrat, 2. quia indignè sumit, 3. quia indignè ministrat, et 4. quia ministrat indigno, qui est ipse idem (l. 6. n. 35. v. *Hinc.*)

12. — Quær. an peccet graviter qui existens in mortali ministrat *Sacramentum* in necessitate, si ad illud non est ordinatus, ut *laicus Matrimonium* contrahens, aut baptizans; vel si est ordinatus, sed ministrat non solemniter? Alii probabiliter negant, ut *Con. Tourn. Natal. Alex.* et alii ex *D. Th.* (3. p. qu. 64. art. 6. ad 3.) Sed probabilius affirmant *Cont. Tourn. La Croix, Antoine, Lugo, Pontius, Vasq. Naqarr. etc.* Quia semper sancta sanctè tractanda sunt (l. 6. n. 32.) Minister autem solemniter ministraturus *Sacramenta* si est in mortali, sufficit, ut eliciat certum actum contritionis (*Ibid. n. 34.*); celebraturus verò *Missam*, debet *Confessionem* præmittere: excepto casu quo ex necessitate ex una parte deberet celebrare, et ex alia non addeset copia *Confessarii*; sed tunc post celebrationem debet quamprimum confiteri, ut præcipit *Tridentinum sess. 13. c. 7.* (Vide l. 6. ex numero 255.)

13. — *Confessarius* tantum audiens *Confessionem* in mortali, probabilius est cum *Lugo, Spor. Salm. Elbel, Croix*, et aliis; quòd non peccet graviter, quia non conficit *Sacramentum*. Si verò absolvit plures *pœnitentes*, etiam successivè, in statu peccati mortalis, plura mortalia committit, quia plura *Sacramenta* distincta ministrat (n. 36. v. *Qu. 5.*) *Sacerdos* item, aut *Diaconus*

ministrans Eucharistiam in mortali mortaliter peccat, quia proximè occurrit ad sanctificationem Communicantium. Ita tenendum cum pluribus, contra alios (n. 35.) Celebrans autem in mortali, si pluribus Eucharistiam ministrat, probabilius unum mortale committit, quia ministratio illa, et Communio est unica actio moralis, unicumque convivium (*Vid. l. 6. n. 35. v. Hinc.*)

14. — Diaconi, et Subdiaconi, si ministrant in altari existentes in mortali, juxta plures probabiliter peccat graviter, sed juxta communiorem sententiam, et satis probabilem, id negatur; quia non conficiunt nec ministrant Sacramentum, nec exercent functiones proximè ordinatas ad sanctificationem animæ (*l. 6. n. 37 et 38.*) Concionator item qui prædicat in mortali, non peccat graviter, ut communiùs et probabilius docent *Gonet. Lugo, Castrop. Bonac. Vasp. Salm. Croix*, et alii (contra *Merb. Juen. etc.*); non enim exercet Ordinem, sed Officium annexum ordini, quod per se non causat gratiam, ut causant Sacramenta (n. 41.)

15. — Peccat graviter Minister, si dat Sacramentum indigno petenti occultè; secus autem si ille sit peccator occultus, et publicè petat (n. 43. ad 51.) Notandum verò, quòd Episcopus etiam ob occulta peccata potest denegare alicui collationem Ordinis, licèt publicè ille petat, ex *Trid. sess. 14. c. 1.* ubi dicitur teneri Clericum obedire Prælato vetanti susceptionem Ordinis propter occultum crimen. Nec tenetur tunc Episcopus causam manifestare, cur repellat Ordinandum, ut pluries declaravit Sac. Congr. Concilii (*l. 6. n. 52.*) An autem Confessarius possit absolvere Ordinandum recidivum in culpis gravibus; qui vult sacrum suscipere Ordinem sine prævia probatione, vide dicta *Lib. 6. ex numero 63.*

16. — Non licet Ministro etiam ob metum mortis simulare administrationem Sacramenti ex Prop. 29. proscripta ab Innoc. XI. Tunc autem censetur Minister simulare administrationem, cum profert formam sine intentione, aut aliquid aliud pronunciat, ad hoc, ut alii credant ipsum jam conferre Sacramentum, unde aliàs licèt potest Confessarius aliquam recitare orationem super pœnitente indisposito, non jam, ut alii credant absolutionem illi ministrari, sed tantum ad occultandam absolutionis negationem; tunc enim non simulat Sacramenti administrationem, sed tantum veritatem occultat (*Lib. 6. n. 59.*) Præterea ait *Cardenas* bene posse Confessarium, cum pœnitens minatur ei mortem si non absolvat, dicere, *Ego te non absolvo*, submissè pronuntiando verb. *non*, quia hæc non est restrictio purè mentalis; ut objicit *Viva*, dum Confessarius non tenetur efficere, ut pœnitens audiat verba absolutionis, et ideo non habet ille jus, ut Confessarius omnia verba formæ intelligibiliter proferat (*ib. in fine.*)

17. — Sicut autem non licet Ministro simulare Sacramenti administrationem, ita nec etiam alii Sacramenti susceptionem, ut dicunt *Card. Croix et Gormaz*. Hoc tamen non prohibet, quò minus liceat alicui accedere ad Confessionarium, ibique genuflec-

tere ad aliquod negotium agendum. Præterea aiunt communiter *Sanch. Conc. Castrop. Card. Viva, Croix*, aliique plures, contra *Milante*, quòd si aliquis Sponsorum cogitur contrahere per injustum metum, vel habens impedimentum dirimens, ad evitandum scandalum, tunc poterit ille (saltem sine gravi culpa) simulare celebrationem Matrimonii: tunc enim, deficiente consensu, deficit contractus, et deficiente contractu, nec etiam existit Sacramentum (*l. 6. n. 62.*)

18. — Minister invalidè ministrat Sacramentum, si non intenda: facere actum externum quod facit Ecclesia, ritumque Sacramentalem adhibere quem intendit Ecclesia, à Christo instituta, et hoc etiamsi Minister, non joco (ut adhuc insipienter admittebat Lutherus), sed seriò ministret, ut probavimus *Hom. Apost. tr. 14. n. 2.* et vide in *Morali (l. 6. ex n. 20 et 23.)* Si verò id jam intendat, validè ministrat, etiamsi non habeat intentionem explicitam conferendi Sacramentum. Dico *non habeat intentionem explicitam*; nam si positivè haberet intentionem non conferendi Sacramentum, tunc neque conferret, quia tunc revera nullam haberet intentionem faciendi quod facit Ecclesia (*ib. n. 23.*) Sacerdos autem conficiens Sacramentalia, putà aquam benedictam, in mortali, non peccat graviter (*n. 40.*)

19. — Quær. III. quid requiratur, ut quis validè, et licitè Sacramenta suscipiat? Ut validè suscipiat requiritur 1. Ut sit baptizatus, nam aliàs non est capax aliorum Sacramentorum. 2. Excepto Sacramento Baptismi, pro quo nulla requiritur intentio in pueris et perpetuò amentibus, cum in eis suppleat intentio Ecclesiæ; in aliis Sacramentis opus est, ut suscipiens saltem habuerit priùs intentionem (quæ dicitur habitualis) suscipiendi Sacramentum, et eam non revocaverit, ut supra diximus *n. 9.* Hinc si quis ordinetur per vim, invalidè ordinaretur; secus si per metum, quia metus non tollit voluntarium. Probabilissimum est, quòd Sacramenta in periculo mortis licitè conferri possunt tam ebriis, quàm lapsis in amentiam, si priùs intentionem habuerint illa suscipiendi; ita *Lug. Castrop. Salm. Croix, Card. Lambertinus, etc. ex D. Th. et cap. Majores, §. Verum, de Bapt. (Lib. 6. n. 81. v. Utrum.)* Sufficit etiam tempore mortis intentio interpretativa in suscipiente sensibus destituto quoad Sacramenta Extremæ Unionis, ut habetur ex Rituali, et etiam Confirmationis, et Eucharistiæ; ut aiunt *Lug. Coninc. Spor. Croix, etc.*, non verò quoad Baptismum et Ordinem; et tantò minùs quoad Pœnitentiam, et Matrimonium, in quibus omnino requiritur intentio actualis, aut saltem virtualis (*n. 82.*) Ut licitè autem quis suscipiat Sacramenta, requiritur conveniens dispositio, nempe status gratiæ; unde si quis est in mortali, debet saltem esse contritus cum proposito confitendi. Imò ad recipiendam Eucharistiam requiritur prævia Confessio, nisi necessitas urgeat, et non adsit copia Confessarii, quo casu debet Sacerdos qui celebravit (ut diximus *n. 12.*) primum confiteri, ex *Trid. sess. 13. c. 7.* Necessitas autem erit 1. ob dandum Viaticum. 2. Ob vitandam infamiam, aut scandalum.

3. Si ille est Parochus, et occurrat festum de præcepto. 4. Si celebrans post consecrationem recordetur mortalis culpæ (*l. 6. n. 262.*). Insuper advertendum quòd suscipiens Sacramentum Pœnitentiæ sine dispositione, non solum illicitè, sed etiam invalidè suscipit, dum contritio pœnitentis est etiam materia hujus Sacramenti. Respectu verò ad alia Sacramenta, si quis indispositus ea suscipit, validè suscipit; ita ut recedente fictione, sive obice peccati, illa reviviscant, id est gratiam causent, ut docent plures ex *D. Th.* (*ib. n. 87.*).

20. — Quær. IV. An liceat petere Sacramenta à Ministro peccatore vel excommunicato? Non licet à peccatore quamvis sit Parochus (quidquid aliqui dicunt), nisi adsit justa causa; sufficit autem gravis utilitas (*ib. n. 89.*), ut communissimè docent *Suar. Sanch. Scot. Pal. Tol. Anacl. Holzm. Salm. etc.* Hinc dicunt licitè peti, 1. si urgeat præceptum Confessionis aut Communionis, aut Missæ, aut si occurrat Indulgentia lucranda. 2. Si aliàs carere debeas Jubilæo. 3. Si maneres aliàs in mortali, etiam per horam, ut dicunt *Suar. et Escob.* 4. Si diu carere debeas fructu Communionis, aut Confessionis, etc. Absolutè verò sine alia causa licet recipere Sacramentum ab excommunicato, si sit toleratus, quia absolutè concessum est à Concilio Constantiensi fidelibus posse communicare cum toleratis (*Lib. 6. n. 88. v. Resp. II.*). A vitando autem nec etiam in morte licet suscipere pœnitentiam, quia (ut diximus *n. 11.*) vitandus etiam in extrema necessitate invalidè eam ministrat.

21. — Quær. V. An possit dari pecunia pro administratione Sacramenti, si Minister nolit dare gratis? Videtur negare *S. Thom.* (*2. 2. quæst. 100. art. 2. etc.*); dum tradit, quòd adultus neque in articulo mortis potest aliquid ministrare pro obtinendo Baptismo, dicens tunc ei sufficere ad salutem Baptismum flaminis. Sed quæcumque sit intelligentia hujus doctrinæ Angelici Doctoris, communiter *Bon. Salm. et Ronc.* (*Bon. de Sim. D. 1. qu. 4. §. 2. n. 2. Salm. tr. 19. eod. tit. n. 12. Ronc. eod. tit. pag. 211. in Praxi n. 3.*), cum *Suar. Less. Sanch. Laym. Gastrop.* et aliis affirmant posse dari pecuniam in extrema et etiam in gravi necessitate Sacramenti. Ratio, quia ex una parte traditio pecuniæ non est intrinsecè mala; ipsa enim est cooperatio materialis, non formalis; cum non cooperetur pravæ voluntati Ministri, juxta dicta *Hom. Apost. tr. IV. n. 31 et 32.* Ex alia ipse suscipiens non committit simoniam, cum non tradat pecuniam ad emendum Sacramentum, sed tantum ad redimendam vexationem Ministri Sacramentum injustè denegantis: et ideo dat temporale pro merè temporali: tantoque magis id currit, si suscipiens est fidelis, quia tunc habet jus ad Sacramentum, dum idem *D. Th.* (*ib. ad 5.*) docet post jus quæsitum licere cuivis dare pecuniam ad tollendum injustum impedimentum. Idque admittunt *Suar. Fill. et Croix*, non solum pro obtinendo Baptismo, et Pœnitentia, sed etiam Viatico; et *Bonac.* extendit etiam ad Extremam unctionem.

22. De *Effectu Sacramentorum*. Duplex est Sacramentorum effectus, collatio gratiæ, et impressio characteris. Primus ergo effectus est gratia. Duplex autem gratia confertur in sacramentis, gratia *Sanctificans*, nempe quæ reddit hominem amicum Dei, et gratia *Sacramentalis*, quæ est propria et peculiaris uniuscujusque Sacramenti, ad causandum effectum proprium Sacramenti illius, nempe Baptismi, ad abluendum à culpis; Confirmationis ad roborandum in fide; Eucharistiæ, ad reficiendam animam; Pœnitentiæ, ad delenda peccata; Extremæ Unctionis, ad vim conferendam adversus dæmonum tentationes in extremo agone; Ordinis, ad conferenda auxilia, ut Ordinatus rectè sua munia exerceat: et Matrimonii, ut conjuges illius onera et obligationes bene sustineant et adimpleant.

23. — Sacramenta in suscipiente disposito causant gratiam *ex opere operato*, id est *ex se*, non *ex opere operantis*, scilicet ex merito suscipientis. An autem causent physicè, ita ut materia Sacramenti, nempe aqua, oleum, etc. licèt sit causa tantùm naturalis, eleveltur tamen à Deo ad causandam gratiam, ut docet *D. Th.* ? Vel tantùm moraliter, ita ut, posito Sacramento, Deus per se conferat gratiam, ut vult *Scotus*. Utraque sententia est probabilis (*lib. 6. n. 7.*) Sacramenta autem mortuorum, ut Baptismus, et Pœnitentia, per se habent causare primam gratiam. Alia verò Sacramenta, quæ sunt vivorum, tantùm augmentum gratiæ causant: sed aliquando in attritis, qui reputant se contritos, causant etiam primam gratiam, ut docet *D. Th.* de Eucharistia, et de Extrema Unctione, et sequuntur *Gon. Conc. Ronc. Suar. Bon. Salm., etc.* (*L. 6. n. 6.*)

24. — Alter effectus Sacramentorum est character. Character autem est *Quoddam signaculum spirituale indelebile, impressum animæ suscipientis Sacramentum*: Illud imprimitur tantùm in Baptismo, Confirmatione, et Ordine: et significat potestatem, sive dignitatem ex hujusmodi Sacramentis susceptam: in Baptismo enim est signum *Ovium* Christi, quo fideles efficiuntur idonei ad alia Sacramenta recipienda: in Confirmatione et signum *Militum* Christi, quo vim accipiunt ad fidem constanter profitendam: in Ordine et signum *Ministorum* Christi, quo potestatem acquirunt ad Sacramenta fidelibus ministranda. Imprimitur autem character etiam in Sacramento illicite suscepto: nec amittitur per peccatum. Notandum insuper, quòd ex Baptismo, et Confirmatione oritur alius effectus, nempe impedimentum cognationis spiritualis, quæ dirimit Matrimonium inter baptizantem et baptizatum, baptizatique patrem et matrem. Item inter susceptorem (sive patrimum) et susceptum, susceptique patrem et matrem.

CAPUT II.

De Sacramento Ordinis in genere.

28. Quid sit Ordo. — 26. Quid ordinatio. — 27. Quot sint Ordines; et an Episcopatus sit Ordo distinctus. — 28. An singuli Ordines sint Sacramenta. — 29. Quænam Materia et Forma Ordinis; et de tactu physico, et simultaneo. — 30. Quis Minister. — 31. Effectus. — 32. Requisita, ut quis validè ordinetur. — 33. Ut autem licitè, requiritur I. Confirmatio II. Ut non sit infamis etc. An protestatio Episcopi etc. III. Animus clericandi. IV. Ut ab Episcopo proprio etc. — 34. Quis sit Episcopus proprius. Regulares à quo etc. remissivè. — 35 et 36. V. Scientia. — 37 et 38. VI. Titulus; et quotplex sit Titulus. — 39. De Patrimonio ficto. — 40. VII. Ut Ordo inferior suscipiatur ante superiorem. VIII. Tempus debitum. — 41 et 42. IX. Interstitia. — 43 et 44. X. Locus. XI. Ætas. — 45. XII. Exercitium Ordinis suscepti. XIII. Vocatio divina. — 46. Qui incurrant suspensionem etc.

25. — ORDO est juxta D. Thomam, *Signaculum Ecclesiæ, quo traditur Ordinato potestas spiritualis*. Est de fide Ordinem esse Sacramentum, ut patet ex Trid. *sess. 23. c. 3*. Nam in Ordine jam reperiuntur tria requisita ad Sacramentum, nempe signum externum, quod est impositio manuum: Institutio Christi, prout habetur ex Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem*; et promissio gratiæ, ut habetur ex Apost. 1. *ad Tim. Admoneo te, ut resuscites gratiam, quæ in te est per impositionem manuum mearum*.

26. — Diffet autem Ordo ab Ordinatione. *Ordo* est ipsa potestas tradita; *Ordinatio* verò est actio, qua Episcopus potestatem tradit. Unde Presbyteratus est Sacramentum in fieri, scilicet in actu Ordinationis, non autem in facto esse scilicet cum quis jam ordinatus est. Septem sunt Ordines, alii minores, alii majores. Minores sunt quatuor, nempe *Ostiaratus, Lectoratus, Exorcistatus, et Acolythatus*. Majores sunt tres, nempe *Subdiaconatus, Diaconatus, et Presbyteratus*. Præter hos probabiliter plures DD. addunt Ordinem Episcopatus, et ita quidem valde probabiliter, et communiùs tenent *Bellarm. Sanch. Hab. Tourn. etc.*, cum ipse rationabiliter distinguatur à Presbyteratu propter distinctam potestatem, quæ traditur Episcopo conferendi aliis potestatem consecrandi Corpus Christi, et absolvendi fideles à peccatis (*Vide l. 6. n. 738.*)

27. — Quær. I. an singuli Ordines sint Sacramenta? Quòd Sacerdotium sit Sacramentum, est de fide. Quòd etiam Diaconatus Sacramentum sit, est certum, sed non de fide. Quòd alii autem Ordines sint adhuc Sacramenta, satis probabile est ex D. Thom., cum unicuique ordini assignata videatur materia, et forma. Omnes autem septem Ordines (juxta hanc sententiam) unum tantùm Sacramentum constituunt ex unitate finis, cum singuli sint ordinati ad unum Missæ Sacrificium conficiendum,

et omnes supponuntur instituti à Christo illis verbis : *Hoc facite in meam commemorationem*. In Ordine enim Sacerdotii alii vel continentur eminenter, ut sunt Ordines inferiores, vel consequenter respectu ad Episcopatum. Verumtamen probabilius est alios Ordines (præter Presbyteratum, et Diaconatum, ut diximus) non esse Sacramenta; quia deest in illis materia, nempe impositio manuum, quam (ut mox dicemus) probabilius est esse unicam materiam Ordinis: deestque etiam forma, quæ exprimat productionem gratiæ, dum in collatione præfatorum Ordinum non fit mentio gratiæ, sed tantum potestatis quæ traditur (l. 6. n. 736 et 737.) De hac quæstione fusiùs dictum est in *Hom. Apost. Tract. XVII. n. 14.*

28. — Quær. II. quænam est materia et forma Ordinis? Tres sunt sententiæ. I tenet materiam Ordinis esse solam traditionem instrumentorum; sed hæc non est satis probabilis. II tenet materiam proximam esse duplicem integralem, scilicet traditionem instrumentorum, qua traditur potestas super corpus reale Jesu Christi ad Sacrificandum, cum forma : *Accipe potestatem, etc.*, et impositionem manuum, qua traditur potestas super corpus mysticum ad peccata absolvenda, cum forma : *Accipe Spiritum sanctum, etc.* Materia autem remota (juxta hanc sententiam) sunt manus Episcopi, et instrumenta quæ ad tangendum ab eo traduntur. III. Probabilior tenet materiam unicè esse impositionem manuum, formamque esse orationem quam profert Episcopus. (*Quomodo hoc probatur, videnda quæ dicta sunt Lib. 6. num. 749.*) Attamen quia II sententia est etiam probabilis, nempe duplicem esse materiam Ordinis, scilicet impositionem manuum, et traditionem instrumentorum, ipsa omnino in praxi sequenda est. Unde necessariò requiritur in Ordinatione tactus instrumentorum, et tactus quidem physicus, cum probabile etiam sit moralem non sufficere. Sufficit verò tangere una sola manu, vel digito (*ibid. n. 743.*) Non oportet autem (ut diximus n. 6.) ut contractus fiat à principio prolationis formæ usque ad finem, sed sufficit si fiat antequam forma terminetur, vel postquam illa sit incepta. Forma autem sunt verba quæ profert Episcopus ordinans, cum manus imponit, et instrumenta tradit, ut supra dictum est. Sedulò hîc rursus notandum 1. quòd in Ordine sacro conferendo materia tradenda est ab eodem Episcopo, qui formam profert; secus in collatione Ordinum minorum : ita *D. Th. (Suppl. q. 38. art. 1. ad 2.)* et alii. Notandum 2. quòd si conferantur Ordines ab uno Episcopo, alio tamen celebrante, Ordinatio erit valida, sed illicita, ut declaravit Innocent. XIII apud Benedict. XIV. (*De Synod. l. 8. c. 11. n. 7.*)

29. — Quær. III quis sit minister Ordinis? Minister Ordinarius hujus Sacramenti est tantum Episcopus. Potest verò Pontifex simplici Sacerdoti potestatem impertiri conferendi Ordines minores, prout eam habent Abbates mitrati; sed habent pro suis subditis tantum regularibus professis, vel novitiis, non autem

pro sæcularibus, ut hodie certum est, ex Decreto Sac. Cong. Conc., approbato ab Urbano VIII, qui iussit illud *inviolabiliter observari, reprobata omni contraria opinione* (Lib. 6. num. 763 et 764.): V. Hom. Apost. Tr. XX. de Privil. n. 113 ad 116. Sæculares autem ab Abbatibus ordinati, si sint eis subditi, vel habeant dimissoriales litteras à propriis Ordinariis ad ipsos, illicitè quidem ordinantur, et suspensionem incurrunt, sed validè ordinantur, ut declaravit Sac. Congr. Vide dicta eod. Tract. XX. l. c.

30. — Quær. 4. Quinam sint effectus Ordinis? sunt tres: 1. Collatio gratiæ *Sanctificantis*, scilicet quæ confertur in omni Sacramento, ut diximus n. 22. et gratiæ *Sacramentalis*, nempe specialis auxilii ad Ordinem bene exercendum. 2. Collatio potestatis exercendi functiones Ordinis, qui suscipitur. 3. Impressio Characteris indelebilis, ob quod nullius Ordinis collatio iterari potest.

31. — Quær. 5. quæ requirantur, ut quis validè, et licitè ordinetur? Ut validè ordinetur, requiritur I. Ut sit viator. II. Ut sit mas, fœminæ enim non sunt capaces Sacramenti Ordinis; III. Ut sit baptizatus. IV. Ut habeat intentionem saltem habitualementem (juxta dicta n. 9.) suscipiendi Ordinem.

32. — Ut autem licitè ordinetur, requiritur I ut sit *Confirmatus*: sed hoc non sub præcepto gravi, ut vult communis sententia (l. 6. n. 786.) Quoad obligationem verò cujusque fidelis suscipiendi Confirmationem, vide dicta Libro 6. numero 181. II ut non sit neophytus, aut infamis, aut irregularis. Dubitatur hæc, an aliquis irregularitate irretitus validè ordinetur, si Episcopus protestationem præmittat (ut consuetum est) nolle ordinare irregulares, excommunicatos etc.? Respondeo, in dubio (quidquid alii dicant) omnino dicendum, quòd Ordinatio repetenda est; nisi constet Episcopum verba illa protulisse tantùm ad terrorem, ac suam intentionem protestationi minimè alligasse (l. 6. n. 784.) Cæterùm sapienter monet Bened. XIV, de Sac. Miss. sect. 2. §. 70. ex Decreto Sac. Congreg. Concil. super id interrogandum esse Episcopum de sua intentione habita. Idem autem Benedictus de Syn. l. 8. c. 11. n. 1. monet Episcopos, ut se abstineant ab hac protestatione; quamvis enim (inquit cum Lugo) posset aliquando Episcopus, existente gravissima causa, habere intentionem conditionatam, hæc tamen universaliter erga omnes promovendos nequit haberi sine pluribus inconvenientibus. Adhuc cum Navarro, Gobato, et eodem Lugo, quòd Episcopus, Ordines conferendo, tenetur sub gravi culpa eos absolutè conferre quibus manus imponit. Quid ergo (meritò concludit) proderit protestatio illa, nisi ad ingerendos plures scrupulos in eos qui promoventur? III. Requiritur *Animus clericandi*, ut præscribitur in Trident. sess. 23. c. 4. scilicet ascendendi ad Ordines superiores. Hoc tamen intelligendum procedere, cum quis acceptat beneficium ad quod requiritur Sacerdotium, vel alius Ordo sacer (l. 6. n. 785.) IV. Requiritur, ut *quisque ordinetur à proprio*

Episcopo, vel ab alio, sed cum litteris dimissorialibus *Episcopi* proprii, si hic est impeditus ex infirmitate, aut alia justa causa. Capitulum verò sede vacante hodie (quidquid fuerit antiquitus) nequit dare alicui dimissorias, nisi ille sit arctatus ad Ordinem suscipiendum ob aliquod beneficium requirens obsequium personale (n. 788.)

33. — Proprius autem *Episcopus* dicitur vel ratione originis vel domicili, vel benefici, vel familiaritatis. Et I debent Ordines suscipi ab *Episcopo Originis*, si Ordinandus in ejus diocesi natus est, et parentes tempore nativitatis ibidem domicilium habuerint; nam si casu alicubi natus esset, et parentes alibi domicilium habuerint, tunc dicitur *Oriundus*, et ordinari debet ab *Episcopo loci*, ubi parentes domicilium habent. II. Ratione *Domicilii* bene ordinatur, qui in aliquo loco habitationem suam constituit, cum animo ibi perpetuo manendi. Hic autem animus probatur, vel per habitationem decennii, vel per ædificationem domus cum asportatione majoris partis bonorum, degendo ibi simul per aliquod notabile tempus, ut habetur in *Bulla Speculatores* (Vide l. 6. n. 770. ad V.) III. Ratione *Beneficii*, licet aliquis alibi natus fuerit et domicilium habeat, bene potest ordinari ab *Episcopo*, in cujus diocesi beneficium sufficiens ad congruam sustentationem possidet, obtentis tamen litteris testimonialibus ab *Episcopo domicili*; à quo tamen potest examinari, si illuc reversurus est, ex *Bulla Apostolici Min.* Sed hic advertendum, quòd ut quis possit ordinari ab *Episcopo beneficii*, debeat esse saltem tonsuratus, aliàs non est capax beneficii, et ideo neque habilis ad Ordines ab illo *Episcopo* suscipiendos. IV. Denique ratione *familiaritatis*, si quis per triennium in familia; vel servitio assiduo alicujus *Episcopi* permanserit, vivendo ejusdem *Episcopi* expensis, etiamsi non habitet in illius ædibus, potest ab illo ordinari, modò degat in loco ubi est *Episcopus*, vel prope; et modò *Episcopus* statim ei conferat verum beneficium; non enim sufficit, si assignet pensionem, aut patrimonium (*ibid.* n. 780.)

34. — Regulares autem ordinandi sunt ab *Episcopo loci*, ubi morantur de familia, si *Episcopus* Ordinationem habeat temporibus statutis; aliàs à quocumque *Episcopo* ordinari possunt. Vide circa hoc dicta *Lib. 6. n. 768 et 788. v. Not. 8.*

35. — V. Requiritur *Scientia* Ordini suscipiendo conveniens. Concil. Trident. pro initiandis ad primam Tonsuram tantum requirit, ut ipsi *fidei rudimenta edocti fuerint, et scribere sciant. sess. 23. c. 4.* pro initiandis ad Ordines minores, ut *latinam linguam intelligant, l. c. cap. 11.* Pro initiandis ad Subdiaconatum, et Diaconatum, ut *sint litteris, et iis quæ ad Ordinem exercendum pertinent, instructi, c. 13.* Demum pro initiandis ad Sacerdotium, ut *ipsi ad populum docendum ea quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, ac ad ministranda Sacramenta diligenti examine præcedente idonei comprobentur. Idem Conc. Trid. c. 14.* Notent Ordinandi et Ordinantes verba illa, ad ministranda Sa-

tramenta; ideo enim dicunt DD. quòd initiandi ad Sacerdotium scire debent, non solùm quæ pertinent ad Baptismum, Eucharistiam etc., sed etiam ad Pœnitentiam; nam licet Presbyterandus non indigeat tanta scientia, qua indiget Confessarius approbatus, debet tamen saltem scire universalia principia moralia, quibus solvere possit dubia communiter occurrentia in casu necessitatis, quo teneatur moribundi Confessionem excipere, et specialiter omnino scire tenetur, quomodo se gerere debeat cum fidelibus morti proximis, nempe 1. Quando possunt eos absolvere, etiam in præsentia Confessarii approbati? 2. Quando absolutè, et quando conditionatè? 3. An non solùm in articulo, sed etiam in periculo mortis, et in quali periculo? 4. Quid debeat imponere infirmo, si habeat casus vel censuras reservatas? Vide quæ infra breviter super hac obligatione dicentur n. 130. Cæterùm bene potest Episcopus à suis majorem scientiam, quam requirit Concilium, requirere (*Lib. 6. n. 792. v. Advert. 2.*)

36. — Verùm in Regularibus addictis ad vitam contemplativam, vel tantùm ad chorum, et altare, vel sacristiam, minor scientia requiritur, modò sciant præstare quæ pertinent ad Ordinis exercitium; et ideo saltem in Grammatica debent esse edocti, aliàs erunt irregulares, etiam de jure divino, ita ut nec Papa posset cum eis dispensare. Hæc tamen irregularitas, sublata causa ignorantiae, absque dispensatione de se aufertur (*n. 791. Qu. 2 et 3.*)

37. — VI. Requiritur *Titulus sustentationis*, aliter Episcopus Ordinem, vel dimissorias tribuens, tenetur ipse ordinatum alere, usque dum ille titulum habeat, ita ex cap. *Cum secundum, de Præb. et cap. recipimus, de extate et qualit. etc.* Id tamen intelligendum, nisi Episcopus inculpabiliter deceptus fuerit, vel nisi ordinatus jam aliunde habeat unde vivere possit (*l. 6. n. 813.*)

38. — Titulus autem sustentationis triplex esse potest, paupertatis, beneficii, et patrimonii. Titulo *Paupertatis* soli Regulares professi ordinari valent. Sæculares verò ordinari debent ad titulum *beneficii*, quod sit certum de præsenti, et sufficiens ad congruam sustentationem; juxta taxam diœcesis, originis, vel beneficii, si beneficium requirat residentiam (*ibid. n. 815 et 816.*) Nota quòd Sacr. Congr. die 17 Julii 1723, remisit arbitrio Episcopi, si detrahenda sint, an non onera Missarum ex beneficio, vel capellania (*n. 774.*) Ad titulum verò *Patrimonii* tantùm pro necessitate vel commoditate Ecclesiarum suarum possunt Episcopi ordinare sæculares, ut præscribit Trid. *sess. 21. c. 2.* Patrimonium autem constitui debet super re certa, et stabili, ac de sua natura frugifera, pacificè possessa, et libera ab omni onere. Sufficit etiam census perpetuus, quamvis sit redimibilis (*n. 817.*)

39. — Hic autem dubitatur 1. an incurrat suspensionem, qui ordinatur cum patrimonio ficto. Alii probabiliter negant; sed probabilius alii affirmant; idque certum est in diœcesi Neapolitana (*l. 6. n. 820 et 821.*) Dubit. 2. juxta prædictam probabiliorē sententiam; an incurrat etiam suspensionem qui ordinatur cum pa-

trimonio verè donato, sed data antacopa, vel fide de reddendo illo donanti post Ordinationem? distinguo: Si donans verum habuerit animum donandi, non incurrit, quia pactum illud de reddendo patrimonio tanquam nullum rejicitur, ut S. Congr. declaravit (dum Sacra Congregat. insuper pluries declaravit quamcumque alienationem patrimonii sine licentia Episcopi esse invalidam). Secus si donans haud habuerit intentionem donandi, quia tunc donatarius nullum rei dominium adeptus est (*ib. n. 822 ad 824.*)

40. — VII. Requiritur, ut Ordo inferior ante superiorem suscipiatur, aliàs qui per saltum ordinatur, suspensionem ipso facto incurrit ab exercitio Ordinis suscepti, donec Episcopus dispenset (*l. 6. n. 793.*)

VIII. Ut Ordo suscipiatur tempore debito. Ordines majores possunt suscipi tantùm in sabbatis quatuor temporum; sabbato ante Dominicam passionis, et sabbato sancto. Minores verò possunt accipi in quolibet festo de præcepto, et etiam in feria sexta ante sabbatum generalis Ordinationis, et feria quarta quatuor Temporum, juxta consuetudinem receptam. Attamen apud Ferrar. Biblioth. t. 5. verb. Ordo n. 7. assertur Decretum Sacræ Congr. Conc. 13. Apr. 1720 ubi dicitur, quoad Ordines minores posse tolerari consuetudinem, si sit immemorabilis, quòd ministrantur pridie die Veneris post prandium, sed expedire in hoc ut Episcopus se conformet Pontificali Romano. Qui autem ordinatur extra tempora, suspensionem ipso facto incurrit (*Lib. 6. n. 794.*)

41. — IX. Requiritur, ut Ordines suscipiantur per debita temporum *Interstitia*. Et I inter Ordines minores requiritur aliquod intervallum: dicitur *aliquid*, quia illud minimè determinatum est à Trident. in *Sess. 23. c. 11.* ubi etiam additur, *Nisi aliud Episcopo expedire magis videretur*. Potest tamen liberè Episcopus primam Tonsuram cum aliquo Ordine minore conferre. II. Ut à minoribus ascendatur ad Subdiaconatum, requiritur anni spatium: *Nisi necessitas, aut Ecclesiæ* (intelligitur cui Ordinandus est adscriptus) *utilitas judicio Episcopi aliud exposcat*: ut habetur in Trident. *l. c.* III. Ut ascendatur à Subdiaconatu ad Diaconatum requiritur etiam anni spatium, sed Episcopus in hoc ex quavis rationabili causa dispensare potest; nam in Trid. *c. 13.* dicitur: *Nisi aliud Episcopo videatur*. IV. Denique, ut à Diaconatu ascendatur ad Sacerdotium, requiritur saltem anni intervallum; *nisi ob Ecclesiæ utilitatem, ac necessitatem, aliud Episcopo videretur*, ut in Trid. *c. 14.* Nota hęc utilitatem ac necessitatem, intellige necessitatem moralem, nempe utilitatem notabilem, et certam propriæ Ecclesiæ.

42. — Hęc autem notandum 1. quòd suscipiens duos Ordines sacros eodem die, suspensionem ipso facto ab ultimo Ordine suscepto, et insuper irregularitatem incurrit (*Lib. 6. n. 796.*) Qui verò eodem die susciperet quatuor Ordines minores unà cum Subdiaconatu, graviter quidem peccaret, sed non incurreret suspensionem (*n. 797 et seq.*) Notandum 2. quòd si quis ordinatur non servatis interstitiis, sed diversis diebus, et legitimis tempo-

ribus, peccat etiam graviter, sed probabilius suspensionem neque incurrit (*n. 796. vers. D. 2.*) Notandum 3. quòd Regulares ex suis Pontificiis Privilegiis bene possunt extra tempora ordinari cum licentia suorum Prælatorum, juxta dicta in *Hom. Apost. Tr. 20. de Prio. n. 115 et 116.* Debent tamen ordinari in festo de præcepto, ut probabilius dicendum (*n. 797. Dub. 4.*) Notandum 4. quòd si quis Sacerdotium susciperet, omisso Diaconatu, esset quidem validè ordinatus, sed non posset Sacerdotio fungi, nisi prius Diaconatum acciperet, ut habetur ex *cap. unico de Cleric. per salt.* Si quis autem Episcopatum susciperet non suscepto Sacerdotio, invalidè ordinaretur.

43. — X. Requiritur *locus Ordinationis*, nempe ut ipsa fiat in Ecclesia, et ut Episcopus resideat in propria Diœcesi : nam si Episcopus in aliena ordinaret, ipse incurreret suspensionem à Pontificalibus, et ordinatus ab exercitio Ordinis suscepti (*n. 798. vers. Adde.*)

XI. Requiritur *Ætas debita*, quæ pro prima Tonsura debet esse septem annorum, et Neapoli saltem decem. Ordines minores regulariter conferri possunt ab anno 7 ad 14. Subdiaconatus anno 22. Diaconatus anno 23. Sacerdotium anno 25. ex *Trid. Sess. 23. c. 12.* Ætas computatur, non à die baptismi, sed natiuitatis. Sufficit autem ut annus sit inceptus, prout communis usus habet. Pro Beneficiis simplicibus accipiendis sufficit annus 14. ex *Trid. Sess. 23. c. 6.* Sed si Beneficium sit caratum, requiritur annus 25. ex *Trid. ibid. c. 12.* Pro Canonatu annus 22. ex *Trid. Sess. 22. c. 4.* Quamvis in Collegiatis sufficiat annus 14. Pro Episcopatu demum requiritur annus 30. (*Vide l. 6. n. 799.*)

44. — Notandum autem, quòd si quis scienter ordinatur ante legitimam ætatem, ipso facto perpetuam incurrit suspensionem, à qua absolvi nequit nisi à Papa, vel ab Episcopo, si fuerit occulta, ex *c. liceat, Trid. Sess. 24. c. 6. (cit. n. 799.)* Diximus scienter, nam Pius II hanc suspensionem imposuit tantum eis qui ex *temeritate* sic ordinantur : unde ignorantia crassa illos probabilius ab ea excusat, ita ut completa ætate bene poterunt Ordinem exercere (*ibid. Dub. 1 et 3.*) An autem qui ante ætatem suscipit Sacerdotium irregularitatem incurrat? Alii affirmant, quia (ut dicunt) Neo-Presbyter concelebrando cum Episcopo, verè consecrat : et ideo jam exercet Ordinem susceptum cum suspensione. Sed alii communius, et valde probabiliter negant, quia æquum non videtur, ut quis eadem actione morali duplicem incurrat poenam, nempe suspensionem et irregularitatem ; testaturque *Suarez* ex stylo Cancellariæ hujusmodi ordinatos non censi irregulares. Et idem dicendum de Diaconis, et Subdiaconis : nisi in eadem Missa Ordinationis Ordinem jam susceptum exercent, quia tunc irregularitatem non effugiunt, saltem si ultro ad ministrandum se offerant in Missa Ordinationis (*cit. n. 799. D. 3.*)

45. — XII. Ut initiandus ad Ordinem superiore ascendere possit, requiritur, ut exercuerit Ordinem prius susceptum ; sed juxta *Salm. (De Ordin. c. 4. n. 74.)* hoc non est de præcepto gravi.

XIII. Ultimò requiritur Vocatio Divina, ex illo Apostoli: *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron. Hebr. 5. 4.* Signa autem divinæ vocationis sunt 1. Scientia conveniens. 2. Intentio recta vacandi Deo, animarumque saluti. 3. Probitas vitæ, quæ maximè requiritur ad veram vocationem agnoscendam, ex illo Tridentini: « Sciant Episcopi... debere ad » hos Ordines assumi... dignos duntaxat, et quorum probata vita » senectus sit. » *Sess. 23. c. 12.* Utque docet D. Thomas (*Suppl. q. 35. art. 1. ad 3.*) dicens: « Non sufficit bonitas qualiscumque, » sed requiritur bonitas excellens: » hanc rationem assignans: « Ut » sicut illi qui ordinem suscipiunt, super plebem constituuntur... » ita et superiores sint meritò sanctitatis. » Hinc si quis absque his signis, et consequenter sine vocatione divina, ascendit ad altare, nequit à gravi culpa excusari; tum ob gravem præsumptionem, qua non vocatus in sacrum ministerium se intrudit, ut ait S. Anselmus: « Qui enim se ingerit, et propriam gloriam » quærit, gratiæ Dei rapinam facit; et ideo non accipit benedictionem, sed maledictionem: » tum ob magnum periculum damnationis, cui se exponit, ut sapienter loquitur Episcopus Abelly: « Qui sciens, nullâ divinæ vocationis habita ratione, se in Sacerdotium intruderet, haud dubiè seipsum in apertum salutis discrimen injiceret. » Et tantò magis graviter peccant Episcopi, qui tales ad Ordines admittunt, transgrediendo præceptum illud Apostoli: « Manus cito ne imposueris, neque communicaveris peccatis alienis. » 1. *Tim. 5.* Quæ verba exponens S. Leo *Epistola 1. (aliàs 87.) ad Afric. 2.* dicit: « Quid est communicare peccatis alienis, nisi talem effici Ordinantem, qualis est » ille qui non meruit ordinari? » Ideo in *c. Nullus Dist. 24* universè Episcopis præcipitur, *Nullus ordinetur, nisi probatus fuerit.*

46. — Refert hîc autem unâ simul annotare, quinam ex prædictis illegitimè ordinati suspensionem ipso facto incurrant. Incurrant 1. qui ordinantur sine Dimissoriis sui Ordinarii, vel sine ejus Litteris Testimonialibus, cùm ordinantur ab Episcopo Beneficii. 2. Qui eodem die duos sacros Ordines suscipiunt. 3. Qui ordinantur extra tēpora. 4. Qui ordinantur ab Episcopo manente in aliena Diœcesi, sine licentia Episcopi loci. 5. Qui scienter ordinantur ante legitimam ætatem. 6. Qui ordinantur per saltum, omisso Ordine præcedenti. Adde ultimo loco, qui ordinatur per simoniam; hic enim manet ipso facto suspensus ab Ordine simoniacè suscepto, et impeditur ab ascendendo ad superiores; id tamen non currit, si simonia ab alio sit commissa, ignorante ordinato (*Vide l. 3. n. 109.*)

CAPUT III.

DE ORDINIBUS IN SPECIE.

ARTICULUS I.

De prima Tonsura.

47. Quid prima Tonsura? et an sit Ordo? Quid si quis ordinatur sine Tonsura? — 48. Privilegia Tonsurati. — 49 et 50. De obligatione deferendi habitum et Tonsuram. — 51. Qui priventur privilegio Fori, et Canonis?

47. — PRIMA Tonsura non est Ordo, sed præparatio, sive dispositio ad Ordines, cum nullum Officium habeat circa ministerium altaris; ita communiter Theologi cum D. Thoma (*Suppl. q. 40. art. 2.*) Et probatur ex Trident. *Sess. 23. c. 2.* ubi Tonsuræ sumptio præcipitur, sicque dicitur: « Ut qui jam clericali » Tonsura insigniti essent, per minores ad majores adscenderent. » Ergo tonsura inter Ordines minimè numeratur (*Vide l. 6. n. 734.*) Clericus significat *in sortem vocatus*, scilicet ad cultum Deo præstandum. Tonduntur ei capilli in modum coronæ, ad significandam regiam dignitatem eorum, qui in sortem Domini vocantur. Tradit autem Catechismus Romanus, S. Petrum primam Tonsuram instituisse. Ut quis possit tonsurari requiritur 1. ut sit mas: 2. ut sit confirmatus: 3. ut sciat legere et scribere, ac saltem Grammaticam, præter rudimenta fidei: 4. ut habeat animum Deo inserviendi. Qui ordinatur sine Tonsura, graviter quidem peccat contra præceptum Tridentini, sed validè ordinatur; verùm manet suspensus usque ad beneplacitum Episcopi. Qui autem aliquem Ordinem jam susceperit sine prima Tonsura, non tenetur eam postea recipere, quia per Ordinem susceptum jam fuit factus idoneus ad alios suscipiendos.

48. — Effectus, et privilegia Tonsurati hæc sunt: I. Tonsuratus transfertur ad statum Clericalem, unde acquirit privilegium fori, quo eximitur à jurisdictione fori laicalis, modò deferat habitum, et Tonsuram, ac alicui Ecclesiæ de mandato Episcopi inserviat, aut versetur in Seminario, vel in aliqua schola licentia Episcopi, ut habetur in Trident. *Sess. 23. c. 6.* II. Acquirat etiam privilegium Canonis, ita ut percutientes ipsum injuriosè incurrant excommunicationem reservatam Papæ, si percussio est gravis; Episcopo verò, si levis. III. Tonsuratus fit capax beneficii ecclesiastici, modò habeat 14 annos. IV. Fit capax etiam omnis jurisdictionis ecclesiasticæ ad conferenda beneficia, ferendas censuras, et judicandas causas spirituales.

49. — Quær. hic, qualiter peccent, et quas incurrant pœnas Clerici habitum aut Tonsuram non deferentes? et quando propter id privilegio fori et Canonis priventur? Clerici in minoribus, ut communiter DD. aiunt, non peccant graviter, si habitum et Tonsuram non deferant; imò communiùs *Sotus, Nao. Arm. Cas-*

trop. Escob. Holzm. etc. ab omni culpa eos excusant, ex *Bulla Sixti V Pastoralis*, ann. 1588. 31. Nam ibi in tantum Clerici declarantur teneri ad habitum deferendum, qui pensionem, aut alia bona ecclesiastica recipiunt, excedentia valorem annuorum 60 aureorum de Camera. Clerici autem Beneficiati, aut in sacris constituti, peccant quidem graviter si habitum dimittunt, ut communiter docent *Sanct. Laym. Castrop. Bonac. Salm. etc.* (quidquid dicant *Cajet. Escob. et Gobat.*) dum in *Trid. Sess. 14. c. 6.* tales habitum non deferentes de temeritate arguuntur. Valde tamen probabiliter negant eos peccare omnes AA. præfati, si habitum dimittant ad breve tempus, aut ex causa justa se occultandi, puta ad aliquod grave damnum vitandum, id quoad culpam quod autem ad pœnas pertinet, in *Concilio loc. cit.* sic dicitur: « Si postquam ab Episcopo suo... moniti fuerint, honestum habitum » clericalem... non detulerint, per suspensionem ab ordinibus ac » officio, et beneficio, ac fructibus..., nec non si semel correpti » denuo in hoc deliquerint, etiam per privationem officiorum, et » beneficiorum... coerceri... debeant. » Ex quo patet has pœnas esse tantum ferendæ sententiæ. Neque huic obstat *Bulla Sixti V Cum sacrosancta*, edita die 4 Jan. 1588, ubi beneficiati non deferentes habitum ipso jure declarantur privati suis beneficiis: nam id dispositum fuit tantum pro Urbe Romæ, et postquam mandatis sub certo termino ipsi non obdierint. (*Lib. 6. n. 825.*)

50. — Idem quod de habitu, dicunt *Sanct. Laym. Escob. et alii* de Tonsura, sive corona. Alii tamen, ut *Castrop. Henriq. Renzius, et Tamb.* cum *Marchino*, Clericum etiam in sacris, aut Beneficiatum Tonsuram non deferentem non audent damnare de mortali, nisi eam ex contemptu omittat. Cæterum bene quidem ait *La Croix* facilius excusandos eos qui Tonsuram, quam qui habitum non deferunt; unde præfatus Auctor nec Sacerdotem Tonsuram per 6 aut 8 Hebdomadas non deferentem damnat de mortali. (*n. 826.*)

51. — Privantur autem beneficiati, sicut etiam ii, qui in sacris sunt constituti habitum non deferentes, privilegio tam Fori quam Canonis, si post tertiam monitionem illum non reassumant, ex *cap. Contingit. 45. de Sent. excomm.* (*n. 827.*) Simpliciter autem Tonsurati, aut Clerici tantum ad Ordines minores promoti, sine Beneficio, non peccant graviter, sed non gaudent privilegio Fori, si actu habitum non deferant, nec Ecclesiæ inserviant, ut habetur in *Trid. sess. 23. c. 6.* Gaudent verò semper ac habitum reassumunt, nisi hoc faciant in fraudem, puta si fuerint in carcerem jam conjecti pro criminalibus, vel jam citati in foro laicali pro civilibus (*cit. n. 827.*) Aliter tamen dicunt DD. de privilegio Canonis (*ib.*) An autem peccet, qui Tonsuram suscipit ad accipiendum Beneficium, sine animo permanendi in statu Clericali? Vide opus nostrum morale (*l. 4. n. 113.*) ubi dicitur suscipiens peccare, sed probabiliter tantum venialiter.

Hic juvat annotare id quod statutum habetur anno 1741 in Concordato inter sanctam Sedem, et Carolum III Regem Reg-

morum Neapolis, et Siciliarum circa Ordinationem promovendorum ad Statum Ecclesiasticum. I. Niuno potrà esser da ora innanzi promosso alla prima Tonsura se non che a titolo di Beneficio, o Capellania perpetua, le di cui rendite, detratti i pesi, ascendano almeno alla metà della tassa stabilita pel Patrimonio sagro nella Diocesi del Promovendo. II. Giudicando qualche Vescovo veramente utile, o necessario alla Chiesa, conferir la prima Tonsura a qualche giovine, benchè non abbia verun Beneficio, potrà farlo, ma nel solo caso che abbia il medesimo una Pensione ecclesiastica perpetua della rendita che ascenda almeno alla metà della tassa stabilita pel Patrimonio sagro nella sua Diocesi, o l'intero Patrimonio; il quale per evitar qualunque frode o inganno, non potrà costituirsi da ora innanzi, che unicamente sopra beni stabili, o sopra annue rendite fisse; e dovrà regolarsi a tenore della tassa Sinodale di ciascuna Diocesi, purchè non sia esso Patrimonio nè in minor somma di ventiquattro ducati, nè in maggior di quaranta. III. Oltre al requisito del Beneficio. Capellania perpetua, o Pensione ecclesiastica perpetua, o dell'intero Patrimonio, a niuno potrà conferirsi la prima Tonsura, il quale dopo aver terminati dieci anni di sua età, non sia andato a dimorar almeno per un triennio in qualche Seminario o Conovitto ecclesiastico: e dove cio non possa farsi, non abbia almeno portato per tre anni l'abito Chiericale con licenza del proprio Ordinario, ed in tutto il triennio, o almeno per la maggior parte nelle feste di precetto di ciascun de' tre anni non abbia servito a qualche Chiesa nella maniera che gli sarà dal proprio Vescovo prescritta; computando questo servizio colla dimora, che aorebbe dovuto fare in qualche Seminario, o Conovitto ecclesiastico, ec. Ultimo loco dicitur: Chiunque sarà promosso alla prima Tonsura, agli Ordini minori, o agli Ordini sagri contrà la forma prescritta nel presente regolamento, oltre alle pene di sopra accennate, rimarrà perpetuamente sospeso dall'esercizio dell'Ordine già conferitogli. E chi l'averà così ordinato, o pure gli averà a tal effetto concedute le dimissorie, se sarà Vescovo, sarà sospeso per un anno dalla collazione degli Ordini, e dall'esercizio de' Pontificali; e non essendo Vescovo, ma Prelato inferiore coll'uso de' Pontificali, sarà sospeso per sempre dall'esercizio de' medesimi, e non avendo l'uso di essi, come pure qualunque altra persona costituita in dignità, per sempre sarà sospesa dall'esercizio dell'Offizio, e de' suoi Ordini.

ARTICULUS II.

De Ordinibus minoribus.

§2. Quot sint Ordines minores.—§3. Sect. I. De Ostiariatu. Materia tradenda est ab ipso Ordinante; et ab eo Missa celebranda.—§4. Sect. II. De Lectoratu.—§5. Sect. III. De Exorcistatu.—§6. Sect. IV. De Acolythatu.

§2. — ORDINES minores quatuor sunt, Ostiarius, Lectora-

tus, Exorcistatus, et Acolythatus. Dicuntur ipsi *Minores* propter minora officia, quæ ab Ordinatis exercentur circa Missam, aut in Ecclesia.

Sectio I. De Ostiariatu.

53. — OSTIARIATUS est Ordo, quo confertur potestas aperiendi, claudendi, et custodiendi Ecclesiam. Officium Ostiarii (præter dicta) est etiam pulsandi campanas, necnon admittendi dignos in Ecclesia, et expellendi indignos, scilicet Infideles, Hæreticos, et Excommunicatos. Materia *Remota* Ostiariatûs sunt claves Ecclesiæ: *Proxima* clavium traditio. Forma sunt verba Ordinantis, et dicentis: *Sic age quasi redditurus rationem, pro his rebus, quæ his clavis recluduntur.* Ita tradunt AA. qui tenent singulos septem Ordines esse Sacramenta. Claves debent esse propriæ Ecclesiæ, nec possunt aliæ substitui, debentque tangi ab Ordinando. Hic autem denuo adverte id quod notatum est n. 28, nempe quod in Sacramento Ordinis materia omnino tradenda est ab ipso Ordinate, aliâs Sacramentum invalidè ministratur, et ab eodem debet Missa celebrari. (*Lib. 6. n. 744.*)

Sectio II. De Lectoratu.

54. — LECTORATUS est Ordo, quo confertur potestas legendi *Scripturas sacras in Ecclesia.* Materia *Remota* est liber Prophetiarum, et Epistolarum. *Proxima* illius traditio. Forma sunt verba: *Accipe et esto verbi Dei relator, etc.* Officium igitur lectoris est legendi sacras Scripturas (intellige extra Missam, nam in Missa officium est Subdiaconi), ac etiam Cathecumenos instruendi. Si loco libri Epistolarum sive *Lectionarii* traderentur Biblia, aut Breviarium, valida quidem, et etiam licita esset Ordinatio; secus si alius liber.

Sectio III. De Exorcistatu.

55. — EXORCISTATUS est ordo, quo datur potestas expellendi *dæmones ab obsessis ne eos impediunt à Communione.* Materia *Remota* est liber exorcismorum; *Proxima* ejus traditio. Forma: *Accipe, et habe potestatem imponendi manus super energumenos, etc.* Exorcismus autem est formula quædam ab Ecclesia instituta ad dæmones fugandos in nomine Jesu Christi. Ut possit autem Exorcista solemniter exorcizare, requiritur etiam collatio jurisdictionis, sive licentia Episcopi. Id tamen non est ob jus commune, sed ob particulare præceptum Episcoporum prohibentium exorcizare sine eorum licentia (n. 745.) Dictum est *solemniter*, cum quisque fidelis potest privatim imperare dæmonibus, nè noceant, neve impediunt fideles ab actionibus sacris. (*Vide l. 3 n. 193. App. de Adjur. num. IV.*)

Sectio IV. De Acolythatu.

56. — ACOLITHATUS est ordo, quo datur potestas ferendi *Urceolos ad altare, et Candelabra, luminaque in ipso accendendi.* Ma-

teria *Remota* sunt Urceoli vacui : *Proxima* eorum traditio. Forma *Accipe Ceroferarium*, etc. atque, *Accipe Urceolos*, etc. Utraque materia est essentialis, sed nobilior sunt Urceoli, quia vinum et aqua magis sunt ad Missam necessaria. Hæ autem materiæ sunt partiales, unam totalem constituentes. Character verò non in candelabri, sed in urceolorum traditione imprimitur, quia in ea principalior traditur potestas (*Lib. 6. n. 745.*)

ARTICULUS III.

De Ordinibus majoribus.

Sectio I. De Subdiaconatu.

57. Quid Subdiaconatus? Materia, Forma et Officium. Si sine manipulo, etc. — 58. Requisita. — 59. §. I. De voto castitatis et an castitas sit ex voto? Si quis ignoret, etc. Si impuber, etc. Qui per metum ordinatur, etc. — 60. §. II. De horis canonicis, Propositiones damnatæ. — 61. Qui teneantur ad horas? I. Clerici in sacris. II. Religiosi professi. III. Beneficiati. — 62. Cui facienda restituito fructuum. — 63. Si habeant alia onera. — 64. An excommunicati, etc. Et qui sine attentione interna, etc. — 65. Intra primos sex menses. Qui sine culpa omittit. An unum peccatum, etc. — 66. Qui non percipit fructus, etc. — 67. Si beneficium sit tenue. — 68. An malè expendens, etc. Canonicus non canens. — 69. Quæ parva materia, etc. An projiciens Breviarium. In dubio an quid omissum. — 70. Quæ requirantur ad horas rectè dicendas? I. Juxta præscriptum. Si permutet officium. — 71. Si alio pergis. — 72. Si advertis te errasse. De Litanis, et Officio defunctorum. — 73. II. Pronunciatio vocalis. Quid in Choro. — 74. III. Pronunciatio integra. IV. Pronunciatio continuata. V. Ordo horarum. VI. Tempus. — 75. Intentio, et attentio. — 76. Causæ excusantes à recitatione. — 77 ad 80. §. III. De censuris in genere. — 81 ad 83. §. IV. De Censuris in specie, et I. De excommunicatione. — 84. II. De suspensione. — 85. III. De depositione, etc. — 86. IV. De interdicto. — 87. V. De irregularitate. — 88. Irregularitates ex delicto. — 89. Irregularitates ex defectu.

57. — SUBDIACONATUS est Ordo, quo traditur potestas, per quam Ordinatus potest deferre calicem ad altare, ministrare Diacono, et legere epistolam in Missa. Materia *Remota* est duplex, nempe Calix vacuus cum patena vacua, necnon liber epistolarum. Materia *Proxima* est horum traditio. Calix autem probabiliter debet esse consecratus, ut plures DD. sentiunt; unde ipsorum sententia in praxi sequenda est (*Lib. 6. n. 747.*) Sic etiam omnino requiritur traditio libri Epistolarum (n. 746. *Dub. i.*) Forma autem sunt verba Episcopi : *Videte cujus ministerium vobis traditur, etc.* Et alia : *Accipe librum Epistolarum, et habe potestatem legendi eas, etc.* Duplici enim materiæ duplex adhibetur forma partialis. Officium Subdiaconi (ultra prædicta in altari) est deferre Crucem, et lavare corporalia. Peccaret Subdiaconus, si absque manipulo solemniter ministraret in Missa, nisi urge-

ret necessitas, ut dicit *P. Suar.* (*De Censur. Disp. 42.*) An autem graviter peccet Subdiaconus ministrans in mortali? Vide dicta supra n. 14. Clericus (vel etiam Subdiaconus) exercens officium Subdiaconi sine manipulo, vel cum manipulo, sed non intendens ex officio actum illum exercere, non incurrit irregularitatem; quia tunc (*ut ait Bonac.*) exercet tantum officium cantoris. Secus si cum manipulo intenderet exercere officium proprium Subdiaconi (*Vid. l. 7. n. 358.*)

58. — Ut quis ad Subdiaconatum possit promoveri, requiritur 1. ut sit ordinatus in minoribus. 2. Aetas 21 annorum completorum. 3. Titulus sustentationis (de quo vide supra dicta n. 37. ad 39.) 4. Ut bene sciat quæ pertinent ad suum munus. 5. Examen, quod debet quidem rigorosius esse in Subdiaconis, ut rectè advertit *Homobonus* (*Pœnitentiarius in Ecclesia Bonon.*), et signanter circa Subdiaconi obligationes, nempe servandi castitatem, recitandi officium, habendi titulum sustentationis; necnon refert Subdiaconos examinare circa Censuras, et Irregularitates, quarum singulatim hîc principaliora rudimenta mox infra breviter recenserebimus.

§. I. De voto Castitatis.

59. — SUBDIACONUS ex præcepto S. Gregorii Papæ in *c. 2. Dist. 28.* tenetur votum castitatis emittere. Hinc obligatio castitatis in Ordinatis in sacris verius est ex vi voti Ordinibus annexi, quam præcepti Ecclesiæ, ut satis colligitur ex cap. *Cum olim, de Cler. Conjug.* Attamen si quis Ordinem suscipiendo expressè nollet castitatem vovere, tunc iste saltem ex præcepto Ecclesiæ ad castitatem teneretur. Hocque dicendum etiamsi nesciret hanc obligationem, modò vellet verè ordinem suscipere: et adhuc si inculpate nesciret, ut valde probabiliter plures Doctores docent (*Vide l. 6. n. 809. Dub. 1 et 2.*) Qui autem ordinaretur ante usum rationis, hic non teneretur ad castitatem. Qui verò ordinatur ante pubertatem, an ad castitatem teneatur? Adest duplex sententia, utraque probabilis. (*ibid. n. 810.*) Qui ordinatur per metum extrinsecum injustè incussum, et non habet animum suscipiendi Ordinem, non tenetur ad castitatem, et etiamsi animum haberet, probabilius nec teneretur, quia votum emissum ob metum probabilius est invalidum. Secus si metus fuerit justè incussus, vel si ordinatus scienter suam Ordinationem ratificaret, nempe si ultro Ordinem exerceret. (*n. 811.*)

§. II. De horis Canonicis.

60. — PRIMO loco hîc refert annotare plures Propositiones damnatas ab Alexandro VII; nimirum Prop. 5. quæ dicebat: *Restitutio fructuum non debetur ante sententiam.* Prop. 21. *Habens... beneficium, si studio... vacet, satisfacit recitando per alium.* Prop. 33. *Restitutio fructuum suppletur per eleemosynas ante factas.* Prop. 34. *Satisfacit dicens Officium Paschale pro Officio diei Palmarum.* Prop. 35. *Cum uno Officio potest satisfieri obli-*

gationi duorum dierum. Item Innoc. XI damnavit Prop. 54. *Qui nequit recitare Matutinum, non tenetur ad alias Horas.*

61. — Quer. I. Quinam teneantur ad horas? Tenentur I. Omnes ordinati in sacris, etiamsi sint excommunicati, suspensi et degradati. Ordinatus autem ad Subdiaconatum in die Ordinationis tenetur ad Horam correspondentem horæ qua ordinatur. Tenentur II. Religiosi professi utriusque sexûs. Hoc habetur ex antiqua consuetudine obligante sub gravi, ut tenet communis sententia contra aliquos. Nec valet dicere, quòd non constet, an consuetudo recitandi Officium sit introducta à Religiosis animo se graviter obligandi; nam respondetur quòd cum illa constanter, et tandiu cum magno incommodo ab omnibus Religiosis observata fuerit, præsumptio est pro parte affirmativa; pro qua autem parte stat præsumptio, pro ea stat etiam possessio, regula generalis est (*Vide l. 4. n. 142.*) Nullus autem Religiosus, aut Monialis in particulari tenetur sub gravi Horas dicere in choro, ut communiter dicunt *Suar. Salm. Conc. etc.* Modò chorus non tollatur, ad quem requiruntur saltem quatuor expediti. Ad officium verò non tenentur Religiosi ejecti; sed tenentur profugi (*Ibid. Dub. 1 et 2.*) Tenentur III. Beneficiati, aliàs fructus omnes beneficii restituere debent, ex Concil. Lateran. V. *sect. 9. §. Statuimus*, ubi dictum fuit: « Statuimus, ut » quilibet habens beneficium, si post sex menses, obtento beneficio, officium divinum non dixerit, fructus non faciat suos pro » rata recitationis. » Et si talis post monitionem adhuc pergit omittere, potest etiam beneficio privari. Deinde Sanctus Pius V in *Constit. 186* quæ incipit, *Ex proximo Lateranensi*, decrevit, quòd qui relinquit Matutinum, restituat dimidiam partem fructuum correspondentium illi diei: qui cæteras Horas, aliam dimidiam; qui verò unam tantùm ex parvis, sextam partem. (*Vide l. 3. n. 663.*) Et idem dicendum, si quis per plures leves omissiones inter Officium diei ad gravem materiam pertingit (*n. 668.*) Qui autem hodie supplere vellet Officium heri omissum, minimè liberatur à restitutione (*n. 667.*), hæcque restitutio debetur ante omnem sententiam, quia conditio recitationis est absolutè necessaria ad lucrandos fructus, cum sine ipsa nequeat beneficiarius facere fructus suos, ut præfatum Concilium sancivit (*n. 665. et l. 4. n. 140. Qu. I. vers. Sed dices.*)

62. — Restitutio autem tunc facienda est vel pauperibus (sufficit cujuscumque loci) vel fabricæ Ecclesiæ, vel domui beneficii, vel in augmentum agrorum ipsius. Potest etiam fieri in refectio-nem alterius indigentis Ecclesiæ, si propria non eget, vel si fabrica alienæ Ecclesiæ redundaret in utilitatem pauperum. Potest etiam applicari in Missis pro defunctis, et potest Beneficiatus adhuc applicare eam sibi ipsi, si verè pauper sit, modò non faciat in fraudem; *Suar. Cast. Navarr. Tol. Less. etc. comm. (Lib. 3. n. 672.)* Si quis autem post omissionem dederit elemosynas, immemor, vel fortè ignorans obligationem restitutionis, proba-

biliter potest eas computare, ut dicunt *Sanch. Suar. Lug. Salm. Croix, etc.* (*lib. 3. n. 700. Qu. I. ad. vers. Limitant.*)

63. — Probabiliter dicunt etiam *Sot. Less. Vasq. Bon. Sanch. Salmantic. etc.*, quòd si Beneficiatus alia onera habet, quibus jam satisfecerit, non tenetur omnes fructus restituere. Secus tamen dicendum (quidquid dicant alii) de simplici Beneficiato, qui nullum aliud onus haberet, nisi deferendi habitum (*Lib. 3. n. 673. Qu. 10.*)

64. — An autem excommunicatus toleratus teneatur ante sententiam restituere fructus Beneficii, si onera ipsius impleverit? Aliqui affirmant, sed probabilius et communiùs alii negant, prout dicitur *Hom. Apost. Tr. 19. n. in fin.*, quia non tenetur reus nisi post sententiam subire pœnam illam, quæ actionem requirit; ex alia autem parte excommunicati tolerati validè jam Sacramenta ministrant, horasque persolvunt; ita *Laym. Tourn. Castropal. Salm. Bonac. Coninch. et alii plures* (*Lib. 3. n. 670.*) Sic etiam probabiliter non tenetur ad restitutionem qui recitat sine attentione interna; cùm opinio, quòd sufficiat ad satisfaciendum, si habeatur intentio, et attentio externa non sit improbabilis juxta dicenda *n. 75.* (*Lib. 3. n. 669. et l. 4. n. 177.*)

65. — Præterea notandum, S. Pium in præfata Constitutione declarasse, quòd Beneficiati, si intra primos sex menses officium omittant, licèt non teneantur ad restitutionem, tamen non excusantur à peccato mortali (*Vide l. 3. n. 663.*) Hinc omnino dicendum quòd Beneficiati, etiamsi vellent pro eo tempore fructus restituere, omittendo officium, graviter peccant, cùm ipsos ad officium quovis tempore Ecclesia ex motivo Religionis obstrinxerit. (*l. 4. n. 145. Qu. II.*) Graviter igitur peccat qui intra sex menses (ut dictum est) officium omittit, sed non tenetur ad restitutionem, ut docent *Less. Vasq. Conc. Vio. et communior sententia* (contra paucos). Ratio, quia, juxta communem sententiam restitutio fructuum non jam debetur de jure naturali; fructus enim non dantur pro mercede recitationis, sed pro sustentatione Beneficiarii, cum onere tamen officii, imposito ab Ecclesia (ut diximus) ex motivo Religionis; et ideo nulla ante Concil. Lateranense restitutio præcipiebatur. Concilium autem restitutionem præcipit tantùm omittentibus post sex menses. (*Lib. 3. n. 665 et 666.*) Ob eandem rationem non tenetur ad restitutionem, qui omittit officii recitationem sine culpa: quia, licèt (ut dictum est *n. 61. in fin.*) restitutio ante omnem sententiam facienda sit, tamen cùm ipsa in pœnam præcepta sit, omnino culpam requirit, ut rectè dicunt *Less. Sanch. Conc. Vioa. et alii communiùs, contra paucos* (*cit. n. 665.*) Pariter ob eandem rationem Subdiaconus Beneficium habens, si officium omittit, unum tantùm committit peccatum, cùm ex uno motivo Religionis ad illud teneatur (*Lib. 4. n. 145. Qu. I.*)

66. — Dubit. 1. an teneatur ad officium Beneficiarius, qui fructus non percipit? Minimè tenetur, si ipse non negligenter se gesserit in illis exigendis. Excipe, nisi ipse in pœnam alicujus

criminis sit fructibus justè privatus; vel nisi certam spem habeat percipiendi illos sequentibus annis (*Lib. 3. n. 664.*) Quid si de Beneficio lis vertatur? Resp. si Beneficiarius nondum acceperit illius possessionem, non tenetur ad officium, nisi per ipsum stet quin statim possessionem adipiscatur. Si verò jam acceperit, tenetur casu quo spem certam habet vincendi litem, secus si sit in dubio (*c. n. 664. v. Quid si.*)

67. — Dubit. 2. an teneatur ad officium habens Beneficium tenue? Alii affirmant; sed alii plures negant, ut *Less. Sanch. Malder. Arag. Rodriq. Molfes. Pelliz.* et alii; quia tenue beneficium non habetur. Dicunt autem illud esse tenue beneficium, quod non pertingit ad tertiam partem sustentationis (*Lib. 3. n. 674.*)

68. — Dubit. 3. an Beneficiarius malè expendens fructus beneficii teneatur ad restitutionem? Plures graves DD. probabiliter negant, ut *S. Antoninus, Less. Cabass. Sanch. Salm.,* et alii cum *S. Th. (2. 2. q. 285. art. 7.)* qui ait Præbendas haberi ut bona patrimonialia. Alii tamen probabilius, ut *Laym. Bonac. Navarr. Petrocor. Conc. etc.* affirmant, quia beneficiarii ex justitia tenentur fructus superfluos pauperibus vel locis piis erogare, nam saltem Ecclesia non concedit ipsis dominium fructuum, nisi limitatum ad superfluos erogandos in pauperes (*Lib. 3. n. 492.*) V. *Hom. Apost. Tr. 10. n. 7.* Hic autem sedulo advertendum, quòd Summ. Pont. Bened. XIV, in Brevi ad Cardinalem Delphinum Patriarcham Aquileiensem, emanato die 19 Januar. 1748, declaravit Canonicos Choro non interessentes; vel ibi *non canentes*, non solum distributiones quotidianas amittere, sed etiam ad restitutionem teneri fructuum suarum Præbendarum. (*Lib. 3. n. 675. Dub. 3.*)

69. — Quær. II. Quanta sit obligatio officii? Certum est peccare graviter, qui omittit notabilem officii partem. Cæterùm censetur parva materia omissio minoris partis quàm parvæ horæ (*Lib. 4. num. 147.*) Qui autem omnes septem horas omittit, verius cum *Less. Sanch. Conc. Tourn.* et communi, unum committit peccatum, quia omnes horæ integrum officium componunt. (*Lib. 4. n. 148.*) Qui officium projiceret in mare, tot peccata committeret, quot omissiones dierum prævideret; quia singulæ omissiones officii, ad quamlibet diem pertinentes, sunt singulæ transgressiones, et hic, eas jam prævidendo, peccaret quidem in causa (*ibid. n. 149.*) An in dubio, utrùm aliquid ex officio sit vel ne omissum, sit repetendum? Repetendum quidem in dubio negativo, scilicet si nullum prudens motivum habeas, quòd jam dixeris; secus si dubium est positivum, nempe si probabiliter credas te dixisse; ita communiter *Nav. Sanchez, Lugo, Tourn. Castr. Salm. Ronc. (Vide l. 4. n. 150.)*

70. — Quær. III. Quæ requirantur ad horas bene recitandas? Requiritur 1. Ut recitentur juxta *Præscriptum Breoiarii Romani.* Unde improbabilem censeo opinionem eorum, qui dicunt non peccare mortaliter, qui commutat officium in aliud notabiliter

brevius. (*n.* 160.) An autem sit mortale mutare in æquale, vel quasi? Adest hinc inde duplex plurimorum sententia. Æquid tamen videtur dicendum cum *Sporer, Roncag. Viva, Laym. Elbel, etc.* esse mortale, si mutatio sit frequens; veniale si raro, puta ter, vel quater in anno; et nullum, si id aliquando fiat cum causa, nempe itineris, studii, etc. Ratio, quia licet officium recitandum sit juxta formam individualement Breviarii, ut præcipit S. Pius V in Bulla *A nobis* descripta in Breviario, dicendo: *Neminem satisfacere nisi hac sola forma*; tamen probabile est Pontificem in hac forma præscribenda magis respexisse ad formam substantialem, quæ est quantitas officii, quam ad accidentalem, nempe ad illius qualitatem: et ideo commutatio non videtur culpam venialem excedere. Id tamen frequenter facere esset mortalis culpa, quia (ut rectè ait *Laym.*) esset perversio ordinis; et gravis quidem, si frequens esset. (*Lib. 4. n. 161. v. Qu. III.*)

71. — His positis, probabile est I. Quòd si aliò pergis, potes recitare officium illius loci, nisi fueris Religiosus, quia teneris tunc recitare officium Breviarii tui Ordinis; ita *Laym. Holzm. Bonac. Castrop. et alii.* II. Quòd Capellani, et Commensales Cardinalium, et Episcoporum possunt eis conformari in officio: *Holzm.* cum communi, et Decreto Sac. Congreg. Rituum, et *Clem. Dignum, de Celebr. Miss.* Et idem dicunt DD. de Capellanis Monialium, *Croix, Holzm. Gob. Stoz. etc.*, et de iis qui obeunt exercitia spiritalia apud Religiosos, *Laym. et Gob.* III. Quòd possis recitare officium socii; quia ipsa associatio excusat, modo officium non sit notabiliter brevius, *Viva, Ronc. Henriq. Quintanad. et alii.* (*Lib. 4. dicto num. 161. vers. Juxta autem.*)

72. — Si quis advertit se errasse, postquam multum processit in officio indebito, potest vel proseguere, vel recitare reliquum de proprio, sed melius erit recitare de proprio; nisi vellet alia die non impedita officium dicere de Sancto illo; quod satis probabiliter admittunt plures DD. (*Cit. n. 161. Qu. V.*) Ex consuetudine autem introducta gravis est obligatio recitandi Litanias S. Marci, Rogationum, ac officium defunctorum etiam in privato. (*Lib. 4. n. 161. Qu. I et II.*)

73. — Requiritur II. *Pronunciatio vocalis.* Hic dubitatur, an recitans debeat se audire? Alii affirmant, alii tamen non improbabiler negant, ut doctissimus *Sylvius, Tourn. Laym. Azor. Spor. Salm. Trull. Rod.* et alii, quia in recitatione officii non jubetur auditio, sed pronunciatio, ad quam non oportet elevare vocem, sed sufficit formare aliquem externum sonitum, qui semper adest, cum verba proferuntur. (*Lib. 4. n. 163.*) Submissè recitans in Choro bene satisfacit (*ibid. v. An autem*) : sed non Canonicus, qui tenetur canere, juxta dicta *n. 68. in fin.* Recitanti autem in Choro sufficit si audias alteram partem in confuso, vel tantum unum ex ea. Quid si non satis percipis in materia notabili alteram partem, propter culpam Chori, aut socii? alii dicunt quòd teneris repetere non auditum. Alii plures negant, quia per ipsam societatem, et tuam applicationem moraliter jam

communicas; ita non improbabiler. (*Sa. Major, Ronc. Elbel, Salm. Pelliz. Trull.* et alii *Lib. 4. n. 163. Qu. II.*) Surdus autem non satisfacit, quidquid alii dicant. Secus verò dicendum de surdastro, si audiat saltem in confuso. (*n. 163. Qu. III.*)

74. — III. *Pronuntiatio integra*, id est, sine mutilatione, qua sensus verborum notabiliter varietur. Valet tamen officium, si aliqua saltem servetur significatio verborum (*n. 165*). IV. *Pronuntiatio continuata*, scilicet sine interruptione in qualibet hora, quæ autem interruptio inducit veniale, nisi aliqua excuset causa. (*n. 166*). Matutinum autem etiam sine causa potest à Laudibus separari, et sic pariter tres Nocturni, saltem per tres horas. (*numero 167*). Facta tamen interruptione, adhuc culpabili, probabilius non teneris horam repetere, cum quilibet Psalmorum versus suam habeat significationem (*num. 168*). V. *Horarum Ordo*, scilicet ne invertatur. Inversio tamen non erit nisi venialis, etiamsi fiat frequenter; et etiam in choro, ut probabilius aiunt *Cajet. Gaont. Laym. Sanch. Bonac. etc.* (*n. 170 et 171.*) Celebrare autem Missam ante Matutinum probabilius et communius non est nisi veniale cum *Less. Castrop. Conc. Tourn. Sot. Tolet. Bellarm. Croix, Salm. et aliis puribus.* (*Vide l. 6. n. 347.*) VI. *Tempus præfixum*. Tempus Matutini incipit ab hora vesperrarum diei antecedentis usque ad meridiem subsequentis (*L. 4. n. 174.*) Idque probabiliter procedit etiam de officio defunctorum, extra tamen Chorum (*ib. Qu. II.*) Et de hoc adest etiam Decretum Sacr. Congr. Ritus apud Ferraris *Biblioth. Tom. 4. verb. Litanix p. 495. Nota ad litt. (a)*. Non idem currit autem de litanis. (*ib. Qu. III.*) An autem satisfaciat dicens matutinum hora secunda post meridiem? Alii affirmant, ut *Salm. cum Sanch. Trull. etc.* dicendo in hodie permitti ex consuetudine introducta. Sed verius negandum cum *Holz. Croix. et Conc.*, quia tunc nondum incepta est hora vesperrarum, quæ est media inter meridiem et occasum; dies enim ecclesiasticus non nisi ab hora Vesperrarum incipit. Quòd autem consuetudo undique jam introduxerit recitari matutinum hora secunda post meridiem à majori parte fidelium, juxta dicta de consuetudine (*Lib. 1. n. 107 et seq.*), hoc probandum esset; sed usquedum non probatur, possidet lex opposita (*l. 4. n. 174. Qu. I.*); tempus autem horarum incipit à media nocte ad meridiem: vesperrarum et completarum à meridie ad mediam noctem. (*lib. 4. n. 173. v. Tempus.*)

75. — VII. *Intentio et attentio*. Requiritur *intentio* (scilicet recitandi) saltem virtualis; sufficit pro illa, si ab initio sumpseris breviarium ad recitandum. Communissimè autem, et probabilius cum *Suar. Castrop. Less. Tourn. Pont. Vasq. et Croix* cum aliis, non requiritur intentio satisfaciendi obligationi; imò recitans implet, etiamsi positivè intendat nolle implere, quia implens non potest non implere, cum satisfactio non pendeat à sua, sed à voluntate legis, sive Ecclesiæ (*n. 176*). Requiritur insuper *attentio*, saltem externa, scilicet ne apponatur actio in-

compatibilis cum attentione interna. An autem requiratur etiam interna? alii affirmant requiri internam, quæ sit vel ad Deum, vel ad sensum, vel saltem ad verba, nempe ut rectè pronuncientur; quia aliàs, prout dicunt, non esset oratio. Alii verò plurimi negant, dicentes veram esse orationem, quæ fit cum intentione orandi et attentione externa: ita *Lug. Palud. Coning. Angel. Sylo. Croix*, et plures alii cum *S. Anton. ex D. Th.* Verba *S. Antonini* hæc sunt: « Sed si evagatio est advertenter, » et solùm secundùm actum interiorẽ, licet temeraria et gra- » vis foret, non tamen mortale, nisi per contemptum, quia Ec- » clesia non habet judicare de actibus merè interioribus; prop- » ter quod Minister Ecclesiæ, licet dicendo orationem cogitet » aliud, non videtur transgressor præcepti ex natura facti. » *S. Anton. 3. part. tit. 13. cap. 4. §.* Verba autem *S. Thomæ* sunt: « Quando aliquis ex proposito mentem ad alia distrahit in » orando; tunc enim sine culpa non est: præcipuè si in aliis » sponte se occupat quæ mentem distrahunt, sicut sunt exteriora » opera, et si ad contrarium mens evagetur, etiam culpa mortalis » erit. » *In 4. sent. dist. 15. q. 4. art. 2. solut. 4. ad 2.* Juxta igitur *D. Th.* evagatio interna non est sine culpa, scilicet veniali, externa autem non sine mortali; et sic id intelligit idem *S. Antoninus*, dicens: « Unde *S. Thomas* dicit ibi, quòd in oratione, » si in aliis sponte se quis occupat in his quæ mentem dis- » trahunt sicut sunt opera exteriora, etiam culpa mortalis erit. » *Loco cit.* Ratio autem 1. hujus sententiæ est, quia, si attentio interna esset de essentia orationis, ministrans Extremam Unc- tionem sine attentione interna invalidè ministraret, cùm forma hujus Sacramenti sit deprecatoria, *Indulgeat tibi Deus, etc.* ex illo *S. Jacobi: Orent super eum, ungentes, etc. Ep. 5. 14.* sed id non potest dici, cùm constet ex *Florentino* ad valorem Sacramenti tria tantùm requiri et sufficere, nempe materiam, formam, seu verba à Ministro prolata, et intentionem ipsius faciendi quod facit Ecclesia. Ratio 2. quia si attentio interna de essentia orationis esset, etiam is qui cum involuntaria distractione horas persolveret, nec etiam satisfaceret. Propter has rationes minime contemnendas, videtur hæc secunda sententia non posse dici improbabilis. Cæterùm conveniunt omnes, quòd ut dicatur quis non implere, oportet ut non solùm advertat distractionem, sed adhuc, ut plenè advertat se distrahi ab officio: aliàs, licet voluntariè se distrahat, non tamen voluntariè se distrahit à recitatione. *Scrupulosus* autem propter distractiones nunquam tenetur repetere. Ita *Suar. Sot. Nav. Cajet. Conc.* et alii communiter. Vide lib. 4. n. 177. v. Cæterùm.

76. — Quæritur IV. Quænam causæ excusant à recitatione officii? Excusat I. *infirmitas* gravis, sive grave incommodum. Laborans autem tertiana vel quartana tenetur recitare, et etiam anticipare, si commodè potest. Non tenetur tamen anticipare matutinum in die præcedenti, nullus enim obligatur suo privilegio uti. Si quis commodè potest, tenetur dicere officium cum

socio. In dubio an ob recitationem graviter lædatis, non teneris; secus in dubio an excuseris, nisi habeas probabilem rationem; sed melius est tunc ut remittas medico, aut superiori, vel saltem viro prudenti. Quando autem urget morbus, si nequis recitare totum, nec teneris ad partem, quia aliàs magna superesset tibi scrupulosa anxietas, an pergere possis, vel ne, in reliquis recitandis; ita valde probabiliter *Suar. Nav. Sanch. Lug. Carden. Ronc.* etc. (*Lib. 4. n. 154.*) II. *Impedimentum* justum, putà si quis occupetur in officio charitatis, quod non posset omittere sine scandalo, aut notabili detrimento proprio, aut alieno, v. g. si nequeret differre concionem sine nota, vel confessiones aliorum in magno concursu (*n. 156.*) III. *Cæcitas* (*n. 157*) IV. *Carentia* Breviarii. Teneris tamen dicere quæ mente retines, modò id, quod retines, pertingat ad quantitatem saltem parvæ horæ. Et si cares officio proprio, teneris recitare ex communi. Item si absque magno incommodo potes socium adhibere, teneris. An autem Beneficiarius teneatur etiam conducere socium ad horas persolvendas; si nequit solus? Adest duplex sententia probabilis; sed affirmativa est communior et tutior; imò omnino sequenda, si ille velit fructus percipere; cum sola enim probabilitate opinionis oppositæ nequit possessionem fructuum inchoare, ut rectè aiunt *Less. Soto, Sal. Conc. Tourn. Bonac.* et alii communiter (*Lib. 4. n. 158. et vide l. 3. n. 761. Qu. II.*) juxta dicta in opere quod inscribitur *Homo Apostolicus. Tract. X. num. 8 et 145.* V: Excusat *Dispensatio* Pontificis; et etiam proprii Episcopi (ad breve tamen tempus), si adsit causa; putà si dubitetur de morali impotentia. (*l. 4. n. 159.*)

§. III. De Censuris in genere.

(In hoc paragrapho ponuntur tantùm definitiones, divisiones, et principia, relictis quæstionibus, aliisque notitiis, quæ habentur in *Hom. Apost. Tract. XIX.* ubi fusè egimus de censuris.)

77. — QUÆRIT. I. Quid et quotuplex sit censura? «Censura est pœna spiritualis et medicinalis, per quam delinquenti et contumaci per ecclesiasticam potestatem aufertur usus quorundam spiritualium honorum.»

78. — Dividitur censura 1. in excommunicationem, suspensionem, et interdictum. 2. In eam quæ est à jure, nempe quæ fertur per legem generalem et permanentem, et eam quæ est ab homine, quæ scilicet fertur à Prælato per particularem sententiam. 3. In eam quæ dicitur *latæ sententiæ*, quæque incurritur ipso facto, et *ferendæ sententiæ*, quæ non incurritur nisi post sententiam, prout sunt censuræ verbis futuri temporis; vide in *cit. Tract. XIX. n. 2.*

79. — Quær. II. Quis potest ferre censuras? Possunt omnes superiores ecclesiastici habentes jurisdictionem in foro externo, vel ordinariam, prout Pontifex, Concilia, Episcopi, et ipsorum Vicarii, item Vicarii Capitulares, et Capitula Religionum, eorumque Prælati; vel delegatam, ut sunt ii quibus ab habente

ordinariam facultas committitur; vide *d. Tr. XIX. n. 3. Quær. III. Quid requiratur, ut quis possit ligari censuris? Requiritur* 1. Ut sit homo. 2. Ut sit baptizatus. 3. Ut sit rationis compos. 4. Ut sit persona determinata. 5. Ut sit subditus. Quoad peregrinos verò, vide *ib. n. 6. Quær. IV. Quid requiratur ad incurrendam gravem censuram, putà excommunicationem majorem, vel suspensionem totalem, aut ad longum tempus? Requiritur* 1. peccatum grave, et ut materia sit etiam per se gravis, aut saltem valde conducens ad finem intentum. At in dubio Superioris præceptum certè ligat. 2. Actus externus. 3. Actus consummatus. 4. Contumacia, ita ut delinquens sciat crimen, non solum vetitum esse jure divino, sed etiam ecclesiastico. Vide autem illationes, quæ ex his inferuntur *cit. Tract. XIX. n. 7. Quær. V. quis possit à censuris absolvere? A censura lata per sententiam particularem ordinariè is tantum potest absolvere, qui eam tulit, vel ejus superior, aut successor, aut delegatus. Ab illa autem quæ lata est à jure, vel ab homine per sententiam generalem (modò non sit reservata), potest absolvere quivis confessarius; vide *ib. n. 11.**

80. — Hic autem notandum 1. quòd Episcopi ex *c. Liceat 6. sess. 24. in Trid.* possunt dispensare in omnibus irregularitatibus, et suspensionibus ex delicto occulto; exceptis iis quæ oriuntur ex homicidio voluntario, et aliis deductis ad forum contentiosum. Item possunt absolvere à quibuscumque casibus occultis, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, quoscumque sibi subditos in Diocesi sua per seipos, aut Vicarium ad id specialiter deputandum. De hoc vide *Tract. XX. à n. 29.* Hanc autem facultatem potest Episcopus etiam generaliter aliis delegare; *ib. n. 34.* Notandum 2. quòd prædicta facultas veriùs sublata est Episcopis respectu ad hæresim, et alios casus reservatos, vide *n. 38.* Si tamen quis sit impeditus adire Romam, bene potest absolvi ab Episcopo: absolute quidem, si impedimentum est perpetuum: sub juramento verò adeundi Romam, si est temporale, exceptis semper mulieribus, et pueris; vide *ib. n. 39 ad 45.* Insuper hic obiter notandum 3. quòd excommunicatio Papalis in violantes immunitatem ecclesiasticam, à qua absolvenda Clemens VIII etiam Regularibus facultatem abstulit, prout dicitur in *Tract. XX. n. 99,* illa tantum incurritur ab iis qui violenter et injustè extrahunt ab Ecclesia confugientes ad eam; Clemens enim in suo Decreto nullam aliam excommunicationem Regularibus vetavit absolvere respectu ad violantes immunitatem, quam illam quæ declarata fuit à Gregorio XIV, qui in Bulla 7 declaravit violantes immunitatem, per extractionem confugientis ad Ecclesiam, incurere ipso facto eandem excommunicationem Papalem, quæ priùs fulminata fuit in violantes libertatem ecclesiasticam à Paulo II, in *Extrav. Etsi Dominici, de Pœnit. et Rem.* et à Sixto IV, in alia *Extrav. Etsi Dominici, eod. tit.* Qui Pontifices hujusmodi excommunicationem ita sibi reservarunt, ut in generali concessione absolvendi à casibus Pontificiis hæc non comprehenderetur. Nec obstat textus an *c. Cum pro tua, de Sent.*

excomm. ubi, cum aliquis in claustro cujusdam Monasterii quemdam Clericum verberasset, dicitur in textu, illum duplicem incurrisse excommunicationem, unam, quia percussit Clericum, alteram, quia læsit immunitatem. Nam communiter notant DD. cum *Fagn. in cit. cap. num. 10.* excommunicationem illam ob læsionem immunitatis impositam fuisse non à jure, sed ab ipso Episcopo; ita *Abbas, Cardin. Ancharan. cum Innocent.* qui verbo, *Duplicem*, sic annotavit: « Duplicem, id est ob in-jectionem manuum ipso jure, et violationem claustri ab ipso » (*Episcopo*) latam. » Hinc *Fagn. cum aliis in cap. Inter alia, de Immun. Eccl. n. 102.* ut certum habet nullam adesse excommunicationem lætæ sententiæ Papæ reservatam contra percussiones vel furantes in Ecclesia.

§. IV. De Censuris in specie.

Et I. De Excommunicatione.

81. — EXCOMMUNICATIO est « censura, per quam privatur » homo communione ecclesiastica. » Est duplex; *Minor*, quæ privat tantum usu passivo, seu receptione Sacramentorum; vide in *Hom. Apost. Tract. XIX. n. 26 et 27.* Et *Major*, quæ privat etiam activo, et omni communicatione, ut infra mox dicemus n. 83.

82. — Excommunicatus potest esse vel toleratus, vel vitandus. *Toleratus* est quem fideles non tenentur vitare, ex *Const. Ad evitanda.* Concilii Constantiensis, nec etiam in divinis, ut probabilius aiunt DD. vide *ib. n. 25.* Et idem dicitur de suspensis, et interdictis toleratis. *Vitandus* est, quem fideles tenentur vitare. Et dupliciter quis potest esse vitandus, vel quia est nominatim excommunicatus, et denunciatus, vel quia est publicus percussor clerici, vel monachi: ita tamen, ut factum nulla possit tergiversatione celari, nec aliquo suffragio excusari, ut dicitur in *can. Si quis suadente. 17. qu. 4.* Vide *cit. tract. XIX. n. 16.* Hæc autem excommunicatio, si percussio est enormis, vel gravis, et publica tantum à Papa absolvitur; nisi percussor sit mulier, aut impuber; hi enim possunt absolvi ab Episcopo, qui potest etiam absolvere à percussione levi adhuc publica; et adhuc à gravi vel enormi, si sit occulta; vide *Tract. XX. n. 46. ad 48.*

83. — Excommunicatus igitur excommunicatione majori (esto sit toleratus) privatur 1. Suffragiis Ecclesiæ. 2. Beneficiis, ita ut collatio Beneficii ipsi facta sit omnino nulla. 3. Susceptione et administratione Sacramentorum, ac omni usu divinorum officiorum. 4. Omni communicatione spirituali, et civili cum fidelibus. Ex alia parte peccant fideles, si communicant cum excommunicato vitando, sive in divinis, nempe si cum eo Missam audiant, officium recitent; sive in civilibus, scilicet si illum alloquantur, cum eo habitent, societatem ineant, eum saluent, scribant ei; quæ omnia comprehenduntur illo versu: *Os, Orare, Vale, Communio, Mensa negatur.* Hi autem communicantes in

tribus peccant graviter. 1. Si casibus communicant in divinis. 2. Si in contemptum Ecclesiæ. 3. Si in criminoso, id est si communicant in eodem crimine (putà concubinato) ob quem ille est excommunicatus; et in hoc tertio casu incurrunt etiam excommunicationem majorem; in aliis verò (regulariter loquendo) peccant tantum venialiter, et ligantur sola excommunicatione minori; à qua culpa, et excommunicatione excusat necessitas, utilitas, lex conjugii, subjectio, et ignorantia, quæ aliò versu continentur: *Utile, Lex, Humile, Res ignorata, Necessitas*. Vide de his *Tr. XIX. in toto Puncto. II. Dixi, regulariter loquendo*, nam esto sit probabile quamcumque communicationem civilem cum vitando esse tantum venialem, probabilius tamen est esse mortalem, si sit frequens, cum proposito frequenter cum eo communicandi; vide *ib. n. 22.*

II. De Suspensione.

84. — SUSPENSIO est « censura, qua clericus funciones aliarum ecclesiasticarum exercere prohibetur. » Multipliciter autem dividitur suspensio. 1. Alia est à jure: alia ab homine. 2. Alia fertur ad certum tempus, quo elapso expirat: alia fertur absolute, quæ manet donec per absolutionem auferatur. 3. Alia est ab officio, nempe ordinis, vel jurisdictionis; alia à beneficio; et alia ab utroque, tam ab officio, quam à beneficio. Vide quæstiones super hac censura in *Hom. Apost. Tract. XIX. ex num. 64.*

III. De Depositione.

85. — DEPOSITIO est « quæ privat simpliciter omni usu officiorum, et beneficiorum. » Depositiō autem alia est *Realis*, quæ dicitur etiam degradatio. Alia *Verbalis*, quæ absolute dicitur depositio. Prima fit cum solemnitate, et privat privilegio tam fori, quam canonis, absque spe restitutionis. Secunda verò fit sine solemnitate, utroque privilegio retento; vide *Tr. XIX. n. 67.*

IV. De Interdicto.

86. — INTERDICTUM est « censura ecclesiastica prohibens usum tam divinatorum officiorum, quam aliorum Sacramentorum, et etiam ecclesiasticæ sepulturæ usum, quatenus talis est. » Dicitur, *talis est*, quia excommunicatio etiam privat eodem usu, sed quatenus est communicatio cum fidelibus; suspensio autem non impedit propriè usum, sed exercitium potestatis ecclesiasticæ. Interdictum aliud est *Locale*, quod immediate afficit locum, aliud *Personale*, immediate afficiens personas. Potest esse etiam mixtum, quod afficiat immediate tam locum quam incolas. Vide alia *Tract. XIX. n. 68.* Adest etiam *Cessatio à divinis*, quæ definitur: « Prohibitio clericis facta, ut abstineant ab officiis divinis, et ab ecclesiastica sepultura. » Hæc non est censura, nec imponitur per modum medicinæ, sed tantum in si-

rum mœroris, ob aliquam gravissimam injuriam Deo vel Ecclesiæ irrogatam. Ipsa imponi potest à quibus imponuntur censuræ.

V. De Irregularitate.

87. — IRREGULARITAS est « impedimentum canonicum, Ordinum sacrorum susceptionem, et susceptorum usum impediens. » Dictum est *impedimentum*, non censura; quia sic vult communior, et probabilior sententia: vide *Hom. Apost. Tr. XIX. n. 73*. Notandum hæc 1. quòd irregularitas non incurritur, nisi in jure sit expressa, ex c. *Is. qui, de Sent. excom.* Unde in dubio non incurritur, nisi dubium sit circa homicidium factum; in dubio enim, an quis ad illud concurrerit vel ne, habetur ut irregularis. *ibid. n. 79 et 80*. Notandum 2. quòd ad incurrendam irregularitatem ex delicto, requiritur saltem scientia legis Ecclesiasticæ prohibentis. An autem etiam scientia pœnæ? Probabiliter adhuc affirmant *Nav. Sylo. Sanch. Castrop. Ronc. etc.* Vide *ibid. n. 83 et 84*. Irregularitas tollitur 1. per cessationem causæ, si sit ex defectu ætatis, ignorantia, aut paupertatis, vel infamiae facti, quæ tollitur etiam per mutationem loci, aut per emendationem; nam aliàs, si est juris, scilicet per sententiam, requiritur dispensatio. 2. Per Baptismum (si sit ex delicto). 3. Per dispensationem. 4. Per professionem religiosam; vide *ib. n. 85 ad 87*.

88. -- Irregularitas alia est ex *delicto*, alia ex *defectu*. Irregularitates ex delicto sunt sex. I. Ob Baptismum seriò, et scienter iteratum, et tunc fit irregularis tam baptizans, quam baptizatus; Vide *Tract. XIX. n. 88*. II. Ob violationem censuræ, nempe si quis ea innodatus scienter exercet actum Ordinis solemniter; *n. 89*. III. Ob peccatum, quo clericus scienter et seriò actum Ordinis sacri, quem non habet, solemniter exercet; *n. 89 et 90*. IV. Ob aliquas furtivas susceptiones Ordinum, id est 1. si quis accipit Ordinem sine approbatione Episcopi, ex c. *de eo qui furt. etc.* 2. Si absque dispensatione ejusdem suscipit eadem die plures Ordines, quorum unus est sacer, ex c. 2 *et 3. eod. tit.* 3. Qui post matrimonium contractum ante consummationem accipit Ordinem sacrum, uxore renitente, ex *Extrav. Antiquæ de voto*, vide *cit. Tr. XIX. n. 91*. Diximus autem ob aliquas, nam aliæ furtivæ Ordinum susceptiones enumeratæ *supra num. 46*. inducunt tantum suspensionem (Papæ quidem reservatam, si est publica), sed non irregularitatem. Et idem probabiliter dicendum de eo qui censura irretitus sacrum accipit Ordinem, scil. quòd non fiat irregularis nisi in ipsa ordinatione Ordinem ultro exerceat, juxta dicenda hæc *n. 91*. V. Ob enormia crimina, si sint publica et notoria facta, vel jure, habeantque à jure annexam infamiam, ut sunt adulterium, incestus, sodomia, perjurium in judicio, hæresis, simonia, rapina, lenocinium, exercitium usurarum, raptus mulierum, et similia. Hæc autem irregularitas, si est facti, tollitur per emendationem, si juris, per dispensationem, vide *Tr. XIX. n. 92*. VI. Ex injusta muti-

latione, et tantò magis ex homicidio voluntario, ex *cap. Si quis. 1. de Homic. Et ex Clement. un. cod. tit. Hæcque irregularitas extenditur etiam ad mandantes, consulentes, aut aliter concurrentes, ex cap. Si viduam. Dist. 58. Vide alia super hoc puncto Tract. XIX. n. 94 et seq.*

89. — Irregularitates autem ex defectu sunt octo : I. ex defectu *animæ*, ex quo irregulares sunt 1. amentes, phrenetici, et epileptici. 2. Illitterati, juxta dicta hñc n. 35. 3. Neophyti, seu recenter conversi. II. Ex defectu *corporis*, nempe si quis habet vitium, quod vel impedit congruum exercitium Ordinis, vel notabilem affert indecentiam. Ex primo capite *impedimenti* sunt irregulares cæci, surdi, muti, carentes manu, aut digitis omnibus, aut pollice, vel indice. Ex secundo autem capite *deformitatis* sunt irregulares leprosi, carentes naso, et aliter monstruosi, putà habentes gibbam valde enormem; vide *Tr. XIX. n. 116. ad 125.* III. Ex defectu *natalium*, ex quo sunt irregulares omnes illegitimi; qui tamen legitimantur vel per subsequens matrimonium, vel per professionem religiosam, vel per dispensationem Pontificis : vide ibi n. 126. *ad 129.* IV. Ex defectu *ætatis*, de quo vide dicta hñc n. 43 et 44. V. Ex defectu *Sacramenti*, nempe ex bigamia : dicitur *Sacramenti* eò quòd duas ducens uxores nequit aptè significare unionem Christi cum Ecclesia, quæ fuit unica ejus sponsa. Bigamia autem triplex est, quæ impedit à susceptione Ordinum, scilicet 1. *Vera*, quando quis cum duabus successivè verum contraxit matrimonium. 2. *Interpretativa*; quando quis sola fictione juris censetur duas habuisse uxores, de quo vide cit. *tr. XIX. n. 134. ad 139.* 3. *Similitudinaria*, quæ contrahitur ex attentione matrimonii (quamvis invalidi) cum corrupta, vel cum virgine, post votum solemne emissum in Religione, vel post susceptionem sacri Ordinis, vide *ibid. n. 138.* VI. Ex defectu *infamiae*, de qua vide dicta hñc n. 88. *ad V*; nam irregularitates ex defectu, et ex delicto ob infamiam in idem coincidunt. VII. Ex defectu *libertatis*; unde sunt irregulares, 1. omnes servi propriè dicti. 2. Conjugati. 3. Curiales obligati curiæ propter juramentum, aut stipendium. 4. Milites, saltem quamdiu juramento tenentur; vide *Tract. XIX. n. 142. ad 145.* VIII. Ex defectu *lenitatis*, scilicet ex licita mutilatione membri, quæ fit à Chirurgis cum incisione, vel adustione; vel ex licito homicidio in bello justo offensivo, aut in judicio per cooperationem activam, efficacem, proximam, et ad occisionem ordinatam, vide *ibid. num. 146.*

Sectio II. De Diaconatu.

90. — Quid Diaconatus? et quæ ipsius materia, et forma? — 91. Officia Diaconi. Censura ligatus, etc. De Pœnitentia imposita ab Episcopo, an implenda sub gravi.

90. — **DIACONATUS** est « Ordo quo confertur potestas immediatè assistendi Sacerdoti in Missa, porrigendo ei patenam

» cum hostia, et calicem cum vino: item legendi Evangelium, » et prædicandi. » Sententia nobis probabilior (juxta dicta hfc n. 28.) tenet, unicam Diaconatûs materiam esse manuum Episcopi impositionem, unicamque formam esse verba Episcopi: *Accipe Spiritum Sanctum ad robur, etc.* Sed quia altera sententia etiam est probabilis, ideo tenenda, nempe, quòd porrectio instrumentorum etiam sit materia integralis partialis, ac propterea dicendum quòd materia Diaconatûs est duplex, scilicet impositio manûs dexteræ Episcopi, cum forma: *Accipe Spiritum sanctum etc.*, et traditio libri Evangeliorum cum forma *Accipe potestatem legendi Evangelium, etc.* Ambo autem sunt materiæ et formæ partiales unum Ordinem constituentes. Valeret etiam traditio Bibliæ, quia ibi jam continentur Evangelia. Sed dices: ab initio quomodo ordinabantur Diaconi, quando deerat liber Evangeliorum? Respondetur, Christum Dominum reliquisse Ecclesiæ potestatem determinandi in specie materias, et formas Sacramentorum, quorum ipse non determinavit. Et juxta hanc sententiam character imprimitur in ipsa libri traditione, ut dicit D. Thomas, sive in prolacione secundæ formæ (Lib. 6. n. 748.): ita juxta hanc sententiam, sed vide dicta in *Hom. Apost. Tract. XVII. n. 14. ad 16.*

91. — Officia Diaconi (præter dicta) sunt, 1. solemniter baptizare; sed non nisi de licentia Parochi, et in gravi necessitate: aliàs Diaconus qui baptizat solemniter sine commissione, etiam in necessitate, irregularitatem incurrit. 2. Ministrare Eucharistiam, sed pariter id non licet nisi fiat ex commissione Parochi, et in necessitate gravi, nempe si populus sit communicaturus, et desit Sacerdos (lib. 6. n. 237. Q. 1.); aliàs si ministrat sine commissione, etiam fit irregularis (n. 234.) 3. Deferre pyxidem, aut ostensorium cum Eucharistia. 4. Prædicare, et lavare corporalia in defectu Subdiaconi. Diaconus autem censura ligatus irregularitatem incurrit, si ministrat, juxta dicta n. 88. ad II. Qui verò irretitus censuris Diaconatum suscipit, non fit irregularis, nisi in Missa ordinatione ultro Ordinem susceptum exerceat (vide l. 6. n. 799. Dub. 3. v. *Utrum.*) Quæritur an obliget pœnitentia imposita Diaconis et Subdiaconis ab Episcopo recitandi Nocturnum diei currentis, et Sacerdotibus tres Missas celebrandi? Alii affirmant; sed probabiliter alii (ut *Soto, Valentia, Castr. Pelliz-Gobat. etc.*) dicunt dicendas tantùm de decencia, non autem de obligatione, saltem non gravi, cùm de ea non constet. (l. 6. num. 829.)

Sectio III. De Presbyteratu.

§. I. 92 et 93. Quid Presbyteratus? et quæ materia et forma. — 94. De defectibus supplendis. §. II. — 95. De Sacrificio Missæ. Quid Sacrificium, et quotuplex? — 96. Quid Missa? — 97. Qu. I. Quæ requirantur ad Missam? De materia Missæ, et hfc de pane. — 98. De vino. — 99. De præsentia materiæ. — 100. De forma. — 101. Qu. II. Quomodo Christus sit præsens? — 102. Qu. III.

Effectus Missæ. — 103. Pro quibus offerri possit? — 104. Qu. IV. Quotuplex fructus? — 105. An Missa sit infiniti valoris? — 106. Q. V. De stipendio licito. — 107. Dilatio Missæ. — 108. Retentio partis eleemosynæ. — 109. An Parochus, etc. — 110. Applicatio. — 111. Qu. VI. Applicatio in celebrando. — 112. Qu. VII. An omnes Rubricæ sint præceptivæ? — 113. Qu. VIII. Quando Missa possit dici? an ante Matutinum? et an die Cœnæ Domini, et Sabbati sancti? — 114. Qu. IX. Ubi Missa dicenda? — 115. De pollutione Ecclesiæ. — 116. Qu. X. Quæ requirantur ad celebrandum? I. Altare. — 117. II. Calix et patena. — 118. III. Vestes — 119. IV. Corporale. — 120. V. Palla. — 121. VI. Missale. — 122. VII. Crux cum Crucifixo. — 123. Neopresbyteri an consecrent etc. — 124. An tres Missæ injunctæ. etc. — 125. Missa dicenda altè, breviter, etc. — 126. (de Celebrantibus nimia celeritate locuti sumus. Lib. 6. numero 400.) — 127. De Missis votivis. — Quando pluries in die etc. — 128. Si dum celebratur, polluitur Ecclesia, vel accedit excommunicatus. § III. — 129. III. De potestate Sacerdotali. Sacerdos simplex tantum Eucharistiam potest conficere, et ministrare; et Pœnitentiam in necessitate. — 130. Scitu necessaria cuilibet Sacerdoti circa ministrandam Pœnitentiam in necessitate. § IV. — 131 et 132. De munere docendi et prædicandi.

§. I. De Ordine Presbyteratûs.

92. — PRESBYTERATUS est « Ordo quo confertur potestas con-
 » secrandi Corpus et Sanguinem Jesu Christi, et absolvendi
 » fideles à peccatis. » Ordo autem Sacerdotii institutus fuit à
 Christo in cœna, cum dixit : *Hoc facite in meam commemorationem.*
 Et post resurrectionem, quando dixit : *Quorum remiseritis
 peccata, remittentur eis.* Quænam est materia Presbyteratûs?
 Juxta nostram probabilior sententiam (ut diximus hîc n. 28.
et Hom. Apost. Tr. 17. n. 16.) est unica, nempe secunda imposi-
 sitio manuum Episcopi cum presbyteris. Sed probabilis est etiam
 sententia quòd sit duplex, nempe traditio calicis cum vino, su-
 perposita patena cum hostia, cujus forma est : *Accipe potestatem
 offerendi Sacrificium, etc.* Et tertia impositio manuum cujus forma :
Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris peccata, etc. Et hæc
 sententia, cum sit probabilis, omnino in praxi tenenda est (*Vide
 lib. 6. n. 749.*) vide dicta in opere *Hom. Apost. Tract. 17.
 num. 16.*

93. — Hinc dicimus I. quòd in ordinatione Sacerdotum una
 cum calice et patena, tradenda est utraque species, nempe pa-
 nis, et vini; aliter non daretur directa potestas ad integrum Sa-
 crificium; et eodem tempore debet tradi, cum potestas Sacer-
 dotalis ad sacrificandum sit indivisibilis; ita probabilior sententia,
 quæ omnino tenenda est (*l. 6. n. 750.*). Item debet tradi ab eo-
 dem ordinante, et celebrante, ut dictum est hîc n. 53. *in fine.*
 Dicimus II. quòd non sufficit tangere tantum calicem, et non
 patenam, cum probabilis sit sententia utrumque esse tangendum
 (n. 753.) Dicimus III. quòd licet ex communi sententia valide

ordinatus sit, qui tantum hostiam, et non patenam tetigit, quia hostia et vinum sunt materia substantialis, et calix ac patena tantum ob decentiam adhibentur; attamen consultius est, ut talis Ordinatio repetatur, cum quatuor DD. de ea dubitent, et in Pontificali (ubi fit sermo de materia) dicitur: *Et culpam calicis, et patenam simul tangant* (n. 751.) Et idem videtur dicendum de eo qui tangit tantum patenam et calicem, et non hostiam (n. 752).

94. — Quæritur, quando defectus suppleri debeat in Ordinatione Presbyteratus? Si defectus est circa *essentialia*, nempe circa materiam vel formam, omnino Ordinatio repetenda est: et quidem tota, si defectus, sive ejus dubium vertitur quoad traditionem primæ potestatis super Corpus Christi reale: si verò quoad secundam circa corpus mysticum, tantum secunda repeti debet. Si autem defectus est circa *accidentalia*, tunc si est de re levi, putà si ordinatus non dixerit canonem, talis cæremonia (aut similis) non oportet repeti; si autem in re gravi, putà si defuerit unctio manuum, vel si Neo-Presbyter non protulerit verba consecrationis cum Episcopo, tunc defectus quamprimum supplendus est, et ab eodem Episcopo (si fieri potest); aliàs graviter peccaret ordinatus id negligendo, aut in Ordine ministrando (l. 6. nu. 758). Quonam autem tempore præfati defectus suppleri debeant? Respondetur quòd si sint circa accidentalia, probabiliter quovis tempore suppleri possunt: si verò circa essentialia, idem dicunt *Salm.* cum aliis: sed ex probabiliori, et communiori sententia supplendi sunt temporibus statutis Ordinationum, ut colligitur ex *cap. Presbyter, de Sacr. non iter.*, nisi agatur de solo dubio validitatis Ordinationis, ut probabiliter plures DD. opinantur. (l. 6. n. 759.)

§. II. De Sacrificio Missæ.

95. — SACRIFICIUM (loquendo in genere) sic definitur: « Est oblatio rei sensibilis facta Deo per immolationem in signum ejus supremi dominii. » Quadruplex autem potest esse Sacrificium: *Latreuticum*, ad Deum colendum: *Eucharisticum*, ad gratias agendas: *Impetratorium*, ad beneficia impetranda: *Propitiatorium*, ad veniam obtinendam.

96. — Missa verò definitur sic: « Est Corporis et Sanguinis Domini Jesu Christi consecratio et oblatio. » Et est verum Sacrificium, omnium aliorum rationem complectens; eademque est hostia quæ in cruce oblata fuit, *sola ratione offerendi diversu*, ut docet *Trid. sess. 22. c. 2.* Essentialiam Sacrificii alii dicunt consistere in *Consecratione*, alii in *Oblatione*, alii in *Sumptione*, alii demum probabilius in *Consecratione simul et Sumptione* ut *Bel-larm. Soto, Bonac. Tourn.* (l. 6. n. 305.) Ad essentialiam autem Sacrificii probabilius requiritur consecratio utriusque speciei, nempe panis et vini; aliter non satis exprimeretur commemoratio Sacrificii cruenti crucis. (num. 306.)

97. — Quær. I. Quæ requirantur ad Missam perficiendam?

Tria sunt necessaria : *Intentio, materia et forma*. Requiritur *Intentio* consecrandi, sive conficiendi Sacramentum; saltem virtualis, scilicet quæ perseveret ex intentione actuali prius habita, quam certè habet qui paratur et accedit ad celebrandum, juxta dicta hîc n. 9. Plura nunc sunt notanda de materia et forma Missæ. *Materia*, est ipse Christus Dominus, realiter existens sub speciebus panis et vini. Panis consecrandus debet esse usualis et communis, ex farina triticea, et aqua naturali (saltem pro majori parte) confectus, igneque coctus per modum panis, et non cum alia materia ex æquo vel quasi permixtus (ut ait *D. Thomas*), ac non corruptus, aut corruptioni proximus; aliàs non est materia apta. Ut autem sit materia licita, in Ecclesia Latina panis debet esse azymus, in Græca fermentatus (*l. 6. num. 198. ad 205.*). Hîc autem notandum 1. quòd si Græcus transit per loca Latinorum (et sic Latinus per Græciam) ubi non sit Ecclesia, in qua ritus Græcus servetur, potest pro suo arbitrio, in azymo et in fermentato celebrare; ita communiter DD. (*n. 203.*). Notandum 2. quòd consecrare hostiam, fractam vel maculatam non licet; sed non est mortale, nisi fractura vel macula esset valde enormis, ut dicunt *Quarti, Pasqual.*, et *La Croix* addit cum *Gobato*, quòd si fractura deprehendatur post oblationem, talis hostia licitè consecrabitur, secluso scandalo populi (*n. 204.*) Notandum 3. quòd hostia debet esse figuræ orbicularis, et major pro Sacerdote; si verò major desit, ut dicunt *Roncagl. quarti, Elbel, Gobat. et Tamb.* probabiliter potest Sacerdos, etiam causa devotionis, consecrare minorem; modò (advertunt) absit populi scandalum; sed addunt, quòd hoc scandalum facilè præcaveri potest, monendo populum de defectu hostiæ majoris. (*n. 205.*)

98. — Vinum autem debet esse ex uvis expressum; cui ex gravi præcepto Ecclesiæ modica aqua est in calice admiscenda (ad significandam unionem fidelium cum Christo), quæ saltem non excedat tertiam vini partem; quamvis hanc opinionem aliqui DD. non admittant, nisi vinum sit generosum. Sufficit verò admiscere unam aquæ guttam. (*n. 208 et 210.*) Non est materia apta vinum ex agresta, nec acetum, nec vappa (id est vinum cum jus vis evanuerit), nec lora, vulgò *acquata*. Vinum autem cum alio liquore etsi modico mixtum, vel mustum de uvis tunc expressum, est quidem materia apta ad Sacramentum, sed graviter illicita, ut dicitur in Rubrica; ubi idem docetur de vino, quòd *cæperit acescere, vel corrumpi, vel fuerit aliquantulum acre*. Dicunt tamen *La Croix, Gabatus, et Sporer* (*n. 206 et 207.*) quòd deficiente alio vino, licet uti vino tantum parum acescente: ait enim *Card. Lambertinus (Notif. 77. n. 2.)* quòd præfata Rubrica deducta est ex doctrina S. Thomæ 3. part. qu. 74. art. 5. ad 2. qui docet non posse quidem Sacramentum confici de aceto, *posse tamen confici de vino acescenti, quod est in via ad corruptionem.... licet peccet conficiens*. Unde Rubrica non videtur accipienda cum tanto rigore, ut comprehendat omnes etiam primos gradus acrimonix, sed tantum illos qui jam proximè incipiunt

constituere vinum aescens, vulgò dictum, *vinò colla punta*, sive *andato allo spunto*. Nec licet consecrare in vino congelato, nisi liquefiat dum consecratur. (*l. 6. cit. n. 207. Qu. II.*) Quin autem vinum congelatum sit materia apta, nequit dubitari, dum dicitur in Rubrica. (*de Defect. §. in hyeme*): *Si in hyeme sanguis congeletur in calice, involoatur calix pannis calefactis, etc. donec liquefiat*. Ergo per congelationem non corrumpuntur species vini aliàs desineret esse ibi sanguis Christi (*vide ib.*) Quid si celebrans in sumptione adverteret vinum esse corruptum? Alii dicunt sufficere ut sola fiat consecratio vini. Sed melius est juxta Rubricam (nisi adsit scandalum) iterum vinum, et novam hostiam consecrare, incipiendo à verbis: *Qui pridè, etc.* Vide dicta *Hom. Ap. Tr. 15. n. 54*. Et in dubio an fuerit materia apta, etiam est repetenda consecratio vini sub conditione, ut verius aiunt *Croix, Pasqual. et Aversa* (contra *Tambur. et Spor.*) quia possidet obligatio faciendi Sacramentum integrum. (*l. 6. n. 206. v. Quoad.*)

99. — Insuper ad validam consecrationem requiritur, ut materia 1. sit sensibiliter (saltem moraliter) præsens; unde invalide consecratur materia tam valde modica, ut nequeat sensu percipi, aut valde remota, vel posita post tergum, neque ad parietem. Dicitur verò *saltem moraliter*, quia bene consecrat cæcus, vel existens in tenebris, si aliunde certus sit moraliter de præsentia materiæ (*l. 6. n. 211. ad 213.*) Requiritur 2. ut sit certa, et determinata, (saltem aliquo modo certo, putà, primæ duæ hostiæ ex parte dextera); tunc autem jam consecratur ex intentione virtuali, licèt de ea Sacerdos consecrando obliviscatur (*n. 214. ad 216.*) Si autem ciborium tempore consecrationis remanserit extra altare, probabilius est ipsum rursus esse sub conditione consecrandum, ut docet *Card. Lambert. (de Sacrif. Missæ l. 3. c. 18. n. 6.)*, tunc enim dubium est an sit facta consecratio (*l. 6. n. 217.*) Quoad guttas autem vini separatas, sed intra calicem existentes, ait *La Croix l. 6. p. 1. num. 449.* expedire, ut Sacerdos intendat ea consecrare, ne quid sit in calice non consecratum. Sed melius mihi videtur id intendere de guttis proximis fundo, non verò de remotis. (*Vide opus nostrum l. 6. n. 215. v. Quær.*) Si offerantur hostiæ parvæ paulo post oblationem, licitè consecrantur, mentaliter oblatione suppleta, *Gavant. Tanner, Posseo. Aversa, etc.* Idque probabiliter fieri potest etiam post canonem inceptum, ut aiunt *Gobat. Quarti. Burghab. Posseo. Diana, Tamb. et Card. Lamb. (de Sacrif. Miss. l. 3. c. 18. n. 5.)* saltem si aliter plures communionem carerent; aut etiam (censeo) si communicaturus non posset expectare, vel si persona gravis aut nobilis communionem petat; dum propter hujusmodi causas permittunt *S. Antonin. Syloest. Bon. Sa. Barb. March. Posseo. Gob. Dicast. etc.* dari posse etiam partem hostiæ magnæ, vel dividi hostias minores in plures particulas. (*Vide Opus nostrum l. 6. n. 217. v. IV.*)

100. — Forma autem Eucharistiæ sunt verba, quæ proferuntur in consecratione panis et vini. An autem in consecratione

vini sola verba, *Hic est calix Sanguinis mei*, sint de essentia, vel etiam alia? Utraque sententia est probabilis; sed certè graviter peccat reliqua omittens. (n. 223.) An verò ad consecrationem requirantur de necessitate Sacramenti verba præcedentia: *Qui pridie quàm pateretur, etc.* Communis sententia negat, sed *Scotus* dubitat, ejusque sententiam *Du Pasquier*, et *Contin. Tournely*, dicunt non carere omni probabilitate; atque ego dicere improbabilem non audeo. (Vide l. 6. n. 220. ad 224.) Forma autem Eucharistiæ debet proferri *recitativè, et significativè*, id est referendo verba Christi, et applicando illa ad materiam præsentem, ut transmutetur ipsa in Corpus et Sanguinem Christi, ut aiunt *Conc. et Salm. Cum D. Thom.* (Vide n. 220. in fin.) Si quis autem propter balbutiem diceret, *Hoc est colpus meum*, vel *copus meum*; vel *copu meum*, vel *caliz*, vel *zanguinis*, validè consecrat, ut *Suar. Lug. Croix*, et alii communiter, ex *cap. Retulerunt de Consecrat. D. 4.*, ubi Baptisma collatum, *In nomine Patria, et Filia, etc.*, validum declaratur; ratio est quia voces ita sunt constitutæ, ut si aliquando cum vitio proferantur, idem significant; modò alium sensum non ingerant. (n. 224.) Hic autem advertendum sedulò id quod ait Rubrica (tit. 5. n. 2.): « Si celebrans non recordetur se dixisse quæ in » consecratione communiter dicuntur, non debet turbari (*scilic. » repeterc.*) Si verò valde probabiliter dubitat se aliquod essentialia » omisisse, iterum formam, saltem sub tacita conditione. »

101. — Quær. II. Quomodo Christus sit præsens in Eucharistia? Respondetur Christum in Eucharistia non esse præsentem per *productionem*, nec per *adductionem* de cælo, sed per conversionem substantiæ panis in substantiam Corporis Christi, cui conversioni convenienter aptatum est nomen *Transubstantiationis*. Christus autem sub panis et vini speciebus continetur Sacramentaliter, et ineffabili modo, qui debet credi, sed intelligi non potest. (*verbis exprimere vix possumus*, ait *Trid. sess. 13. c. 1.*) Salvator enim existit ibi sine extensione partium in ordine ad locum, et tamen est ibi totum Christi Corpus cum anima, et divinitate per concomitantiam: et unaquæque pars Christi ibi extra aliam existit. Atque Christus est *totus*, et *integer sub quavis ipsius speciei parte*, ut docet *Trid. sess. 13. c. 3.* Sed hoc intelligendum, separatione facta ut habetur ex *Trid. in eadem sess. 13. can. 3.* Unde separatione non facta, remanet quæstio indecisa, an Christus sit totus sub quavis speciei parte. In Eucharistia autem licet non sumatur persona Patris, nec Spiritûs S. prout sumitur persona Verbi, quæ est hypostaticè humanitati unita, tamen sunt in Eucharistia etiam personæ Patris et Spiritûs S. ob naturalem unionem, sive naturæ divinæ identitatem, quam habent cum Verbo.

102. — Quær. III. Quinam sint in Missa offerentes, et quinam effectus Missæ? Offerentes sunt tres: Christus qui est principalis offerens, Ecclesia, et Sacerdos qui offert ut minister tam Christi, quàm Ecclesiæ: ita *Bellarminus (de Sacrif. Missæ, cap. 4.)* Ef-

fectus autem Missæ sunt quatuor. I. Est *Remissio peccatorum*, non quidem immediatè et per se, sed mediatè per auxilium quod in Missa impetratur ad pœnitentiam, qua venia deinde obtinetur; ita communiter *Bellarm.* *Suar.* et alii cum *D. Th.* (*in 4. dist. 12. q. 2. art. 2. q. 2. ad 4.*), qui ait Missam delere peccata, *in quantum gratiam contritionis impetrat.* Idque rectè docent et communissimè AA. cum eodem *S. Doctore* (*l. c. n. 1. ad 1.*) contra *Canum* et *Valentiam*, procedere tam de mortalium, quàm venialium culparum remissione. (*l. 6. n. 311.*) II. Est *Remissio pœnarum*; hæ per Missam immediatè remittuntur homini justo, pro quo Missa offertur, communiter *Gon. Suar. Conc. Salm.* aliique cum *D. Th.* (*3. part. qu. 97. art. 5.*) dicente quòd hoc Sacramentum in quantum est Sacrificium, habet vim satisfactivam. III. Est *Incrementum Gratiæ*, non jam ex opere operato et immediatè, ut sentiunt aliqui, sed mediatè per auxilia quæ obtinentur ex Missa ad bonos perficiendos actus, quibus gratia augetur, ut docent *Castrop. Vasq. Suar. Lugo, etc.* communiter. IV. Est *Impetratio bonorum* tam spiritualium quàm temporalium, quatenus animæ prosunt. (*l. 6. num. 311. v. II. Effectus.*)

103. — Quær. IV. Pro quibus personis possit offerri Missa? Potest pro quibuscumque fidelibus, infantibus, obsessis, et aliis etsi existant in peccato. An autem pro excommunicatis? Si ipsi sunt vitandi, nequit Sacerdos pro illis offerre Missam nomine Ecclesiæ, sive ut minister Christi, ex *c. 2. de Sent. excomm.* Si verò sunt tolerati, probabilius est cum *Sanch. Navarr. Lugo, etc.* contra alios (*l. 6. n. 309.*), posse Sacerdotem pro his offerre Missam etiam nomine Ecclesiæ: licèt enim etiam tolerati sint exclusi à communicatione suffragiorum, tamen aliis datum est à Concilio Constantiensi (ut habetur in *Extrao. Martini V Ad evitanda*) liberè posse cum ipsis communicare adhuc in divinis, prout dictum est *Hom. Apost. Tract. 19. n. 15.* Sic pariter probabilius licet offerre Missam pro infidelibus, ut docent *Bellarm. Laym. Suar. Salm., etc.* contra *Sotum*, quia Christus pro omnibus se obtulit, idque certè licitum fuit in Lege veteri; Judæi enim pro Gentibus sacrificare jam consueverunt (*l. 1. Machab. c. 12.*): Pro defunctis autem in Purgatorio existentibus certum est, et de fide, ut docet *Trid. sess. 22. c. 2.* et in *Can. 3.* quòd licitè et utiliter Missa offertur. Idque ex infallibili promissione Christi, ut communiùs et veriùs (contra *Canum, etc.*) docent *Azor. Suar. Navarr. Salm., etc.*, quia, cum certum sit quòd Missa utiliter pro defunctis offeratur, hoc non potest esse nisi ex promissione Christi. (*n. 310.*)

104. — Quær. V. Quotuplex est fructus Missæ? Respondetur: fructus Missæ alius est *ex opere operato*, nempe ex merito Christi; alius *ex opere operantis*, scilicet ex merito Sacerdotis. Item alius est *Meritorius*, alius *Satisfactorius*, alius *Impetratorius*. Item alius *Generalis*, qui obtingit omnibus fidelibus, vivis, et defunctis; alius *Specialis*, sive *Medius*, obtingens assistentibus Missæ, et ei cui applicatur; alius *Specialissimus* obtingens soli celebranti;

qui pro illo nequit ullum stipendium accipere, ex Prop. 8. damnata ab Alexandro VII.

108. — An Missa sit infiniti valoris, tam intensivè, quàm extensivè? Plures DD. negant; plures verò alii probabilius affirmant, ut *Gonet, Habert, Juenin, Petrocor. Pignatelli, Tourn. Conc. Holzm. Wigandt, La Croix, Canus, Salm., etc.* ac pro his est etiam *D. Thomas*; quia Missa est idem quàm crucis Sacrificium; quod fuit infiniti valoris. Licèt autem valor sit infinitus, effectus tamen Missæ finitus est, ex finita capacitate hominum pro quibus offertur, quorum unusquisque percipit fructum iuxta suam capacitatem. Sed quia prima sententia est etiam probabilis, nequit Sacerdos accipere duplex stipendium à duobus, applicando eis Missam ambobus, ut falsò dicebat posse Propos. 10. damnata ab eodem Alexand. VII. Nec potest eam danti eleemosynam applicare in generali cum aliis, nisi hoc faciat sub conditione si liceat. (*l. 6. n. 312.*)

106. — Quær. VI. Quid de stipendio Missæ? Stipendium accipere licet Sacerdotibus, etiam opulentis, ut communiter docent *Suar. Lug. Conc. Tourn.* cum *Gerson, et Thomassin.* et aliis plurimis (contra *Gennet.* et alios paucos); quia quisque operarius dignus est mercede sua ex Apostolo *1. Cor. 9. (n. 317. Qu. I.)*

107. — Sacerdos peccat graviter, si differat Missam promissam sub stipendio ultra duos menses, ut dicunt *Garcia, Philib. Ripa,* et alii cum *Lugo*: item *Instruct. Conf. Noell. (part. 2. c. 406.)* ac *Tourn.*, qui ait esse communem sententiam, *bene posse aliquem acceptare stipendia Missarum ad duos menses (l. 6. n. 317. Q. II.)* Item *Conc.*, qui nihil aliud dicit, nisi quòd dilatio duorum mensium est gravis, ex Decreto Sac. Congr. Si verò Missa sit pro defunctis, dilatio unius mensis erit gravis, ut dicunt *Castrop. Escob. et Salm. (ibid.)* Imò si Missa dicenda sit pro instanti necessitate, putà imminentia mortis, vel alterius damni, tunc etiam dilatio hebdomadæ potest esse mortalis. Vide *Cabrinum. (Cabrin. c. 34. num. 216.)* Rectè hñc autem advertit *Conc. Tourn.*, quòd si quis multas daret Missas alicui communitati ad celebrandum, non præsumitur contentus esse quòd Missæ celebrentur cum tanta dilatione, prout si dedisset uni Sacerdoti. Id verò non intelligendum, quòd omnes illius communitatis Sacerdotes occupare se debeant ad eas subsecutivè dicendas; semper enim supponi debet communitas alias etiam habere obligationes; sed quòd Missæ distribuendæ sunt majori Sacerdotum parti, aut saltem alicui eorum convenienti numero, si communitas est valde numerosa, et juxta distributionem factam poterit deinde communitas satisfacere inter tempus illud, quòd unicuique illius permittitur, ad suæ ratæ satisfaciendum. Insuper hñc obiter notandum, quòd *Innoc. XII.* in *Bulla Nuper*, ann. 1697, jussit omnibus Ecclesiarum Rectoribus, ut in loco patenti exponant tabellam onerum Missarum temporalium, et perpetuarum, ad hoc ne onerentur novis oneribus, quibus satisfacere non valeant ut debent. (*Vide op. c. Instruct. v. 2. n. 409.*)

108. — Nulli licet dare aliis Missas ad celebrandum, retenta parte stipendii, sub pœna ipso facto incurrenda suspensionis Papæ reservatæ, si est Clericus, et excommunicationis, si laicus, ut habetur in Bulla *Quanta cura*, Bened. XIV. Et pars retenta tunc debet restitui, et probabilius Sacerdoti celebranti potiùs, quàm pauperibus. Excipe nisi pingue illud stipendium detur alicui ratione personæ, vel beneficii, aut capellanïæ (etiam amovibilis), vel Legati perpetui, quia tunc potest persona hujusmodi partem excedentem retinere. Administratores autem Ecclesiarum ex Decr. Sacr. Congr. confirmato ab Innoc. XII, nil possunt retinere, nec etiam pro expensis in celebratione Missarum, nisi Ecclesia alios non habeat redditus (*Vide lib. 6. num. 321 et 322.*); Vide hæc et alia fusiùs dicta de stipendio Missæ in *Hom. Apost. Tr. 15. ex n. 65.*

109. — Parochi ex Bulla, *Cum semper*, ejusdem Benedicti XIV. (*Bull. T. 1. N. CIII.*) tenentur applicare Missam pro populo omnibus diebus festivis, etiamsi congruam non habeant sustentationem. Si verò pingues habent redditus, non tenentur sæpius Missas applicare; ut in eadem Bulla declaratur (*lib. 6. n. 325. Qu. II.*) *V. Hom. Apost. Tr. 7. n. 29.* Hic autem obiter notandum, quòd in eadem Bulla Pontifex decrevit, ut Missa Conventualis, quæ singulis diebus canitur à clero, pro benefactoribus applicetur, respiciendo benefactores in genere cujuscumque Ecclesiæ, quavis consuetudine non obstante. (*n. 326.*)

110. — Applicatio debet fieri ante celebrationem, vel ante consecrationem. Veriùs autem (quidquid alii dicant) sufficit applicatio Missæ habitualis, ut communiter docent *Suar. Lugo, Bonac, Tourn. Holzm. Conc.* et alii plures. (*Lib. 6. n. 335. Qu. I.*) Si Missa nulli applicetur, fructus manet in thesauro Ecclesiæ. Applicatio autem sub conditione non impleta, valida est; si verò fiat pro primo qui offeret eleemosynam, non solum est illicita ex prohibitione Clem. VIII, sed etiam probabilius sæpe erit invalida. (*n. 337. v. Dicunt.*)

111. — Quær. VI. An Sacerdos teneatur aliquando celebrare in anno? Negant, præciso scandalo, *S. Bonav. Cajet. Lugo*, et probabile putant *Suar. Laym. et Pal.* Alii tamen communiùs cum *D. Th.* (quibus ego magis adhæreo) affirmant, cum verba Christi, *Hoc facite in meam commemorationem*, probabiliùs verum contineant præceptum, ut satis declarat Tridentinum *sess. 22. c. 1.* dicendo: «Apostolis..., eorum» que in Sacerdotio successoribus, ut offerrent præcepit per hæc verba: *Hoc facite,* etc. Tantò magis quòd *S. Pius V* jussit primam opinionem *Cajetani* expungi à suis Commentariis. *Merbesius* autem et *Habert* dicunt teneri Sacerdotes celebrare saltem omnibus diebus festis, hisque adhæret *Concina* ex Tridentino, *sess. 23. c. 14. de Ref.*, ubi sic monentur Episcopi: «Curant Episcopi, ut ii (*id est Sacerdotes*) celebrent saltem diebus Dominicis, et festis solemnioribus.» Sed ex verbis istis non satis probatur hoc esse Concilii rigorosum præceptum. Quam-

obrem probabilius, et communissimè dicunt *Nao.* et *Laym.* cum *Soto*, *Syloio*, *Pal. Ric. Val.* et *Elbel* cum *Scoto*, *Gob.* ac *Anacl.* l. 6. n. 303. dub. 2. Sacerdotes teneri sub gravi ad celebrandum saltem ter, et quater in anno in festis solemnioribus. Idque sentit *S. Th.* 3. p. qu. 82. art. 10. dicens: « Unde Sacerdoti, etiamsi » non habeat curam animarum, non licet omnino à celebratione » cessare, sed saltem videtur, quòd celebrare teneatur præcipuis » festis, et maximè in illis diebus in quibus fideles communicare » consueverunt, » nimirum in Paschatis, Pentecostes, et Natalis Domini ex *Can.* 16. de *Consecr. dist.* 2. Imò *Suar. Lugo, Bonac. Holzm.* et *Salm.* censent sufficere ad vitandum mortale celebrare ter vel quater in anno quibuslibet diebus. Idque videtur conforme Decreto Sac. Congreg. Concilii edito mense Nov. anni 1696, ubi declaratum fuit illum Sacerdotem peccare mortaliter, qui non celebrat ter vel quater in anno. Cæterum pro certo habeo, quòd Sacerdos omittens sine causa quotidie celebrare (excepta una die in hebdomada propter reverentiam Sacramenti) vix à veniali culpa excusari poterit, cum privet fructu Sacrificii Ecclesiam, cuius est Minister; populumque christianum, cuius est in altari intercessor. Apostolus enim sic Sacerdotes instruit: « Omnis... Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis. » *Hebr.* 5. 1.

112. — Quær. VII. an Rubricæ Missalis sint omnes præceptivæ, vel an aliquæ sint directivæ, sive de consilio? Diversæ in hoc sunt sententiæ. Nos sequimur sententiam *Quarti, Merati, et Tourn.* qui dicunt Rubricas de agendis intra Missam omnes esse præceptivas, et obligare juxta gravitatem materiæ, nam in Bulla *S. Pii* sic dicitur; « Districtè præcipientes, ut Missam juxta » ritum, modum et normam in Missali præscriptam decantent, » ac legant. » Nota to, *districtè præcipientes* (n. 399.) Rubricas autem de agendis extra Missam, probabiliter dicunt plures DD. aliquas esse tantum directivas, prout manuum ablutio post Missam, et orationes ante vel post Missam. (*Vide n. 409 et 410*) Insuper hîc notandum Rubricas præscriptas in Cæremoniali Episcoporum ubique obligare, cum in tribus Bullis ibi appositis dicatur: « Cæremoniale prædictum in omnibus Ecclesiis » servandum, præcipuè in Cathedralibus, et Collegiatis. »

113. — Quær. VIII. Quando Missa dici possit? Sic dicitur in Rubrica: « Missa privata saltem post Matutinum et Laudes, » quacumque hora ab aurora usque ad meridiem dici potest. » Communiter autem dicunt DD. licere Missam terminare in aurora, et illam incipere parum ante meridiem. Imò *Benedict. XIII* et *Clemens XII* declararunt posse in hoc tolerari latitudinem tertie partis horæ, tum ante auroram, tum post meridiem. (l. 6. n. 341. *vers. Omnes.*) Præterea communius et probabilius dicunt *Syloius, Castr. Bon. Roncag. Vioæ, Sabmant., etc.* quòd celebrans non peccat mortaliter, nisi incipiat Missam integra hora ante auroram vel hora post meridiem; aliàs tantum

veniale committit à quo excusat quævis causa rationabilis; imò causa gravior, prout esset dandi Viaticum, aut solemnitatis, itineris, vel funeris omnino excusat, etiamsi dilatio sit per integram horam. (*ib. n. 343 ad 346.*) Ministrare autem communionem licitum est usque ad Vesperas exclusivè: et etiam in Vesperis, si adsit aliqua specialis causa, modò non sit intempesta nocte, id est multo noctis tempore decurso. (*num. 259.*) Celebrare autem ante Matutinum et Laudes, alii dicunt esse mortale, alii nullum peccatum, alii autem veriùs et communiùs, ut *Suar. Sotus, Sylo. Tourn. Bellarm. etc.* (Quibus assentit etiam Bened. XIV, *de Sac. Missæ l. 3. c. 14.*) aiunt non esse mortale, quia talis gravis obligatio neque exprimitur in Rubrica, neque communiter est recepta ut gravis; sed non excusari sentiunt à veniali, cum id in Rubrica jam inter defectus numeretur *l. 6. n. 347.* Missam autem Conventualem dicere ante Matutinum et Laudes non excusatur à mortali, ut communiter docent DD. contra *Sanch. (num. 348.)* Celebrare in die Cœnæ Domini, et Sabbati sancti (quidquid alii dicant) nullo modo licet, nec etiam privatim, ut patet ex Decr. Clementis XI. quod refertur (*l. 6. n. 350.*) quodque confirmatum fuit ab Innoc. XIII, *ap. Merat. in Indice Decretor. n. 501.*

114. — Quær. IX. Ubi liceat Missam celebrare? Respondetur, in Oratoriis ab Episcopo benedictis, et designatis ad usus sacros, sive in Seminariis, Conservatoriis et Hospitalibus, et etiam in domibus privatis (modò Oratorium habeat januam in via publica); item in Oratoriis Religiosorum (*circa Regulares V. Hom. Apost. Tr. 20. n. 123 et 124.*), nec non in erectis in palatiis Episcoporum, omnes possunt celebrare, et quovis tempore, etiam in festis solemnibus, quia huiusmodi oratoria sunt veræ Ecclesiæ. In oratoriis autem privatis, in quibus tantum ex privilegio Pontificio celebrari potest, non licet sacrum facere diebus in Indulto exceptis, scil. Paschatis, Pent. Nat. Epiph. Annunc. Ascens. Assump. B. V. SS. Petri et Pauli et omnium SS. Nec potest in eis celebrari, nisi intersit aliqua ex personis, quibus directè concessum est indultum, ut declaravit Bened. XIV in Bulla, *Cum duo Nobiles (Vide l. 3. n. 319. v. Probabilen.)* Nec possunt ibi plures celebrari Missæ, si ibi dicitur (ut consuetum est) *una Missa quotidie celebretur*; declaravit enim Bened. XIV in Bulla, *Magno*, sub die 2 Jun. 1751. (*T. 3. N. 48.*) illud *una*, idem esse ac *unica (l. 6. n. 359. circa fin.)* An autem in his privatis Oratoriis possit ministrari communio? Alii affirmant, alii communiùs negant; et Bened. XIV in *Epist. Encycl.* ad Episcopos Poloniæ sub eadem die 2 Jun. prohibuit dari communionem in privatis Oratoriis sine licentia Episcopi (*cit. num. 359. v. Quæres.*) Celebrare autem in mari nunquam licet, nisi ex licentia expressa Pontificis (*n. 359. circa fin.*)

118. — Celebrans in Ecclesia polluta per notoriam effusionem sanguinis in notabili quantitate (nam in *cap. 10. de Cons.* dicitur *sanguinis effusione*), vel seminis, aut per sepelitionem infidelis,

Tria sunt necessaria : *Intentio, materia et forma*. Requiritur *Intentio* consecrandi, sive conficiendi Sacramentum, saltem virtualis, scilicet quæ perseveret ex intentione actuali prius habita, quam certè habet qui paratur et accedit ad celebrandum, juxta dicta hîc n. 9. Plura nunc sunt notanda de materia et forma *Misæ*. *Materia*, est ipse Christus Dominus, realiter existens sub speciebus panis et vini. Panis consecrandus debet esse usualis et communis, ex farina triticea, et aqua naturali (saltem pro majori parte) confectus, igneque coctus per modum panis, et non cum alia materia ex æquo vel quasi permixtus (ut ait *D. Thomas*), ac non corruptus, aut corruptioni proximus; aliàs non est materia apta. Ut autem sit materia licita, in Ecclesia Latina panis debet esse azymus, in Græca fermentatus (*l. 6. num. 198. ad 205.*). Hîc autem notandum 1. quòd si Græcus transit per loca Latinorum (et sic Latinus per Græciam) ubi non sit Ecclesia, in qua ritus Græcus servetur, potest pro suo arbitrio, in azymo et in fermentato celebrare; ita communiter DD. (*n. 203.*). Notandum 2. quòd consecrare hostiam, fractam vel maculatam non licet; sed non est mortale, nisi fractura vel macula esset valde enormis, ut dicunt *Quarti, Pasqual.*, et *La Croix* addit cum *Gobato*, quòd si fractura deprehendatur post oblationem, talis hostia licitè consecrabitur, secluso scandalo populi (*n. 204.*) Notandum 3. quòd hostia debet esse figuræ orbicularis, et major pro Sacerdote; si verò major desit, ut dicunt *Roncagl. quarti, Elbel; Gobat. et Tamb.* probabiliter potest Sacerdos, etiam causa devotionis, consecrare minorem; modò (advertunt) absit populi scandalum; sed addunt, quòd hoc scandalum facillè præcaveri potest, monendo populum de defectu hostiæ majoris. (*n. 205.*)

98. — Vinum autem debet esse ex uvis expressum; cui ex gravi præcepto Ecclesiæ modica aqua est in calice admiscenda (ad significandam unionem fidelium cum Christo), quæ saltem non excedat tertiam vini partem; quamvis hanc opinionem aliqui DD. non admittant, nisi vinum sit generosum. Sufficit verò admiscere unam aquæ guttam. (*n. 208 et 210.*) Non est materia apta vinum ex agresta, nec acetum, nec vappa (id est vinum cuius vis evanuerit), nec lora, vulgò *acquata*. Vinum autem cum alio liquore etsi modico mixtum, vel mustum de uvis tunc expressum, est quidem materia apta ad Sacramentum, sed graviter illicita, ut dicitur in Rubrica; ubi idem docetur de vino, quòd *cøperit acescere, vel corrumpi, vel fuerit aliquantulum acre*. Dicunt tamen *La Croix, Gabatus, et Sporer* (*n. 206 et 207.*) quòd deficiente alio vino, licet uti vino tantum parum acescente: ait enim *Card. Lambertinus* (*Notif. 77. n. 2.*) quòd præfata Rubrica deducta est ex doctrina S. Thomæ 3. *part. qu. 74. art. 5. ad 2.* qui docet non posse quidem Sacramentum confici de aceto, *posse tamen confici de vino acescenti, quod est in via ad corruptionem...., licèt peccet conficiens*. Unde Rubrica non videtur accipienda cum tanto rigore, ut comprehendat omnes etiam primos gradus acrimoniæ, sed tantum illos qui jam proximè incipiunt

constituere vinum acescens, vulgò dictum, *vino colla punta*, sive *andato allo spunto*. Nec licet consecrare in vino congelato, nisi liquefiat dum consecratur. (l. 6. cit. n. 207. Qu. II.) Quia autem vinum congelatum sit materia apta, nequit dubitari, dum dicitur in Rubrica. (de Defect. §. in hyeme): *Si in hyeme sanguis congeletur in calice, involvatur calix pannis calefactis, etc. donec liquefiat*. Ergo per congelationem non corrumpuntur species vini aliàs desineret esse ibi sanguis Christi (vide ib.) Quid si celebrans in sumptione adverteret vinum esse corruptum? Alii dicunt sufficere ut sola fiat consecratio vini. Sed meliùs est juxta Rubricam (nisi adsit scandalum) iterum vinum, et novam hostiam consecrare, incipiendo à verbis: *Qui pridie, etc.* Vide dicta Hom. Ap. Tr. 15. n. 54. Et in dubio an fuerit materia apta, etiam est repetenda consecratio vini sub conditione, ut veriùs aiunt *Croix, Pasqual. et Aversa* (contra *Tambur. et Spor.*) quia possidet obligatio faciendi Sacramentum integrum. (l. 6. n. 206. v. Quoad.)

99. — Insuper ad validam consecrationem requiritur, ut materia 1. sit sensibiliter (saltem moraliter) præsens; unde invalidè consecratur materia tam valde modica, ut nequeat sensu percipi, aut valde remota, vel posita post tergum, aut parietem. Dicitur verò *saltem moraliter*, quia bene consecrat cæcus, vel existens in tenebris, si aliunde certus sit moraliter de præsentia materiæ (l. 6. n. 211. ad 213.) Requiritur 2. ut sit certa, et determinata, (saltem aliquo modo certo, putà, primæ duæ hostiæ ex parte dextera); tunc autem jam consecratur ex intentione virtuali, licet de ea Sacerdos consecrando obliviscatur (n. 214. ad 216.) Si autem cibiorum tempore consecrationis remanserit extralitare, probabiliùs est ipsum rursus esse sub conditione consecrandum, ut docet *Card. Lambert. (de Sacrif. Missæ l. 3. c. 18. n. 6.)*, tunc enim dubium est an sit facta consecratio (l. 6. n. 217.) Quoad guttas autem vini separatas, sed intra calicem existentes, ait *La Croix l. 6. p. 1. num. 449.* expedire, ut Sacerdos intendat ea consecrare, ne quid sit in calice non consecratum. Sed meliùs mihi videtur id intendere de guttis proximis fundo, non verò de remotis. (Vide opus nostrum l. 6. n. 215. v. Quar.) Si offerantur hostiæ parvæ paulo post oblationem, licitè consecrantur, mentaliter oblatione suppleta, *Gavant. Tanner, Posseo. Aversa, etc.* Idque probabiliter fieri potest etiam post canonem inceptum, ut aiunt *Gobat. Quarti. Burghab. Posseo. Diana, Tamb. et Card. Lamb. (de Sacrif. Miss. l. 3. c. 18. n. 5.)* saltem si aliter plures communionem carerent; aut etiam (censeo) si communicaturus non posset expectare, vel si persona gravis aut nobilis communionem petat; dum propter hujusmodi causas permittunt *S. Antonin. Syloest. Bon. Sa. Barb. March. Posseo. Gob. Dicast. etc.* dari posse etiam partem hostiæ magnæ, vel dividi hostias minores in plures particulas. (Vide Opus nostrum l. 6. n. 217. v. IV.)

100. — Forma autem Eucharistiæ sunt verba, quæ proferuntur in consecratione panis et vini. An autem in consecratione

vini sola verba, *Hic est calix Sanguinis mei*, sint de essentia, vel etiam alia? Utraque sententia est probabilis; sed certè graviter peccat reliqua omittens. (n. 223.) An verò ad consecrationem requirantur de necessitate Sacramenti verba præcedentia: *Qui pridie quàm pateretur, etc.* Communis sententia negat, sed *Scotus* dubitat, ejusque sententiam *Du Pasquier, et Contin. Tournely*, dicunt non carere omni probabilitate; atque ego dicere improbabilem non audeo. (Vide l. 6. n. 220. ad 224.) Forma autem Eucharistiæ debet proferri *recitativè, et significativè*, id est referendo verba Christi, et applicando illa ad materiam præsentem, ut transmutetur ipsa in Corpus et Sanguinem Christi, ut aiunt *Conc. et Salm. Cum D. Thom.* (Vide n. 220. in fin.) Si quis autem propter balbutiem diceret, *Hoc est corpus meum*, vel *copus meum*; vel *copu meum*, vel *caliz*, vel *zanguinis*, validè consecrat, ut *Suar. Lug. Croix*, et alii communiter, ex cap. *Retulerunt de Consecrat. D. 4.*, ubi Baptisma collatum, *In nomine Patriæ, et Filia, etc.*, validum declaratur; ratio est quia voces ita sunt constitutæ, ut si aliquando cum vitio proferantur, idem significant; modò alium sensum non ingerant. (n. 224.) Hic autem advertendum sedulò id quod ait *Rubrica* (tit. 5. n. 2.): « Si celebrans non recordetur se dixisse quæ in consecratione communiter dicuntur, non debet turbari (*scilic. repetere.*) Si verò valde probabiliter dubitat se aliquod essenziale » omisisse, iteret formam, saltem sub tacita conditione. »

101. — Quær. II. Quomodo Christus sit præsens in Eucharistia? Respondetur Christum in Eucharistia non esse præsentem per *productionem*, nec per *adductionem* de cœlo, sed per conversionem substantiæ panis in substantiam Corporis Christi, cui conversioni convenienter aptatum est nomen *Transubstantiationis*. Christus autem sub panis et vini speciebus continetur Sacramentaliter, et ineffabili modo, qui debet credi, sed intelligi non potest. (*verbis exprimere vix possumus*, ait *Trid. sess. 13. c. 1.*) Salvator enim existit ibi sine extensione partium in ordine ad locum, et tamen est ibi totum Christi Corpus cum anima, et divinitate per concomitantiam: et unaquæque pars Christi ibi extra aliam existit. Atque Christus est *totus*, et *integer sub quavis ipsius speciei parte*, ut docet *Trid. sess. 13. c. 3.* Sed hoc intelligendum, separationem facta ut habetur ex *Trid. in eadem sess. 13. can. 3.* Unde separationem non facta, remanet quæstio indecisa, an Christus sit totus sub quavis speciei parte. In Eucharistia autem licet non sumatur persona Patris, nec Spiritus S. prout sumitur persona Verbi, quæ est hypostaticè humanitati unita, tamen sunt in Eucharistia etiam personæ Patris et Spiritus S. ob naturalem unionem, sive naturæ divinæ identitatem, quam habent cum Verbo.

102. — Quær. III. Quinam sint in Missa offerentes, et quinam effectus Missæ? Offerentes sunt tres: Christus qui est principalis offerens, Ecclesia, et Sacerdos qui offert ut minister tam Christi, quàm Ecclesiæ: ita *Bellarminus* (*de Sacrif. Missæ, cap. 4.*) Ef-

fectus autem Missæ sunt quatuor. I. Est *Remissio peccatorum*, non quidem immediatè et per se, sed mediatè per auxilium quod in Missa impetratur ad pœnitentiam, qua venia deinde obtinetur; ita communiter *Bellarmin. Suar.* et alii cum *D. Th.* (*in 4. dist. 12. q. 2. art. 2. q. 2. ad 4.*), qui ait Missam delere peccata, *in quantum gratiam contritionis impetrat*. Idque rectè docent et communissimè AA. cum eodem *S. Doctore* (*l. c. n. 1. ad 1.*) contra *Canum* et *Valentiam*, procedere tam de mortalium, quàm venialium culparum remissione. (*l. 6. n. 311.*) II. Est *Remissio pœnarum*; hæ per Missam immediatè remittuntur homini justo, pro quo Missa offertur, communiter *Gon. Suar. Conc. Salm.* aliique cum *D. Th.* (*3. part. qu. 97. art. 5.*) dicente quòd hoc Sacramentum in quantum est Sacrificium, habet vim satisfactivam. III. Est *Incrementum Gratiæ*, non jam ex opere operato et immediatè, ut sentiunt aliqui, sed mediatè per auxilia quæ obtinentur ex Missa ad bonos perficiendos actus, quibus gratia augetur, ut docent *Castrop. Vasq. Suar. Lugo, etc.* communiter. IV. Est *Impetratio bonorum* tam spiritualium quàm temporalium, quatenus animæ prosunt. (*l. 6. num. 311. v. II. Effectus.*)

103. — Quær. IV. Pro quibus personis possit offerri Missa? Potest pro quibuscumque fidelibus, infantibus, obsessis, et aliis etsi existant in peccato. An autem pro excommunicatis? Si ipsi sunt vitandi, nequit Sacerdos pro illis offerre Missam nomine Ecclesiæ, sive ut minister Christi, ex *c. 2. de Sent. excomm.* Si verò sunt tolerati, probabilius est cum *Sancti. Navarr. Lugo, etc.* contra alios (*l. 6. n. 309.*), posse Sacerdotem pro his offerre Missam etiam nomine Ecclesiæ: licèt enim etiam tolerati sint exclusi à communicatione suffragiorum, tamen aliis datum est à Concilio Constantiensi (ut habetur in *Extrao. Martini V Ad evitanda*) liberè posse cum ipsis communicare adhuc in divinis, prout dictum est *Hom. Apost. Tract. 19. n. 15.* Sic pariter probabilius licet offerre Missam pro infidelibus, ut docent *Bellarmin. Laym. Suar. Salm., etc.* contra *Sotum*, quia Christus pro omnibus se obtulit, idque certè licitum fuit in Lege veteri; Judæi enim pro Gentibus sacrificare jam consueverunt (*l. 1. Machab. c. 12.*): Pro defunctis autem in Purgatorio existentibus certum est, et de fide, ut docet *Trid. sess. 22. c. 2.* et in *Can. 3.* quòd licitè et utiliter Missa offertur. Idque ex infallibili promissione Christi, ut communiùs et veriùs (contra *Canum, etc.*) docent *Azor. Suar. Navarr. Salm., etc.*, quia, cum certum sit quòd Missa utiliter pro defunctis offeratur, hoc non potest esse nisi ex promissione Christi. (*n. 310.*)

104. — Quær. V. Quotuplex est fructus Missæ? Respondetur: fructus Missæ alius est *ex opere operato*, nempe ex merito Christi; alius *ex opere operantis*, scilicet ex merito Sacerdotis. Item alius est *Meritorius*, alius *Satisfactorius*, alius *Impetratorius*. Item alius *Generalis*, qui obtingit omnibus fidelibus, vivis, et defunctis; alius *Specialis*, sive *Medius*, obtingens assistentibus Missæ, et ei cui applicatur; alius *Specialissimus* obtingens soli celebranti;

qui pro illo nequit ullum stipendium accipere, ex Prop. 8. damnata ab Alexandro VII.

105. — An Missa sit infiniti valoris, tam intensivè, quàn extensivè? Plures DD. negant; plures verò alii probabilius affirmant, ut *Gonet, Habert, Juenin, Petrocor, Pignatelli, Tourn. Conc. Holm. Wigandt, La Croix, Canus, Salm., etc.* ac pro his est etiam *D. Thomas*; quia Missa est idem quàm crucis Sacrificium; quod fuit infiniti valoris. Licèt autem valor sit infinitus, effectus tamen Missæ finitus est, ex finita capacitate hominum pro quibus offertur, quorum unusquisque percipit fructum juxta suam capacitatem. Sed quia prima sententia est etiam probabilis, nequit Sacerdos accipere duplex stipendium à duobus, applicando eis Missam ambobus, ut falsò dicebat posse Propos. 10. damnata ab eodem Alexand. VII. Nec potest eam danti eleemosynam applicare in generali cum aliis, nisi hoc faciat sub conditione si liceat. (*l. 6. n. 312.*)

106. — Quær. VI. Quid de stipendio Missæ? Stipendium accipere licet Sacerdotibus, etiam opulentis, ut communiter docent *Suar. Lug. Conc. Tourn.* cum *Gerson, et Thomassin.* et aliis plurimis (contra *Gennet.* et alios paucos); quia quisque operarius dignus est mercede sua ex Apostolo 1. *Cor. 9.* (*n. 317. Qu. I.*)

107. — Sacerdos peccat graviter, si differat Missam promissam sub stipendio ultra duos menses, ut dicunt *Garcia, Philib. Ripa,* et alii cum *Lugo*: item *Instruct. Conf. Novell.* (*part. 2. c. 406.*) ac *Tourn.*, qui ait esse communem sententiam, *bene posse aliquem acceptare stipendia Missarum ad duos menses* (*l. 6. n. 317. Q. II.*) Item *Conc.*, qui nihil aliud dicit, nisi quòd dilatio duorum mensium est gravis, ex Decreto Sac. Congr. Si verò Missa sit pro defunctis, dilatio unius mensis erit gravis, ut dicunt *Castrop. Escob. et Salm.* (*ibid.*) Imò si Missa dicenda sit pro instanti necessitate, putà imminetia mortis, vel alterius damni, tunc etiam dilatio hebdomadæ potest esse mortalis. Vide *Cabrinum.* (*Cabrin. c. 34. num. 216.*) Rectè hïc autem advertit *Conc. Tourn.*, quòd si quis multas daret Missas alicui communitati ad celebrandum, non præsumitur contentus esse quòd Missæ celebrentur cum tanta dilatione, prout si dedisset uni Sacerdoti. Id verò non intelligendum, quòd omnes illius communitatis Sacerdotes occupare se debeant ad eas subsecutivè dicendas; semper enim supponi debet communitas alias etiam habere obligationes; sed quòd Missæ distribuendæ sunt majori Sacerdotum parti, aut saltem alicui eorum convenienti numero, si communitas est valde numerosa, et juxta distributionem factam poterit deinde communitas satisfacere inter tempus illud, quod unicuique illius permittitur, ad suæ ratæ satisfaciendum. Insuper hïc obiter notandum, quòd *Innoc. XII,* in *Bulla Nuper,* ann. 1697, jussit omnibus Ecclesiarum Rectoribus, ut in loco patenti exponant tabellam onerum Missarum temporalium, et perpetuarum, ad hoc ne onerentur novis oneribus, quibus satisfacere non valeant ut debent. (*Vide op. c. Instruct. p. 2. n. 409.*)

108. — Nulli licet dare aliis Missas ad celebrandum, retenta parte stipendii, sub pœna ipso facto incurrenda suspensionis Papæ reservatæ, si est Clericus, et excommunicationis, si laicus, ut habetur in Bulla *Quanta cura*, Bened. XIV. Et pars retenta tunc debet restitui, et probabilius Sacerdoti celebranti potiùs, quàm pauperibus. Excipe nisi pingue illud stipendium detur alicui ratione personæ, vel beneficii, aut capellanïe (etiam amovibilis), vel Legati perpetui, quia tunc potest persona hujusmodi partem excedentem retinere. Administratores autem Ecclesiarum ex Decr. Sacr. Congr. confirmato ab Innoc. XII, nil possunt retinere, nec etiam pro expensis in celebratione Missarum, nisi Ecclesia alios non habeat redditus (*Vide lib. 6. num. 321 et 322.*); Vide hæc et alia fusiùs dicta de stipendio Missæ in *Hom. Apost. Tr. 15. ex n. 65.*

109. — Parochi ex Bulla, *Cum semper*, ejusdem Benedicti XIV. (*Bull. T. 1. N. CIII.*) tenentur applicare Missam pro populo omnibus diebus festivis, etiamsi congruam non habeant sustentationem. Si verò pingues habent redditus, non tenentur sæpius Missas applicare; ut in eadem Bulla declaratur (*lib. 6. n. 325. Qu. II.*) *V. Hom. Apost. Tr. 7. n. 29.* Hic autem obiter notandum, quòd in eadem Bulla Pontifex decrevit, ut Missa Conventualis, quæ singulis diebus canitur à clero, pro benefactoribus applicetur, respiciendo benefactores in genere cujuscumque Ecclesiæ, quavis consuetudine non obstante. (*n. 326.*)

110. — Applicatio debet fieri ante celebrationem, vel ante consecrationem. Veriùs autem (quidquid alii dicant) sufficit applicatio Missæ habitualis, ut communiter docent *Suar. Lugo, Bonac, Tourn. Holzm. Conc.* et alii plures. (*Lib. 6. n. 335. Qu. I.*) Si Missa nulli applicetur, fructus manet in thesauro Ecclesiæ. Applicatio autem sub conditione non impleta, valida est; si verò fiat pro primo qui offeret eleemosynam, non solùm est illicita ex prohibitione Clem. VIII, sed etiam probabiliùs sæpe erit invalida. (*n. 337. v. Dicunt.*)

111. — Quær. VI. An Sacerdos teneatur aliquando celebrare in anno? Negant, præciso scandalo, *S. Bonav. Cajet. Lugo*, et probabile putant *Suar. Laym. et Pal.* Alii tamen communiùs cum *D. Th.* (quibus ego magis adhæreo) affirmant, cum verba Christi, *Hoc facite in meam commemorationem*, probabiliùs verum contineant præceptum, ut satis declarat Tridentinum *sess. 22. c. 1.* dicendo: «Apostolis..., eorum» que in Sacerdotio successoribus, ut offerrent præcepit per hæc verba: *Hoc facite,* etc. Tantò magis quòd *S. Pius V* jussit primam opinionem *Cajetani* expungi à suis Commentariis. *Merbesius* autem et *Habert* dicunt teneri Sacerdotes celebrare saltem omnibus diebus festis, hisque adhæret *Concina* ex Tridentino, *sess. 23. c. 14. de Ref.*, ubi sic monentur Episcopi: «Curant Episcopi, ut ii (*id est Sacerdotes*) celebrent saltem diebus Dominicis, et festis solemnioribus.» Sed ex verbis istis non satis probatur hoc esse Concilii rigorosum præceptum. Quam-

obrem probabilius, et communissimè dicunt *Nav.* et *Laym.* cum *Soto*, *Syloio*, *Pal. Ric. Val.* et *Elbel* cum *Scoto*, *Gob. ac Anacl. l. 6. n. 303. dub. 2.* Sacerdotes teneri sub gravi ad celebrandum saltem ter vel quater in anno in festis solemnioribus. Idque sentit *S. Th. 3. p. qu. 82. art. 10.* dicens : « Unde Sacerdoti, etiamsi » non habeat curam animarum, non licet omnino à celebratione » cessare, sed saltem videtur, quòd celebrare teneatur præcipuis » festis, et maximè in illis diebus in quibus fideles communicare » consueverunt, » nimirum in Paschatis, Pentecostes, et Natalis Domini ex *Can. 16. de Consecr. dist. 2.* Imò *Suar. Lugo, Bonac. Holzm. et Salm.* censent sufficere ad vitandum mortale celebrare ter vel quater in anno quibuslibet diebus. Idque videtur conforme Decreto Sac. Congreg. Concilii edito mense Nov. anni 1696, ubi declaratum fuit illum Sacerdotem peccare mortaliter, qui non celebrat ter vel quater in anno. Cæterum pro certo habeo, quòd Sacerdos omittens sine causa quotidie celebrare (excepta una die in hebdomada propter reverentiam Sacramenti) vix à veniali culpa excusari poterit, cum privet fructu Sacrificii Ecclesiam, cujus est Minister; populumque christianum, cujus est in altari intercessor. Apostolus enim sic Sacerdotes instruit; « Omnis... Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis. » *Hebr. 5. 1.*

112. — Quær. VII. an Rubricæ Missalis sint omnes præceptivæ, vel an aliquæ sint directivæ, sive de consilio? Diversæ in hoc sunt sententiæ. Nos sequimur sententiam *Quarti, Merati, et Tourn.* qui dicunt Rubricas de agendis intra Missam omnes esse præceptivas, et obligare juxta gravitatem materiæ, nam in Bulla *S. Pii* sic dicitur; « Districtè præcipientes, ut Missam juxta » ritum, modum et normam in Missali præscriptam decantent, » ac legant. » Nota to, *districtè præcipientes (n. 399.)* Rubricas autem de agendis extra Missam, probabiliter dicunt plures *DD.* aliquas esse tantum directivas, prout manuum ablutio post Missam, et orationes ante vel post Missam. (*Vide n. 409 et 410*) Insuper hæc notandum Rubricas præscriptas in Cæremoniali Episcoporum ubique obligare, cum in tribus Bullis ibi appositis dicatur: « Cæremoniale prædictum in omnibus Ecclesiis » servandum, præcipuè in Cathedralibus, et Collegiatis. »

113. — Quær. VIII. Quando Missa dici possit? Sic dicitur in Rubrica: « Missa privata saltem post Matutinum et Laudes, » quacumque hora ab aurora usque ad meridiem dici potest. » Communiter autem dicunt *DD.* licere Missam terminare in aurora, et illam incipere parum ante meridiem. Imò *Benedict. XIII* et *Clemens XII* declararunt posse in hoc tolerari latitudinem tertiæ partis horæ, tum ante auroram, tum post meridiem. (*l. 6. n. 341. vers. Omnes.*) Præterea communius et probabilius dicunt *Syloius, Castr. Bon. Roncag. Viva, Salmant., etc.* quòd celebrans non peccat mortaliter, nisi incipiat Missam integra hora ante auroram vel hora post meridiem; alias tantum

veniale committit à quo excusat quævis causa rationabilis; imò causa gravior, prout esset dandi Viaticum, aut solemnitatis, itineris, vel funeris omnino excusat, etiamsi dilatio sit per integram horam. (*ib. n. 343 ad 346.*) Ministrare autem communionem licitum est usque ad Vesperas exclusivè: et etiam in Vesperis, si adsit aliqua specialis causa, modò non sit intempesta nocte, id est multo noctis tempore decurso. (*num. 259.*) Celebrare autem ante Matutinum et Laudes, alii dicunt esse mortale, alii nullum peccatum, alii autem veriùs et communiùs, ut *Suar. Sotus, Sylo. Tourn. Bellarm. etc.* (Quibus assentit etiam Bened. XIV, de *Sacr. Missæ l. 3. c. 14.*) aiunt non esse mortale, quia talis gravis obligatio neque exprimitur in Rubrica, neque communiter est recepta ut gravis; sed non excusari sentiunt à veniali, cum id in Rubrica jam inter defectus numeretur *l. 6. n. 347.* Missam autem Conventualem dicere ante Matutinum et Laudes non excusatur à mortali, ut communiter docent DD. contra *Sanch.* (*num. 348.*) Celebrare in die Cœnæ Domini, et Sabbati sancti (quidquid alii dicant) nullo modo licet, nec etiam privatim, ut patet ex Decr. Clementis XI. quod refertur (*l. 6. n. 350.*) quodque confirmatum fuit ab Innoc. XIII, *ap. Merat. in Indice Decretor. n. 501.*

114. — Quær. IX. Ubi liceat Missam celebrare? Respondetur, in Oratoriis ab Episcopo benedictis, et designatis ad usus sacros, sive in Seminariis, Conservatoriis et Hospitalibus, et etiam in domibus privatis (modò Oratorium habeat januam in via publica); item in Oratoriis Religiosorum (*circa Regulares V. Hom. Apost. Tr. 20. n. 123 et 124.*), nec non in erectis in palatiis Episcoporum, omnes possunt celebrare, et quovis tempore, etiam in festis solemnibus, quia hujusmodi oratoria sunt veræ Ecclesiæ. In oratoriis autem privatis, in quibus tantum ex privilegio Pontificio celebrari potest, non licet sacrum facere diebus in Indulto exceptis, scil. Paschatis, Pent. Nat. Epiph. Annunc. Ascens. Assump. B. V. SS. Petri et Pauli et omnium SS. Nec potest in eis celebrari, nisi intersit aliqua ex personis, quibus directè concessum est indultum, ut declaravit Bened. XIV in Bulla, *Cum duo Nobiles* (*Vide l. 3. n. 319. v. Probabilem.*) Nec possunt ibi plures celebrari Missæ, si ibi dicitur (ut consuetum est) *una Missa quotidie celebretur*; declaravit enim Bened. XIV in Bulla, *Magno*, sub die 2 Jun. 1751. (*T. 3. N. 48.*) illud *una*, idem esse ac unica (*l. 6. n. 359. circa fin.*) An autem in his privatis Oratoriis possit ministrari communio? Alii affirmant, alii communiùs negant; et Bened. XIV in *Epist. Encycl.* ad Episcopos Poloniæ sub eadem die 2 Jun. prohibuit dari communionem in privatis Oratoriis sine licentia Episcopi (*cit. num. 359. v. Quæres.*) Celebrare autem in mari nunquam licet, nisi ex licentia expressa Pontificis (*n. 359. circa fin.*)

115. — Celebrans in Ecclesia polluta per notoriam effusionem sanguinis in notabili quantitate (nam in *cap. 10. de Cons.* dicitur *sanguinis effusione*), vel seminis, aut per sepelitionem infidelis,

hæretici, vel excommunicati, antequam reconcilietur ab Episcopo (vel à Sacerdote ab Episcopo delegato, si Ecclesia fuerit tantum benedicta), graviter peccat; sed nullam incurrit poenam, ut probabilius dicunt *Suar. Laym. Lugo*, et alii cum Ben. XIV, de *Sacr. Missæ (Lib. 6. nu. 361. ad 366.)* Sic etiam est mortale celebrare in Ecclesia execrata, nempe si eodem tempore demoliti sint parietes pro majori parte, vel crusta ablata. (*n. 367 et 368.*) An autem liceat Sacerdotibus celebrare in Ecclesiis Regularium contra prohibitionem Episcopi? Vide dicta in *Hom. Ap. Tr. 20. n. 77.*

116. — Quæ. X. Quæ requirantur sub gravi præcepto ad rite Missam celebrandam? Requiritur I. *Altare*, sive *Ara* lapidea ab Episcopo consecrata, cum sepulchro Reliquiarum et sigillo, ubi omnino reponendæ sunt hostia et particulæ consecratæ. (*l. 6. n. 372 et 373.*) Execratur autem altare, ita ut mortale sit in eo celebrare, si mensa consecrata removetur ab inferiori structura, vel si ara notabiliter frangitur, aut ab ea auferuntur Reliquiæ, aut sigillum, prout habetur in Decreto Sac. Congregat. Rituum. (*n. 369.*) In altari requiruntur etiam tres mappæ, nec sufficiunt duæ, ut aliqui dicunt: sufficiunt tamen una separata, et altera duplicata. (*n. 374 et 375.*)

117. — Requiritur II. *Calix*, et *patena* consecrata. Execratur autem calix, si notabiliter frangitur in cuppa, vel si in fundo porforetur; non verò si pereat ejus inauratio, ut probabilius et communiter docent *Lugo, Suar. Sylo. Tourn. Laym. etc.* Hinc probabilius est, calicem de novo inauratum non indigere nova consecratione (1). Celebrare autem in calice nunquam deaurato, probabilius est esse illicitum, sed non nisi venialiter ut dicunt *Lug. et Tournely.* Cum calix separatur à pede, amittit utique consecrationem, si cuppa est pedi fixa: secus si pes est tornatilis, et de se separabilis. (*l. 6. nu. 370.*) Communiter autem docent *Laym. Gao. Tour. Bon. Roncag., etc.* Pyxidem non esse consecrandam. (*lib. 6. n. 384.*) Dubitatur verò, an saltem sit benedicenda? Nègant communiùs *Suar. Sylo. Azor. Sot., etc.* Idque non videtur improbabile; sed probabilius affirmant *Salm. Tourn.* et alii cum *Card. Lambertino* (qui tamen omissionem non reputat plus quàm veniale), quia hoc est conformius Rubricæ Missalis, in quo dicitur, quòd Sacerdos hostiam pro communione *locet ante calicem, aut in aliquo vase mundo benedicto.* Et idem dicendum de lunula ostensorii, ubi in expositionibus hostia collocatur. (*n. 385.*)

118. — Requiritur III. *Vestes sacræ*, benedictæ ab Episcopo, vel ab alio habente facultatem à Pontifice. Graviter peccat qui celebrat sine alba, aut stola, aut cum ipsis non benedictis (nisi gravis excuset necessitas); secus tamen plures DD. non improbabiler dicunt de celebrante sine cingulo, aut amicto. (*n. 377.*)

1 Sed vide hanc opinionem revocatam, l. 6. n. 370. v. *omnibus tamen.* Et Tom. 7. pag. 495.

Quoad cingulum declaravit S. Cong., 22 Jan. 1701, Sacerdotem congruentius uti cingulo lineo, quam serico. Vestes autem excrantur, quando usum deperdunt, nempe si ab alba manica abscinditur: cingulum, si ita rumpitur ut neutra pars cingere possit: stola, si non possit humeros operire; vel si pars ejus ita scinditur, ut deperdatur forma; nec sufficit eam resarcire, destructa enim forma, desinunt partes esse sacræ. (n. 368 ad 371.) Color autem vestium probabilius est quod sit de præcepto, non tamen gravi. (n. 378. dub. 5.)

119. — Requiritur IV. *Corporale benedictum* ex lino, vel canabe. (l. 6. numero 386.) Execratur autem corporale, si ita frangitur, ut non possit amplius decenter continere calicem et patenam cum hostia. (numero 371.) Cavendum est, ne corporale sit valde immundum, in quo dicunt *Suar. Laymann et Tamb.* posse etiam graviter peccari; quamvis addat *Tamb.* ex eodem *Suar.* illud valde immundum difficulter evenire. Cæterum uti corporali, et aliis paramentis immundis, licet non valde, non excusatur à veniali, nisi alia haberi nequeant, ut *Croix* cum *Suar.* et *Gobat.* Imò ait *Tourn.* quod in necessitate, nempe si Sacerdos aut alii deberent omittere Missam de præcepto, licitum est uti corporali etiam notabiliter immundo. (*Lib.* 6. n. 371.)

120. — V. *Palla* etiam debet esse benedicta, et ex lino, vel canabe saltem ex parte interiori, ut ait *Suar.*, sed ex Decreto Sac. Congr. dictum fuit: « In Sacrificio Missæ non est adhibenda palla à parte superiori drappo serico cooperta. » Non autem improbabiler dicunt *Sotus* et alii, quod celebrare sine palla non est mortale, cum ipsa sacras species non tangat immediate. (n. 388.) Requiritur 5. *Purificatorium*, quod probabilius non oportet ut sit benedictum. (n. 389.)

121. — Requiritur VI. *Missale Romanum* continens saltem integrum Canonem. Dicunt autem communissimè, et probabiliter *Suar. Vasq. Laym. Pal. Lugo, Salm. Croix, etc.* non peccare celebrantem sine Missali, si memoriter bene sciat dicenda, et ob præteritam experientiam non sit ei periculum errandi. Uti verò Missali Regularium (scilicet celebrando juxta eorum ritum) est mortale etiam in ipsorum Ecclesiis. (num. 390.) Requiritur VII. *Minister* sub gravi obligatione, saltem usque ad oblationem, nisi urgeret necessitas dandi viaticum, vel etiam ne omittatur sacrum in die festo. Minister debet esse masculus, nam fœminæ sub gravi culpa prohibentur immediate ministrare in altari. Dicunt tamen communiter *Laym. Suar. Tourn. Mol. Homob., etc.* eum non peccare graviter qui celebrat respondente muliere. Imò dicunt *Paluc. Wigandt, Tourn. Lugo, Laym., etc.* bene permitti, quod fœminæ quandoque respondeant à longè, maxime si sint Moniales, modo (ut diximus) non immediate in altari ministrent. (l. 6. n. 391 et 392.)

122. — Requiritur VIII. *Cruce cum crucifixo*, etiamsi in altari expositum sit SS. Sacramentum, ut habetur ex cæremoniali

Episcoporum, et Decr. S. Congr. Utrùm autem sit mortale celebrare sine cruce? Negant communiter *Laym. Suar. Bonac. Tourn. Conc. Hab. Merati etc.* Sed animadvertendum, quòd Bened. XIV, in Decreto directo ad omnes Episcopos sub die 16 Julii anni 1746, incipiente *Accepimus* (vide in *Bullar. t. II. N. XVII.*) sic ibi in fine vers. *Itaque præcepit*: « Illud vobis » præcipimus, ut nullo modo patiamini rem divinam fieri ad » hujusmodi altaria, nisi Crucifixus inter candelabra ita promi- » neat, ut Sacerdos ac populus eundem Crucifixum facillè et » commodè intueri possint, quod evenire nequit, si exigua so- » lum crux minoris tabulæ defixa fidelibus exhibeatur. » Prius enim in eodem Decreto vers. *Equidem* dixerat: « Illud permit- » tere nullatenus possumus, quòd Missæ Sacrificium in his al- » taribus celebretur, quæ careant imagine Crucifixi, vel ipsa in- » commodè statuatur ante Presbyterum celebrantem, vel ita » tenuis et exigua sit, ut ipsius Sacerdotis et populi assistentis » oculos pene effugiat. » Hinc etiam notandum ex cæremoniali Episcoporum, quòd si in altari adsit statua Crucifixi, non oportet ut alia Crux apponatur. Idque confirmatur in præfato Decreto Benedicti, dum ibi dicitur ex sententia *Pasqualigi, Quarti, et Giribaldi*, cui se conformavit Sac. Congr. Rituum in quodam Decreto apud *Meratum* (n. 400.) sufficere Crucifixum in majori tabula altaris depictum, aut cælatum. Docet etiam *Pignat. (T. 9. Consult. 89.)* non esse opus, ut Crux, aut aliæ sacræ Imagines sint benedictæ. (*l. 6. n. 393.*) Requiritur IX. *Duplex candelabula* accensa ex cera; non ex sebo, vel oleo, nisi celebrandum sit ex necessitate, non autem si ex devotione. (*n. 394.*) Requiritur X et ultimò *Bursa, Velum, Puloillus* (sive *Legile*), et *Manutergium*; at sine istis celebrare, quando nullum eorum habetur, meritò ait *La Croix* nullum esse peccatum. (*n. 395.*) Celebrare capite cooperto per totam Missam est mortale; secus usque tantum ad Canonem. (*n. 397.*)

123. — Notandum 1. quòd Neo-Presbyteri consecrando cum Episcopo, verè celebrant, licèt unum Sacrificium faciant; in quo autem primarius celebrans est Episcopus, et Sacerdotes sunt etiam causæ totales Consecrationis, sed morales, quæ unum effectum pariunt: ad differentiam causarum totalium physicarum, quæ diversos causant effectus. Quisque autem ordinatus in Sacerdotium debet tunc præferre verba consecrationis, cum intentione consecrandi, attamen sub conditione si conformentur sua eodem tempore cum verbis Episcopi, aliàs graviter peccaret. (*n. 232.*)

124. — Notandum 2. Quòd Episcopus Neo-Presbyteris tres injungit Missas celebrandas, unam de Spiritu Sancto, aliam de B. Virgine, tertiam pro Defunctis. An autem sit obligatio gravis has dicendi Missas? Affirmant *Suar. Laym. Azor, etc.* Sed negant *Soto, Pal. Val. Pelliz., etc.* Cæterum duo videntur certa, 1. quòd hoc Episcopi præceptum transgredientes saltem venialiter peccent; 2. hujusmodi præceptum non obligare ad applican-

tas Missas pro Episcopo, cum id non exprimatur; tantò magis quia ipse subdit: *Et etiam pro me orate.* Nota autem quòd illæ tres Missæ dicendæ sunt primis diebus, in quibus Missæ votivæ dici possunt. (l. 6. n. 829.)

128. — Notandum 3. quòd, ut communiter traditur, Missa celebranda est altè, breviter, clarè, devotè et exactè. *Altè*, ita ut non dicantur submissè, quæ altè sunt dicenda: sed ita proferrantur, ut saltem à *Circumstantibus audiatur*, prout dicit Rubrica; alioquin celebrans non excusatur à culpa, sed tantùm veniali. Idem dicendum de eo qui altè recitat, quæ submissè dici debent. Imò *Gavantus* et *Quarti* putant esse mortale (sed non satis id ratione probant) dicere alta voce ea quæ submissè sunt dicenda, et consentit *La Croix* quoad verba consecrationis, dicens peccare mortaliter qui illa proferret ita elatè, ut audirentur ad decem passus, ubi magna esset populi pars; sed meritò *P. Concina* hoc non audet approbare (n. 415 et 416.) *Breviter*, id est, ut ordinariè loquendo non excedatur media hora, monente Rubrica, ut Missa non dicatur *nimis morosè, ne audientes tædio afficiantur.* Subdit autem Rubrica, *Nec nimis festinanter*; hinc sapienter ait *Card. Lambertinus* (*Notif.* 34. n. 30.) cum illis communiter, Missam non debere esse longiorem dimidia hora, nec breviorè triente, id est tertia parte horæ. Qualiter autem peccent qui celerius celebrant, vide dicta lib. 6. num. 400. ubi diximus Missam (etiamsi sit Defunctorum) pensolventem infra quadrantem non excusari à culpa gravi. *Clarè*, id est sine verborum mutilatione; quæ si sit notabilis, et sensus per eam varietur, erit mortalis (l. 6. n. 407.) *Devotè*, id est sine distractione, quæ si voluntaria sit in Canone, et præsertim in consecratione et sumptione erit mortalis, ut vult *Tamburinus*, licèt aliqui contradicant. Si autem habeatur extra Canonem, dicitur idem quod dictum est de Horis Canonicis (vide n. 75.) *Exactè*, id est ne omittatur aliquid de iis quæ dicenda sunt. Hic autem notandum, quod si omittantur partes ordinariæ, nempe quæ in Missa semper dicenda, vel agenda sunt, erit mortale, si materia sit notabilis, prout esset omittere in Canone quamlibet Orationem, vel *Pater noster*, vel fractionem hostiæ cum illius mixtione in calice, vel purificationem patenæ et calicis post sumptionem, vel octo aut decem verba Canonis. Sic pariter erit mortale extra Canonem omittere totum Introitum, vel duas ex Collectis principalibus, vel Epistolam, Evangelium, Offertorium, vel infusionem aquæ in vinum consecrandum. Veniale tamen erit omittere tantùm Psalmum *Judica*, vel *Kyrie eleison*, unam ex Collectis, unam vel alteram crucem super oblata, tunctionem Pectoris, vel ablutionem digitorum, et idem probabiliter dicunt de *Lugo*, et alii de Evangelio S. Joann. (l. 6. n. 406.) Sic quoque veniale tantùm est omittere partes extraordinarias, uti sunt, *Gloria*, *Credo*, *Sequentia*, *Tractus*, propriam Præfationem, aut *Communicantes*, et *Hanc igitur* propria; ita communiter omnes, nisi tot partes omittantur, quæ simul sumptæ notabilem constitu-

rent materiam, ut bene advertunt *Conc. et Wigandt*, quiddam dicant *Quarti, et Pasq.* (num. 409.)

126. — Notandum 4. prohiberi Missas Votivas, vel de *Requiem* in Dominicis, et Festis duplicibus, atque in Octavis privilegiatis; nisi graves urgeant causæ, nempe si urgeat publica necessitas, si fiat expositio SS. Sacramenti per 40 horas, item in die obitûs præsentis cadavere, etc.: hæc autem intelligenda tantum de missa solemni (n. 421.); an autem in prædictis Festis vetentur Missæ votivæ sub gravi culpa? Negant communiter *Lugo, Suar. Bon. Escob. Salm. Ronc.*, et alii plures. Rectè verò limitant *Escob. et Ronc.*, si tunc occurrat festum solemne saltem propter grave populi scandalum. Imò in festis duplicibus Missæ de *Requiem* strictè prohibentur in Decreto Sac. Congr. approbato ab Alex. VII; in pluribus autem casibus cantari possunt Missæ defunctorum in duplicibus etiam majoribus, scilicet. 1. In die obitûs præsentis cadavere; et hoc etiam in Dominica, vel in aliis solemnioribus, modò non sint 1. Classis. 2. Cùm primùm habita fuerit notitia obitûs alicujus. 3. In Anniversario relicto à testatore. Item in die tertio, septimo et trigesimo: si verò hi dies accidant in Festo de præcepto, transferantur in diem sequentem, vel anticipentur sub eodem ritu. 4. In Festo duplici min. si petatur Anniversarium pro aliquo defuncto, potest cantari Missa. Ita ex pluribus Decr. Sac. Congr. Rit. (*Vide n. 420.*) Exceptis autem festis duplicibus, aliisque ut supra, de Missis votivis sic loquitur Rubrica: *Missæ votivæ in Missis privatis dici possunt pro arbitrio Sacerdotum.* Sed deinde statim advertit: « Id verò passim non fiat, nisi rationabili de causa, » prout esset specialis devotio Sacerdotis, vel petitio de votiva dantis eleemosynam. » Quapropter dicens votivam præter has causas, vix excusabitur à veniali (n. 419.) Cæterùm tenetur Sacerdos Missas votivas celebrare, juxta petitionem dantium eleemosynam, diebus quibus licitè dici possunt. Hicque notandum cum *D. Th.* (*Suppl. q. 71. a. 9. ad 5.*), quòd Missa de *Requiem* magis prodest Defunctis propter Orationes quæ in ea dicuntur.

127. — Notandum 5. non licere pluries in die sacrificare, nisi in hisce casibus: 1. ad ministrandum Viaticum; 2. si die festo adveniant personæ, quas non deceat Sacrum omittere, uti Rex, aut Princeps, aut Episcopus; 3. si Pastor habeat duas Parochias dissitas, et aliter populus alter careret Missa in festo de præcepto. Advertit tamen *Bened. XIV* in Brevi, *Declarasti*, edito ann. 1746 (in *Bullar. T. II. N. 3.*), de hac re semper impetrandam esse facultatem ab Episcopo, etiamsi necessitas intercedere videatur. Præterea advertit, quòd de casibus enunciatis solus casus, cùm Parochiæ sunt dissitæ, in consuetudine est. Item advertendum olim licuisse Parocho in die Dominica post Missam pro populo dicere alteram pro defuncto, præsentis cadavere; sed idem *Bened. XIV* in Indulto, *Quod expensis*, etc. dato 26 August. 1748, in §. *Nova*, circa fin. (in *Bullar. T. II. N. 61.*)

declaravit id hodie non ampliùs permitti, cùm liceat Párocho dicere Missam pro defuncto, et transferre missam pro populo ad diem infra hebdomadam.

128. — Notandum 6. quòd si dum celebratur, Ecclesia poluitur, vel accedit excommunicatus vitandus, qui monitus nolit discedere, tunc Sacerdos ante consecrationem Missam dimittere debet: postea verò pergat usque ad sumptionem, et statim discedat: vide dicta in *Hom. Ap. Tr.* 19. n. 21. ad II. Demum hęc notandum quòd, facta consecratione nunquam licet Missam interrumpere, nisi tantùm ad baptizandum, vel absolvendum hominem jamjam moriturum; ita DD. communiter. (*l. 6. n. 354.*)

§. III. De Potestate Sacerdotis.

129. — **SIMPLEX** Sacerdos ex potestate Ordinis suscepti tantùm Eucharistię Sacramentum conficere potest, et etiam ministrare, excepta Communione Paschali; nam ad alia requiritur potestas jurisdictionis. Hinc nequit sine licentia Parochi baptizare, neque Extremam Unctionem, aut Viaticum ministrare, nec Matrimonio assistere; et sine licentia Episcopi expressa aut saltem pręsumpta de pręsenti, nequit extra casum necessitatis Confessiones excipere, nec etiam venialium aut mortalium priùs confessorum ex Decr. Innoc. XI (vide dicta *lib. 6. numero 543.*), quia dicitur, in *Trid.* ratio judicii, quod exercetur in administratione Pœnitentię exposcit, ut jurisdictionis non exerceatur nisi in subditos, qui per licentiam Episcopi Sacerdoti subjiciuntur.

130. — Diximus autem n. 35. quòd initiandi ad Presbyteratum debent habere scientiam eorum saltem quę communiter scienda sunt ad excipiendam Confessionem moribundi. Quapropter refert hęc annotare pauca principaliora, et scitu magis necessaria. Notandum I. quòd Sacerdos simplex nequit infirmum absolvere in pręsencia Confessarii approbati, exceptis sequentibus casibus: 1. Si approbatus nequeat vel nolit Confessionem excipere. 2. Si approbatus sit excommunicatus vel suspensus. 3. Si esset approbatus tantùm in alia Diocesi. 4. Si infirmus ita horreret apud illum confiteri, ut esset in periculo occultandi peccata. 5. Si approbatus superveniat post inceptam Confessionem apud simplicem Sacerdotem. 6. Si approbatus sit complex infirmi in peccato turpi (juxta dicta in *Opere lib. 6. numero 563.*) Notandum II. quòd si moribundus absolutionem postulat, vel signa dat pœnitentię Sacerdoti pręsenti, absolutè est absolvendus; si verò est sensibus destitutus, et adsit alter qui testatur ipsum postulasse Confessarium, vel signum ostendisse doloris, tunc alii dicunt etiam absolutè absolvi posse; sed tutiùs cum aliis dicimus absolvendum sub conditione. Et sic absolvendum censemus cum pluribus, etiamsi moribundus nullum dederit signum; imò etiamsi fuerit destitutus in actu peccati (vide dicta in *Opere lib. 6. n. 480. et seq.*) Notandum III. quòd Sacerdos simplex, deficiente approbato, potest absolvere fideles à quibusvis peccatis et censuris, non solùm in articulo, sed etiam in probabili periculo mortis. Censetur autem in periculo mortis esse, non

tantum qui laborat morbo proximè periculoso mortis, sed etiam qui longam navigationem aggreditur, vel mulier quæ est in difficili partu; item qui est in periculo incidendi in amentiam; insuper qui est captivus apud infideles, carens spe libertatis, et habendi Confessarium approbatum. Notandum IV. quòd infirmus, qui absolvitur à censuris reservatis, monendus est, quòd si convalescat, tenetur se præsentare Superiori, aliàs in easdem censuras reincidet; secus verò si absolvitur tantum à peccatis reservatis sine censura. Ultimò notandum, quòd quisque Sacerdos, ut sit idoneus in necessitate ad excipiendas Confessiones infirmorum, debet non ignorare saltem principia universalia Scientiæ Moralis.

§. IV. De munere docendi, et prædicandi.

131. — CUM autem Sacerdotis etiam sit docere populos, et prædicare Evangelium, operæ pretium est hęc demum annotare, quæ docenda sint, et quomodo Evangelium explicandum. Quoad primum, docendum quatuor esse necessaria ad salutem, nempe fidem, spem, charitatem, atque bona opera. Et 1. quoad fidem, quia Deus veritas infallibilis revelavit Ecclesiæ, tenemur explicitè scire et credere Deum existere, et remuneratorem esse; ac Mysterium SS. Trinitatis, atque Incarnationis Filii Dei. Hęc de necessitate medii. De necessitate autem præcepti quisque tenetur etiam scire et credere Orationem Dominicalem, salutationem Angelicam, præcepta Decalogi et Ecclesiæ; item Sacramenta, præsertim ea quibus omnes indigent, nempe Baptismi, Eucharistiæ, et Pœnitentiæ, et alia, saltem dum ea suscipiuntur. 2. Quoad spem, quia Deus omnipotens, misericors, et fidelis promisit propter merita Jesu Christi, tenemur sperare à Deo æternam beatitudinem, et media ad eam consequendam, veniam nimirum peccatorum, et perseverantiam finalem. 3. Quoad charitatem, quia Deus est bonitas infinita, tenemur eum super omnia diligere; huic autem præcepto alterum adjicitur charitatis, scilicet diligendi proximum, sicut nos ipsos. 4. Ad salutem demum obtinendam sunt etiam necessaria bona opera, servando mandata Dei et Ecclesiæ, quæ in Decalogi et Ecclesiæ præceptis continentur.

132. — Quod autem spectat ad secundum munus explicandi Evangelium, sive Scripturam, sciendum, duos ipsam sensus habere, *Litteralem*, et *Mysticum*: Ille est *Litteralis*, qui per ipsa verba significatur. *Mysticus*, qui non significatur per verba, sed per rem ipsis verbis significatam, v. g. cum dicitur: *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum, etc.* hęc non quidem præcipitur oculi abscissio, sed scandali sive occasionis. Sensus autem *Mysticus* in tres alios subdividitur. 1. In *Allegoricum*, scil. spectantem ad res credendas. 2. In *Anagogicum*, spectantem ad bona speranda. 3. In *Tropologicum*, spectantem ad mores. Regulariter verba Scripturæ in litterali sensu accipi debent, nisi adsit absurdum, prout cum dicitur: *Petra autem erat Christus*, et similia.

Sæpe autem Scripturæ textus utrumque sensum habent, litteralem simul et mysticum. Mystico sæpe convenit, ut Sacerdotes in concionibus utantur, præsertim si est tropologicus, sive moralis. Licet etiam uti aliquando sensu vocato *Accommodatio*, modò id piè et prudenter agatur.

FINIS

INDEX

EXAMINIS ORDINANDORUM.

CAP. I. De Sacramentis in genere.	pag. 149
CAP. II. De Sacramento Ordinis in genere.	157
CAP. III. De Ordinibus in specie.	165
Art. I. De prima Tonsura.	<i>ibid.</i>
Art. II. De Ordinibus Minoribus.	167
Sect. I. De Ostiariatu.	168
Sect. II. De Lectoratu.	<i>ibid.</i>
Sect. III. De Exorcistatu.	<i>ibid.</i>
Sect. IV. De Acolythatu.	169
Art. III. De Ordinibus Majoribus.	<i>ibid.</i>
Sect. I. De Subdiaconatu.	150
§. I. De Voto Castitatis.	<i>ibid.</i>
§. II. De Horis Canonicis.	170
§. III. De Censuris in genere.	<i>ibid.</i>
§. IV. De Censuris in specie.	177
I. De Excommunicatione.	179
II. De Suspensione.	<i>ibid.</i>
III. De Depositione.	180
IV. De Interdicto.	<i>ibid.</i>
V. De Irregularitate.	<i>ibid.</i>
Sect. II. De Diaconatu.	182
Sect. III. De Presbyteratu.	183
§. I. De Ordine Presbyteratûs.	184
§. II. De Sacrificio Missæ.	185
§. III. De Potestate Sacerdotis.	199
§. IV. De Munere docendi, et prædicandi.	200

FINIS INDICIS.

EPITOME

DOCTRINÆ MORALIS ET CANONICÆ

EX CONSTITUTIONIBUS,

ALISQUE OPERIBUS FELICIS RECORDATIONIS

BENEDICTI XIV. PONT. MAX.

EXCERPTÆ

AB ILLUSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO

JOANNE DOMINICO MANSI,

ARCHIEPISCOPO LUCENSI, CONGREGATIONIS MATRIS DEI,

Ab Auctore pluribus additamentis illustrata et correcta.

TYPOGRAPHUS LECTORI.

PLURIMA sunt ad **Moralem Theologiam**, atque ad **jus Canonicum** pertinentia, quæ **Benedictus XIV**, immortalis memoriæ Pontifex, in operibus suis verè aureis sparsim disseminaverat, quæque **Scientiæ Moralis** studiosos ignorare omnino dedecet. Sed cum non omnes varia illius opera integra vel emere, vel legere possint, opportunè in mentem venit, **P. JOANNI DOMINICO MANSI**, tunc **Congregationis Matris Dei**, deinde **Archiepiscopo Lucensi**, viro doctissimo, et non solum in **Italia**, verum etiam in **toto orbe litterario** eruditissimis libris suis celeberrimo, **Epitomen** quamdam conficere totius **Doctrinæ Moralis et Canonice** ex illius Pontificis operibus exceptæ. Cum igitur nobis exploratum sit, quantum hic eruditissimi viri labor **Theologis** omnibus probatus sit, rem iis pergratam nos facturos esse existimavimus, si illam nunc demum ab eodem clarissimo **Auctore** pluribus in locis emendatam, novisque additamentis illustratam typis nostris excuderemus. Eam igitur excipe, **Lector** benevole, et studium publicæ utilitatis nostrum ne asperneris. Vale

EPITOME

DOCTRINÆ MORALIS ET CANONICÆ

EX OPERIBUS BENEDICTI XIV.

ABBATES.

ABBATES Regulares, nullam animarum Curam gerentes, ad Synodum Diœcesanam accedere nequaquam tenentur, ut ex Decr. S. C. De Syn. Diœc. l. 3. c. 1. n. 8. iterumque l. 12. c. 1. n. 2. (1)

Abbates, Priores, Præpositi, et alio quocumque nomine nuncupati; Cardinales etiam, spirituales jurisdictionem quasi Episcopalem in monasteria seu Ecclesias cum territorio separato habentes, debent jurare in manibus alicujus Episcopi seu Nuncii Apostolici aut Legati, eorum arbitrio eligendi, se visitaturos sacra limina Apostolorum personaliter ac per seipsos, atque Romano Pontifici relationem afferre Ecclesiarum suarum. Ex his verò qui Itali fuerint vel insularum Italiæ, tertio quoque anno; reliqui verò quinto quoque anno à die captæ possessionis. Id verò si ex legitimo impedimento non possint per se, tenentur per nuntios præstare. Ita in Bulla *Quod sancta* n. VII. Bull. t. 1. Si verò antè publicationem hujus Bullæ signatæ ann. 1740, die nono Kal. Decemb. Possessionem pacificam illarum Ecclesiarum jam habuissent, intra annum, si fuerint in Italia et insulis; intra biennium verò si extra, à die latæ Constitutionis tenentur eam relationem mittere; deim singulis trienniis ad limina se conferre. Hæc omnia si prætermiserint, ipso facto ab ingressu Ecclesiæ interdictum et ab administratione tam spiritualium quàm temporalium suspensionem incurrunt, tum etiam perceptione fructuum privantur: qui fructus cedant Episcopo viciniore in sacros usus ejus arbitrio erogandi. *ibid.* n. 9.

ACTUS FIDEI.

Actus fidei non debet comprehendere tantum in genere quidquid fides dictat, sed debent etiam credi explicitè ea Mystèria, quæ scire debent. *Inst. Eccl.* 72.

ADVOCATUS.

Rescripta, et Brevia pro exercendo Advocati munere Mona-

(1) *NOTA.* In citando hoc Opere De Synodo Diœcesana secuti sumus Editionem Mechliniensem anni 1823 omnino congruentem editioni quæ Lovanii typis academicis prodit.

chis, etiam Canonicis Regularibus, nunquam conceduntur, quod conforme est Canonis, *Ex parte tua*, de postulando. De Syn. Diœc. l. 13. c. 10. n. 12.

Sæcularibus verò Clericis, etiam Beneficiatis, tum et sacris Ordinibus initiatis conceditur, ut Advocaturam exercent in Tribunalibus ecclesiasticis, in laicalibus, et coram Iudice sæculari, cum agitur causa propria ipsorum, vel Ecclesiæ suæ, vel miserabilium personarum. Quanquam in Brevibus liberè conceditur Sacerdoti sæculari pauperi, ut liberè causas civiles et criminales agat, dummodo in criminalibus tantummodo reis patrocinetur; quin et tandiu munus illud exercere ei permittitur, donec certos ecclesiasticos redditus ad congruam sustentationem sufficientes, vel Beneficium residentiale obtineat. De Synod. Diœces. l. 13. c. 10. n. 12.

ALIENATIO.

Alienationes rerum immobilium, et mobilium pretiosarum, vetitæ sunt quoque Regularibus, etiam speciali commemoratione dignis, ex Decr. Urb. VIII sub die 7 Sept. 1624. Hæc tamen intelligenda sunt de bonis Ecclesiæ incorporatis. Quæ verò non sunt incorporata et debent alienari, ut sunt res relictæ PP. Reformatis S. Francisci, non possunt eorum Syndici procedere ad earum venditionem, nisi præfixo edicto, ut magis offerenti vendantur. Ita ex Decr. Sacr. Congr. Conc. Inst. Eccles. 69. n. 8.

Alienationes etiam rerum inferioris valoris, quæ comprehenduntur in cap. Terrulas, debent etiam à Regularibus fieri de licentia Episcopi. Inst. Eccl. 69. n. 9.

Alienantes, et recipientes bona alienata contra Extrav. Ambitiosè, incurrunt excommunicationem Pontifici reservatam. ibid. n. 10. Regulares verò ultra hanc incurrunt ipso facto pœnam privationis Officiorum, ex Decreto Urbani VIII, ibid.

Quanquam ex Can. Bona 12. Quæst. 2. jus sit Episcopo molienti novum Monasterium in sua Ecclesia, donandi illi quinquagesimam partem reddituum Ecclesiæ suæ; cum tamen Episcopi in sua consecratione jurent se non alienaturos possessiones ad mensam suam pertinentes; hinc optimè intulit S. C. interdictam esse Episcopo hanc, et aliam quamcumque alienationem. De Synod. Diœces. l. 12. num. 13.

ALTARE.

Sacerdotibus Latini ritûs in Russia Polonica degentibus, tam præsentibus, quam futuris conceditur, ut deficientibus tabulis lapideis consecratis, Missam celebrent super Antimensis Ruthenorum unitorum. Ritu tamen Latino Sacrum agere illis injunctum est. Sunt antimensia lintei quidam Episcopali benedictione consecrati, in quorum angulis Sanctorum Reliquiæ reconditæ sunt, Constit. Imposito nobis. Bull. Tom. III. Constit. XLIII.

ALTARE PRIVILEGIATUM.

In Brevibus pro altari privilegiato solet definiri numerus Missarum, quotidie in Ecclesia celebrandarum : si fortè accidat, ut aliquibus diebus numerus iste Missarum desit, dummodo sæpius in hebdomada tot Missæ celebrentur, quot privilegium illud exigit, id non sufficere, declaravit S. C. die 11 Sept. 1694. Decretumque illud approbavit Innoc. XII, ex quo resultat necessarium esse singulis diebus numerum Missarum definitam. Instit. Eccles. 56. n. 16.

Indulgentiæ altaris cum definito numero Missarum, si fortè contingat tempore Adventûs et Quadragesimæ, ut in Ecclesiis Regularium impleri non possit numerus, remanent suspensæ. Reliquis anni diebus, si fortè id rarò contingat, non remanent suspensæ, sicut nec remanent, si ob infirmitatem Sacerdotum tam Sæcularium, quàm Regularium rarò tamen id contingat. Ita sacrosancta Congregatio die 30 Julii 1706. Ibid. n. 17.

APPELLATIO.

Appellationes omnes, et Inhibitiones, per quas retardetur executio, aut impediatur processus ad ulteriora in iis, quorum executio à Tridentino, vel Constitutionibus Apostolicis commissa est locorum Ordinariis, addita clausula, *appellatione vel inhibitione quacumque postposita*, ne à Tribunalibus recipiantur, statuit Pontifex in Bulla *Ad militantis*, Bull. tom. 1. n. 48. Quæ appellationes, inhibitionesque si concedantur, præterquam quòd hoc ejus statutum violetur, nullæ sint. Ibid. n. 38.

Excipiuntur tamen casus, qui fortè occurrerint, singulares ab hac regula eximendi; tunc verò ne dentur Monitoria Citationesque vetat, nisi priùs in supplici libello ad hoc porrigendo facti circumstantia peculiaris clarè exponatur cum aliquo documento semiplenè saltem eandem circumstantiam verificante. Ibid. n. 39.

ASPERSORIUM.

Episcopo ingredienti aliquam Ecclesiam Collegiatam porrigi debet aspersionum non ab Archidiacono, seu aliis de Capitulo, sed à digniori illius Ecclesiæ. Si verò cum suo Capitulo Cathedralis capitulariter cum indumentis canonicalibus ad aliquam Ecclesiam suæ Diocesis procedat, porrigi illi debet à digniori de Capitulo Cathedralis. Instit. Eccles. 105. n. 128. ex Decr. Sacræ Congr. Rit

BAPTISMUS.

Natis infantibus Baptismus conferri quamprimum debet, peccantque graviter qui diu illum differunt: tempus autem indefinitum est, latoque edicto mandatum fuit Romæ anno 1723, ut intra triduum infans lavetur. Inst. Eccles. 98. n. 3.

Non licet absque necessitate Baptismum conferre in privatis domibus. *Instit. Eccles.* 98. n. 9.

Nihil officit validitati Baptismi error privatus baptizantis, dummodo in materia et forma nihil innovetur. *De Synod. Diœc.* l. 7. c. 6. n. 9.

Infans, cujus corpusculum nondum è matris utero prodivit, sed materno utero jam reserato mox proditurus est, et moriturus timetur, debet inducta aqua instrumento aliquo baptizari; sed sub conditione baptizandus est. *de Synod. Diœc.* l. 7. c. 5. n. 6.

Si verò infans aliqua sui corporis parte, non verò capite proderit, baptizandus est sub conditione in ea parte, quæcumque illa fuerit, quemadmodum *Rituale Romanum* præscribit; (quidquid in contrarium Theologorum plures sentiant, quando pars illa est ex principalioribus, ut pectus, scapulae, brachia, etc.) iterumque sub conditione in capite baptizandus est, si totus exierit. Si verò caput unicè detectum fuerit, baptismate absolute tingendum est. *Ibid.* n. 7.

Baptismus cum conditione adjecta non confertur absque lethali culpæ crimine, nisi prudens dubitandi ratio suppetat, an antea validus Baptismus collatus sit. *Ib.* c. 6. n. 3.

Si de administrato Baptismate unus tantummodo testis affirmet, ut obstetrix, cum illa tunc testificetur de facto proprio, ex hoc tantummodo non est hoc Sacramentum reiterandum; si quidem illa interrogata, materiam et formam hujus Sacramenti probe se scire demonstrat. Idemque præstandum est in locis, ubi obstetrices antequam ad munus istud admittantur, de ratione administrandi ritè Baptismum edoceri solent. *Ibid.* n. 4.

Testis unicus, etiamsi mulier sit, sufficit ad probandum Baptismum. *Can. Parvulos, et Can. Cùm itaque de Consecr. Dist.* 4. *Inst. Eccles.* 98. n. 13.

At si testimonium sit ab homine incerto, in re adeo gravi ignoto testimonio deferre non possumus: quare tunc rebaptizandus est infans sub conditione, etiamsi schedulam de suscepto Baptismate è colle suspensam ferat, uti pro expositis in *Hospitali de S. Spiritu in Saxia de Urbe*, respondit *Sacr. Congr. Conc.* die 15 Jan. 1724. *De Synod. Diœces.* lib. 7. c. 6. num. 5.

Si verò agatur de baptizatis ab Hæreticis, qui ad fidem Romanam venire petunt, tunc oportet investigare, numquid in secta illa Hæreticorum innovatum sit aliquid circa Materiam et Formam Baptismi. Quòd si ex ista investigatione nihil certi resultat, tunc ac in dubio Baptismate agendum est. Hoc dubium rationale censendum est in Baptismate hæreticorum Hollandiæ, apud quos mos invaluerat, ut alter aquam funderet, alter formam pronuntiaret. Quare et nunc pariter, ut in re dubia cum illis agendum est, uti et cum Hæreticis Angliæ, quemadmodum ex *Sylvio* aliisque statuitur. *Ib.* n. 8.

Irregularitas ex iteratione Baptismi contrahitur etiam si Baptismus absque prudenti dubio sub conditione innovetur, ut ex *Catechismo Romano* multò probabiliùs deducitur. *Instit. Eccles.*

84. n. 18. Hanc verò pœnam etiam baptizantem afficere, non baptizatum tantummodo, ferme inter omnes convenit. Sicut et ea affecti non tantum ad altiores Ordines ascendere vetantur, sed et ab exercitio jam susceptorum Ordinum absterrentur; quæ tanquam magis cohærens auctoritati Catechismi Romani opinio præfertur alteri neganti. Ibid. n. 18.

Admittendum esse ad Baptismum infantulum Hebræum, postulante avia paterna Christiana, licet reclamet mater Hebræa defuncto marito, et tutores testamentarii, censet Pontifex in Epistola ad R. P. Hieronymum Guglielmi Congregationis S. Officii Assessorem, ex eò quòd avia comprehendere possit sub appellatione parentum, et favore Religionis facile prævaleat matri, et cæteris tutoribus testamentariis: sicut mater Christiana postulans Baptismum pro filio prævalet patri infideli reclamanti: et si quid dubii superesse possit, in dubio favendum est Religioni. Hanc Epistolam habes in Bullario Benedicti XIV. Tom. III. n. 54.

Baptizari infideles invititis parentibus vel tutoribus licite non possunt, nisi infantes fuerint in mortis extremo, vel expositi tanquam à parentibus derelicti. Si verò expositum quis baptizandum assumpserit, potest illi lavacrum salutare impertiri, etiam Synagoga, vel parentibus reclamantibus. Si verò pater infidelis offerat infantem suum, dein facti sui pœniteat, et nolit baptizari, tunc puer ante usum rationis est baptizandus; qui verò sui compotes sunt, in domo catechumenorum explorandi sunt, si velint.

Tandem si qui pueri baptizati sunt etiam parentibus invititis, tunc ille qui baptizavit, peccavit graviter, sed baptizatus restitui parentibus non debet; at penes Christianos educari. Porro in eo casu Baptismus vel unico teste idoneo probatur, etiamsi fœmina sit, vel etiamsi sit ille, qui Baptismum contulit, in quo casu puer nec sub conditione rebaptizandus est.

Hæc de pueris ante usum rationis; qui verò rationis capaces sunt, uti sunt communiter post septimum ætatis annum, si sese sponte obtulerint Baptismo, possunt baptizari; quod verum est, etiamsi non certò constet, sed dubitetur de capacitate rationis post septennium. Si verò hoc dubium præcedat septennium, tunc debet puer retineri apud Christianos, suspenso interim Baptismo, quoadusque certus usus rationis superveniat.

Si adulti illi careant intentione recipiendi Baptismi, adeo ut illam nec ipso actu, nec antea habuerint, tunc Baptismus est invalidus. Validus autem est, si antea fuerit habita, et nunquam interim retractata. Quòd si neutra fuerit voluntas in suscipiente, tunc in eam sententiam inclinandum est, quæ invalidè Baptizatum pronunciat.

Si post Baptismum affirmet neophytus, se caruisse intentione sufficienti, nec afferat dicti sui idoneas probationes, retinendus est, et denuo tingendus sub conditione. Vicissim si illas afferat, negetque iterum baptizari se velle, remittendus est. Hæc omnia

latè disputat Pontifex in Epistola ad vices gerentem *Postremo Mense*. Bull. tom. 2. n. 28.

Si mulier gravida decedat, potest Episcopus injungere, ut per sectionem cæsaream extrahatur ex utero infans, qui fortè vivus reputatur, ad hoc, ut sacrum Baptisma conferatur. Non enim id est impossibile, ut extrahatur vivus. De Syn. Diœces. lib. 11. cap. 7. n. 13.

Baptismum ministrare tempore pestis eo morbo obstrictis per se non tenetur Episcopus, cum ille sit tanquam causa universalis, quæ non per se, sed per particulares, id est per Parochos operatur: si tamen alius adsit qui præstare id possit. De Syn. Diœces. lib. 13. cap. 19. n. 6.

In baptismo conferendo possunt Presbyteri Græci loco Latinæ formæ adhibere eam quam habent in suo Euchologio: *Baptizatur servus Dei N. in nomine, etc.* sicut et adhibere trinam aquæ immersionem seu aspersionem cum omnibus unctionibus erga baptizatum, ubi tamen non est contraria consuetudo. Presbyteri tamen Græcorum vetantur consignare chrismate in fronte suo baptizatos. Licet vicissim uti in Baptismo aqua calida, sicut et licet Parochis Græcis suos subditos baptizare aqua per ipsos Græco more benedicta. Vetantur insuper, ne baptizatis pueris communionem sub utraque specie vel sub una administrent, sicut, neque eisdem pueris conferant in Missa Eucharistiam.

Filiis Patris Latini et matris Græcæ Latino ritu Baptisma conferatur. Si verò pater sit Græcus et mater Latina, liberum erit patri ritum eligere.

Baptizati ritu Græco subsunt jurisdictioni Parochi Græcorum, nec possunt Latini absque dispensatione Sedis Apostolicæ transire ad ritum Græcum. Vicissim Græcus ex concessione Episcopi Latini potest ad Latinum transire. Qui verò Clerici sunt in quocumque Ordine etiam minori constituti, à ritu Græco ad Latinum sine licentia transire nequeunt.

Fas est Græcis Sacerdotibus peracta jam consecratione, et ante communionem suam aquam calidam in sacrum calicem infundere.

Non licet Græcis Sacerdotibus asservare Sacramentum Eucharistiæ toto anno.

Non licet Græcis in Italia et insulis degentibus Eucharistiæ particulam suspensam ad collum, seu in privatis domibus retinere.

Quæ servanda sint à Græcis in Sacramentis conficiendis et recipiendis diligenter prosequitur Benedictus XIV in eadem Bulla *Etsi Pastoralis*, Bullar. Tom. I. Num. 57, ex quibus nonnulla hæc etiam à nobis excerpta sunt et sparsim in suos titulos distributa.

In Bulla *Quam Provinciale*, Bullar. T. IV. num. XXXVII. mandat Pontifex, ut servetur Canon Concilii III. Provincialis Albanensis, quo sancitur, ne Christi fidelibus sub Mahumetica

ditione degentibus imponantur baptizandis nomina Turcica seu Mahumetana, neve eadem nomina etiam extra Baptismum sibi imponant, quacumque tandem ratione id agant.

BARBITONSORES.

In Diocesi, ubi adest consuetudo exercendi artem barbiton-
soriam etiam die festo, permitti potest, sed tantummodo definitis
diebus, non verò omnibus. Instit. Eccles. 43. per totum. Opus
est tamen servile, nec nisi ex consuetudine tolerandum. ib. n. 2.

BENEDICTIO.

Benedictio sacrarum vestium utram ab Episcopo simplici sacer-
doti committi possit, quæstio est anceps inter Scriptores. Insignes
tamen Episcopi facultatem hanc plerumque à Congregatione
petunt. Inst. Eccl. 21. n. 9 et 10.

Utram benedicendum sit Cingulum, Pluviale et sacra Pyxis,
quæstio est inter Doctores. Probabilior tamen censetur opinio,
quæ benedictionem exigit, cum pro Pyxide sit peculiaris bene-
dictio in Rituali. Ibid. n. 12.

Si ex veteri sacro vestimento novum aliud diversæ formæ
conficiatur, ut si ex stola manipulus, etc. benedictio iteranda est.
Ibid.

Episcopi titulares jus nullum habent consecrandi sacro Chris-
mate vasa sacra, quia cum in his adhibendus sit usus Pontifica-
tium, non datur illis hinc uti in aliena Diocesi. Ibid. n. 15.

Abbatibus Regulares benedicere posse campanas, et calices pro
usu alienarum Ecclesiarum (possunt enim pro suis) negavit
Alex. VII in suo Decreto diei 27 Sept. 1659. Consulta S. Con-
gregatione, num potuerint indumenta sacra benedicere pro alienis
Ecclesiis, ex eò quòd obtinuerint Indultum Apostolicum? res-
ponsum fuit, exhiberi debere illud indultum authenticum ex
Archivio Apostolico desumptum, ac interim abstineri. Ibid.
n. 19.

Benedictiones et unctiones campanarum cum Capitularibus
Caroli Magni indicentur, antiquissimæ sunt. Inst. Eccl. 47. n. 30.
cisque nomen alicujus Sancti imponi consuevisse ex Alcuino dis-
cimus. Inst. Eccl. 47. n. 32.

Benedictiones campanarum ad nimbos depellendos approban-
tur, neque id tribui posse impressioni aeris à Campana impulsæ
asseritur. Ibid. §. 37.

Solus Episcopus jus habet campanas benedicendi, cum sacra
unctio adhibenda sit, nec potest facultatem alteri subdelegare.
Ibid. n. 38.

Ex præcepto Pontificalis Romani campanæ Ecclesiarum bene-
dici debent. Ibid.

Potest Episcopus suspendere sonum campanarum, quæ ab
Episcopo benedictæ non fuerint, ut ex Decretis Sacræ Congrega-
tionis. Ibid.

Benedictionum equorum, et aliorum animalium die festa S. Antonii Abbatis formula habetur. Inst. Eccl. 47. n. 12.

Benedictiones in vermes, et insecta habentur. Ib. n. 20.

Benedictiones, cum Reliquiis, non esse improbandas, quidquid dicant nonnulli, ex praxi etiam Romæ recepta probatur. Ibid. n. 26.

In Benedictione Pontificia super populum, quæ quibusdam Regularibus aliquoties in anno ex privilegio datur, unicum tantum Crucis signum formandum est more sacerdotali, non tria more Episcopali. Encycl. *Exemplis*, Bullar. t. 2. n. 48.

Facultatem benedicendi morituros cum plenaria Indulgentia, quam Antistites Ecclesiarum cum Epistolis in forma brevis ad triennium obtinuerunt, ad totum illud tempus, quo in ea Diœcesi perseverabunt, prorogat Benedictus XIV in Encycl. ad omnes Antistites PIA MATER etc. Bullar. Tom. II. n. 34. ac imposterum ita esse expediendas facultates illas denunciât, easque pariter communes esse vult Prælati inferioribus territorium separatum habentibus cum qualitate *nullius*, et activa in populum et Clerum Jurisdictione. His omnibus dat facultatem subdelegandi, ut ipsis quomodocumque impeditis, etiam diurno tempore possint hanc benedictionem per delegatos elargiri. Hanc delegationem fieri maximè vult per Diœcesim, ut omnibus præsto esse possint, quæ delegatio morte delegantis non expiret, sed perseveret usque ad superventum novi Præsulis, cujus in arbitrio est eos confirmare, vel remove. Quare novus quidem Præsul poscere debet à Pontifice eandem facultatem, non verò delegati illi, quia perseverat in illis prioris Episcopi delegatio; ita Pontifex. Ib.

Si tamen Præsul ex una Ecclesia transferatur in aliam, nova indiget facultate, quia prior illi data fuit præcedentis Diœcesis intuitu.

Ritus hujus benedictionis impertiendæ habetur descriptus in eadem Encyclica.

Tres Benedictiones impertiunt Abbates Regulares ex decretis Alexandri VII in Missis, Vesperis, et Matutinis solemnibus. In Missis privatis nihil supra reliquos Sacerdotes illis concessum est. Ex iisdem Decretis. Inst. Eccles. 34. n. 19.

BENEFICIUM.

Beneficium si quis fundaverit de suis bonis cum pacto, ut ipse tanquam beneficiatus illis fruatur, tum post obitum suum jus patronatûs transeat ad hæredes, quanquam simoniacum id audiât apud multos; attamen ab ea labe immune censi potest; neque enim satis esse discriminis apparet inter eum qui fundat beneficium cum pacto, ut conferatur filio suo, etc. et illum qui vult sibi conferri; utrinque enim pactum adest, ita ex Pitonio. Instit. Eccles. 95. num. 7.

Si quis verò offerat bona in augmentum Beneficii jam erecti, nec tamen Patronatûs jus acquirat, tunc pacisci non potest, ut

sibi Beneficium illud conferatur ut ex Cap. *Tua nos*, de Simonia, *ibid.* n. 12.

Patronus non potest se præsentare ad Beneficium, ut ex Cap. *Per vestras*, de jure Patronatûs, sed potest rogare Episcopum, ut si inveniatur dignus, sibi illud conferat; sive debet jus Patronatûs suum alteri donare donatione sincera, ex qua jus perpetuò expolietur jure Patroni, quando donationem approbaverit Episcopus, vel saltem Episcopus conferat eidem absque prævia præsentatione Beneficium, et Beneficiatus illud acceptet, tum post collationem ipse præstet consensum suum. *Instit. Eccl.* 95. n. 5.

Beneficia resignantes sub pensione, si clam pactum inveniendi cum resignatorio de cedenda illi pensione, seu commodo exigendi fructus ejusdem pensionis, soluta anticipata pecunia, pactum istud irritum et inane declaratur. Item resignarii et resignantes decidunt ab omni jure Beneficii ipso facto absque ulla Judicis declaratione, et pecunia soluta restitui debet sub peccato gravi, quæ ab Ordinario applicanda est locis piis. Eisdem pœnis subjacent hæc eadem pacta inita intra sex menses à die receptæ per resignatorium Beneficii possessionis. *Bull. in sublimi*, Bullar. Tom. I. Num. XXX.

In Bull. *Ecclesiastica ministeria*, Bullar. Tom. II. n. X. mandat Pontifex in resignationibus beneficiorum, ut resignatis in manu Pontificis beneficiis, et ab illo admissis, atque vicissim admissis super eo provisionibus, dispositionibus, etc. litteræ gratiæ signatæ intra sex menses ita perficiantur, ut intra eosdem menses à novo proviso possessio beneficii capiatur, si verò beneficia illa sunt ultra montes, prorogat terminum istum usque ad novem menses à data concessionis gratia numerandos. Ubi verò justis de causis prorogatio aliqua postulatur, permittit, ut docto prius officii Subdatario de Apostolicis litteris expeditis, fiat prorogatio prima et secunda vice, ulteriores omnes tollit. Et si legitimum impedimentum perseverare concludentes apud Datarium probatum sit, facultas sit Datario tot ulteriores prorogationes concedendi ad exequendum litteras Apostolicas, quot necessariæ sunt ad impedimenti remotionem. Sublato verò sic impedimento, si nihilominus perseveretur in differenda executione litterarum, Apostolica tunc gratia nulla et irrita censetur.

Si beneficium obtinens Religionem ingrediatur, beneficium tamen non vacat nisi per professionem, tempore verò illo intermedio inter ingressum et professionem quoad beneficia curata debet Episcopus idipsum agere quod præstaret, cum parochus impedimento aliquo detineretur. Quoad beneficia verò choralia relictis tyroni religioso ipsius beneficii fructibus, de distributionibus ita statuet, ut jura præscribunt. Si fortè beneficiatus religionem ingressurus beneficium suum dimitteret, quæ renunciatio admitti ab Episcopo posset ex constit. 58. S. Pii V, sive eam renunciationem faceret ad tramites capitis XVI, Sess. 25 Concil. Trid. de Regul., nihilominus in suspenso remanere debent ea beneficia, nec posset illa alteri conferre Episcopus, nisi post factam à renun-

ciante solemnem professionem. Ita in litteris ad Card. Quirinum *Ex quo dilectus*. Bullar. Tom. II. n. XXV.

Vetitum est etiam Beneficiariis, sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, et nullitatis actûs, vendere ac distrahere redditus suorum Beneficiorum ad vitam, vel in longum tempus, recepta ab emptore per unam vel per plures solutiones pecuniarum quantitate, quam ipsi Beneficiati per spatium ejusdem temporis, vel totius vitæ probabiliter consequi potuissent. Bulla *Universalis Ecclesiæ*. Bullar. Tom. I. n. 29.

Titulos Beneficiorum cum occulta inhabilitate, vel aliò occulto vitio, vel etiam in Concursu malè obtentorum convalidare fas est majori Pœnitentiario. Bulla *Pastor bonus*. Bullar. Tom. I. num. 95. §. 20; sed in convalidatione titulorum, et condonatione fructuum abstinendum est illi cum Episcopis, qui de Ecclesiis Cathedralibus provisi, munus consecrationis intra præfinitum tempus non susceperint. *ib.* §. 21.

Neque etiam condonet fructus Beneficialium, et Episcopalium Ecclesiarum quovis modo malè perceptos in casibus non occultis. In occultis verò cum Italis, Hispanis, Lusitanis et insulis adjacentibus compositionem facere potest; cum aliis reliquis non potest. Hæc tamen omnia debent esse sine præjudicio illorum, quibus distributiones accrescere debent. *ib.* §. 24.

Si quis jam obtineat beneficium, et injustè vexetur ab alio, potest pecunia injustam vexationem redimere, ut ex canonistis omnibus firmatur. Inst. Eccl. q3. n. 4.

Si verò quis habeat jus ad Beneficium, et ab alio illi lis moveatur, non potest dare litiganti pecuniam, ut acquiescat, neque etiam titulo solvendi expensas in lite hucusque factas, nam tunc pararet sibi viam ad Beneficium per pecuniam. *ib.* n. 7.

Beneficium obtinenti jure certo et manifesto, ut nullus sit quæstioni locus, permittitur redimere injustam vexationem, ut ex cap. *Dilectus* 27. de Simonia; idque fieri potest nulla interposita Episcopi auctoritate; fas est tamen Episcopo præcipere in Synodo ne id fiat absque suo assensu ob periculum simoniæ. De Synodo Diocæsana, l. 12. c. 6. num. 9.

Si Patronorum Beneficii scissa suffragia fuerint in partes, ille est præficiendus, qui à pluribus eligitur, uti definitum est in Cap. *Quoniam*, de jure Patronatûs. Si tamen ille, quem præsentat pars major, non reperiatur idoneus, poterit alter præsentari à paucioribus, ut ex Lambertino traditur De Syn. Dioc. l. 12. c. 7. n. 6. Valere tamen judicata est constitutio Synodalis Episcopi Pampilonensis, quæ vetuit admitti præsentatum à minori parte, ob rationes in Tractatu de Synodo Diocæsana ponderatas, l. 12. cap. 7. num. 6.

Beneficium simplex si quis obtineat, nec sufficiat ad honestam suam sustentationem, potest ab Episcopo habilitari ad suscipiendum aliud. Si verò nec istud secundum sufficiat, ut tertium obtineat, debet à Sede Apostolica dispensationem obtinere, sive hoc tertium sit liberæ collationis, sive de jure Patronatûs etiam

licii; nam Conc. Trid. permisit, ut habens *beneficium insufficientis* possit unum aliud simplex obtinere, et nihil dicit de tertio. Atque ita in praxi tenere Sac. Congregationem constat. Instit. Eccles. 91. n. 7.

Hæc tamen non valent in Capellaniis de jure Patronatus laicorum, neque in Legatis piis, ut ex alio Decreto Sacræ Congregationis. *ibid.* n. 8.

Ex alio Decreto Sacræ Congregationis, de quo *ibidem*, eruitur, non esse inquietandos illos, qui bona fide tria, vel quatuor beneficia insufficientia ex Episcopi auctoritate obtinuissent. *ibid.*

Cùm beneficium resignatum fuerit in manus Episcopi, vel Collatoris, non possunt isti providere de eisdem beneficiis consanguineis, affinibus, vel familiaribus suis, ut ex Bulla 68 S. Pii V. *ibid.* n. 9.

Quin neque affines, consanguinei, et familiares resignantis admitti debent, etiam cùm beneficium conferendum est in concursu; primò quia Bulla S. Pii, quæ legit *admittentium consanguineis*, mendosè excusa est, cùm legendum fuerit *dimittentium consanguineis*, ut monet Fagn. in cap. Non sine. *De Arbitris*. Secundò, quia Sac. Congreg. disposuit, ut in eo casu neque familiares Episcopi, neque consanguinei resignantis admitterentur. *Ibid.* num. 11. De Synod. Diœc. l. 13. cap. 24. n. 2.

Bene tamen omnes isti admitti ad beneficium possunt, quando illud cecidit in manus Episcopi per obitum prioris beneficiati; neque enim tantum mali timeri potest, cùm beneficium conferendum est ex obitu beneficiati, quantum subesse potest, cùm dandum est ex resignatione prioris beneficiati. Ita de Synod. Diœc. *ibid.* n. 6. ex Decr. S. Congr.

Consuetudines Ecclesiarum reservandi hæredibus beneficiati jam defuncti fructus primi anni obtenti beneficii valeat; nihil enim derogat juri illius, qui in beneficium recens invecus est, cùm et ipse post mortem jure isto potiat. Quare in favorem hujus consuetudinis sæpius à Sacra Congregatione decisum est. De Syn. Diœces. lib. 12. c. 7. n. 3.

Beneficiorum Parochialium et Vicariarum tam sæcularium quam regularium capaces esse Canonicos regulares Præmonstratenses, etiam non intercedente Apostolica dispensatione, definit Pontifex in Bulla *Oneroso*, etc. Bull. Tom. III. n. XXXIII.

De filiis illegitimis Clericorum circa beneficia parentum in eadem Ecclesia, qui possint, et non possint, etc. Vide Irregularitas.

Filius legitimus consequi prohibetur beneficium à patre præhabitu, esset enim species hæreditariæ successionis. Nihil tamen vetat quominus pater possit obtinere beneficium à filio præhabitu. Quod verum est etiam de patre respectu beneficii à filio illegitimo obtenti, ut ex responsione Sac. Congr. De Synodo Diœcesana, lib. 13. cap. 24. n. 15.

Illegitimi autem filii quoad hoc illi etiam censentur, qui postmodum legitimated sunt, non verò illi, qui post subsequens Ma-

trimonium legitimitati habentur, ut partim ex Decretis Sacræ Congregationis, partim ex Fagnano. *ib.* n. 16.

Num verò filio obtinere beneficium fas sit, quod pater quidem habuit, sed ab eo transivit in tertium, et ab isto in eundem filium? respondetur, filio legitimo id quidem non prohiberi, ex Cap. *Ad extirpandas* de fil. Presb.; illegitimis verò non licet, ut ex Bulla Clementis VII, et responsis S. Congr. *ibid.* n. 18.

Nepos verò legitimus ex patre illegitimo natus obtineri avi beneficium non vetatur, ipso licet avo vivente, ut ex responsis S. Congregationis, et Rotali decisione. *ib.* n. 19.

Si patronus beneficii rectorem interficiat, ipse, et omnes ad patronatum jus habentes, illud amittunt, ex Cap. *In quibusdam*, de pœnis. *ibid.* n. 21.

Beneficii permutatio, quæ fit coram Ordinariis, interdum potest esse prohibita Constitutione S. Pii V, incipiente *Officium*, in qua admittuntur quidem permutationes istæ, sed quæ sint canonicis sanctionibus consonæ; ex quo fit, ut cum vetitæ sint provisiones beneficii resignati factæ in favorem affinium, et familiarium Episcopi, sicut etiam resignantis, ita etiam censeantur vetitæ permutationes beneficiorum, cum aliquis permutet beneficium suum pingue, et sit jam effœtæ ætatis cum altero, quod est tenue, et obtinetur sive à suis, sive ab Episcopi consanguineis; vix enim credi potest ab ista permutatione fraudem abesse, adeoque non est juxta canonicas sanctiones. De Syn. Diœc. l. 13. c. 24. n. 10.

Beneficia obtinentes à S. R. E. Cardinalibus ordinariis collaboribus in mensibus S. Sedi reservatis valorem 24 Ducatorum Cameræ excedentia tenentur intra præfixum in Reg. Cancellariæ tempus novam eorundem provisionem à Sede Apostol. obtinere, ordinariis taxis solutis, non obstante in contrarium quocumque exemptionis privilegio. Motus prop. Benedicti XIV, Bullar. Tom. 1. n. 12.

BULLA CRUCIATÆ.

Facultas concessa in Bulla *Cruciata* de absolutione à censuris obtinenda, valet tantummodo pro foro interno, ut ex Constitutione Urbani VIII eruitur; quare Constitutiones Hispanicæ aliter statuentes rejiciendæ sunt. De Syn. Diœc. lib. 12. c. 1. n. 7.

CADAVER.

In sectione cadaverum anatomiz addiscendæ causa, si quis adhibeat cadavera non condemnatorum, nulla obtenta ab Episcopo facultate, peccat quidem graviter, sed non incurrit excommunicationem Bonif. VIII, de qua in cap. I. *de sepulchris*, cum illa feratur tantum in eos, qui exhumantes cadavera, ea lacerant, et aliò sepelienda transferunt. Ita ex sensu DD. Instit. Eccles. 74. num. 10.

Si instituta Processione, et præcedente Cruce, associendum sit cadaver ad sepulturam, et transitus fiat per agrum, vel possessionem privatam, non ideo via illa publica efficitur; leges enim civiles, ex quibus id posset convinci, nihil aliud volunt, nisi quòd monumentum positum in loco privato efficiat locum illum sacrum; quin et leges illæ à jure Canonico abolitæ sunt, ut ex DD. demonstratur. Inst. Eccles. 89. n. 9.

Si cadaver tumulandum sit in Ecclesia Regularium, non potest Parochus exigere, ut apportetur prius ad parochialem, et ibi exponatur, dein in sepulturam in Ecclesia Regularium inferatur, ut ex Lucana funerum censuit Sac. Congr. Concilii. Inst. Eccles. 105. n. 25.

Ex Decretis Sac. Congreg. Concilii firmatum est non esse levandum cadaver è domo absque præsentia, ac facultate Parochi loci, ubi domus sita est. *ibid.*

Cum distinguitur Ecclesia tumulans à Parochiali, processio funebris debet incidere sub cruce Ecclesiæ tumulantis, nec potest præcisa consuetudine Parochus propriam crucem levare, nisi in casu, quo interveniat Capitulum Cathedralis, tunc Cathedralis crux sola præcedit. Ita ex Decretis. Sac. Congregationis. *ibid.* n. 26.

Societates funus comitantes si procedant cum sacco tenent locum ante feretrum, et ante Clerum tam Sæcularem, quàm Regularem; si sine sacco, eant post feretrum, uti ex statutis Cleri Romani. *ibid.* n. 30. 31.

Laici Regulares non debent comparere cum Capellanis conductis in processione funebri, ut multis firmatur. *ibid.* n. 32. At si invitatus sit conventus Regularis, qui certè constat ex laicis, conversis et Sacerdotibus, excludendi non sunt. *ibid.*

Regulares cogi non possunt ut associant pompam funebrem cum cadaver in eoràm Ecclesia sepeliendum est, sed possunt ad januas Ecclesiæ suæ expectare. Ita ex Decis. Sacræ Congreg. *ibid.* n. 38.

Si quis habitator Urbis decedat ruri non electa sepultura, cadaver ejus sepulturæ mandandum est non in Ecclesia rurali. sed in sua Parœcia, vel in Ecclesia, ubi sita est sepultura majorum ipsius, ut decisum cap. Is qui, de Sepulturis in 6, dummodo id possit fieri sine gravi incommodo. Grave autem incommodum declarat Pontifex intercedere, si obitus accidat in loco ultra tria milliaria distante à Parœcia. Id verò ex paritate rationis statuendum est de illo, qui ruri habitans in civitate decedat. *ibid.*

Cum rure transferendum est cadaver in civitatem, deferendum est in catalecto præcedente cruce à Clero delata, et associantibus geminis Sacerdotibus, altero Ecclesiæ tumulantis, altero se tenente ex parte Parochi illius loci, ubi mors accidit. *ibid.* n. 46.

In extractione, vel intratione cadaveris in portas urbis, gabella minimè solvenda est, ut ex DD. *ib.* num. 46.

Pro transitu processionis funebris ex una Parœcia in aliam,

trimonium legitimitati habentur, ut partim ex Decretis Sacre Congregationis, partim ex Fagnano. *ib.* n. 16.

Num verò filio obtinere beneficium fas sit, quod pater quidem habuit, sed ab eo transivit in tertium, et ab isto in eundem filium? respondetur, filio legitimo id quidem non prohiberi, ex Cap. *Ad extirpandas* de fil. Presb.; illegitimis verò non licet, ut ex Bulla Clementis VII, et responsis S. Congr. *ibid.* n. 18.

Nepos verò legitimus ex patre illegitimo natus obtineri avi beneficium non vetatur, ipso licet avo vivente, ut ex responsis S. Congregationis, et Rotali decisione. *ib.* n. 19.

Si patronus beneficii rectorem interficiat, ipse, et omnes ad patronatum jus habentes, illud amittunt, ex Cap. *In quibusdam*, de pœnis. *ibid.* n. 21.

Beneficii permutatio, quæ fit coram Ordinariis, interdum potest esse prohibita Constitutione S. Pii V, incipiente *Officium*, in qua admittuntur quidem permutationes istæ, sed quæ sint canonicis sanctionibus consonæ; ex quo fit, ut cum vetitæ sint provisiones beneficii resignati factæ in favorem affinium, et familiarium Episcopi, sicut etiam resignantis, ita etiam censeantur vetitæ permutationes beneficiorum, cum aliquis permutet beneficium suum pingue, et sit jam effœtæ ætatis cum altero, quod est tenue, et obtinetur sive à suis, sive ab Episcopi consanguineis; vix enim credi potest ab ista permutatione fraudem abesse, adeoque non est juxta canonicas sanctiones. De Syn. Diœc. l. 13. c. 24. n. 10.

Beneficia obtinentes à S. R. E. Cardinalibus ordinariis collatoribus in mensibus S. Sedi reservatis valorem 24 Ducatorum Cameræ excedentia tenentur intra præfixum in Reg. Cancellariæ tempus novam eorundem provisionem à Sede Apostol. obtinere, ordinariis taxis solutis, non obstante in contrarium quocumque exemptionis privilegio. Motus prop. Benedicti XIV, Bullar. Tom. 1. n. 12.

BULLA CRUCIATÆ.

Facultas concessa in Bulla *Cruciata* de absolutione à censuris obtinenda, valet tantummodo pro foro interno, ut ex Constitutione Urbani VIII eruitur; quare Constitutiones Hispanicæ aliter statuentes rejiciendæ sunt. De Syn. Diœc. lib. 12. c. 1. n. 7.

CADAVER.

In sectione cadaverum anatomix addiscendæ causa, si quis adhibeat cadavera non condemnatorum, nulla obtenta ab Episcopo facultate, peccat quidem graviter, sed non incurrit excommunicationem Bonif. VIII, de qua in cap. I. *de sepulchris*, cum illa feratur tantum in eos, qui exhumantes cadavera, ea lacerant, et aliò sepelienda transferunt. Ita ex sensu DD. Instit. Eccles. 74. num. 10.

Si instituta Processione, et præcedente Cruce, associendum sit cadaver ad sepulturam, et transitus fiat per agrum, vel possessionem privatam, non ideo via illa publica efficitur; leges enim civiles, ex quibus id posset convinci, nihil aliud volunt, nisi quòd monumentum positum in loco privato efficiat locum illum sacrum; quin et leges illæ à jure Canonico abolitæ sunt, ut ex DD. demonstratur. Inst. Eccles. 89. n. 9.

Si cadaver tumulandum sit in Ecclesia Regularium, non potest Parochus exigere, ut apportetur prius ad parochialem, et ibi exponatur, dein in sepulturam in Ecclesia Regularium inferatur, ut ex Lucana funerum censuit Sac. Congr. Concilii. Inst. Eccles. 105. n. 25.

Ex Decretis Sac. Congreg. Concilii firmatum est non esse levandum cadaver è domo absque præsentia, ac facultate Parochi loci, ubi domus sita est. *ibid.*

Cum distinguitur Ecclesia tumulans à Parochiali, processio funebris debet incedere sub cruce Ecclesiæ tumulantis, nec potest præcisa consuetudine Parochus propriam crucem levare, nisi in casu, quo interveniat Capitulum Cathedralis, tunc Cathedralis crux sola præcedit. Ita ex Decretis. Sac. Congregationis. *ibid.* n. 26.

Societates funus comitantes si procedant cum sacco tenent locum ante feretrum, et ante Clerum tam Sæcularem, quàm Regularem; si sine sacco, eant post feretrum, uti ex statutis Cleri Romani. *ibid.* n. 30. 31.

Laici Regulares non debent comparere cum Capellanis conductis in processione funebri, ut multis firmatur. *ibid.* n. 32. At si invitatus sit conventus Regularis, qui certè constat ex laicis, conversis et Sacerdotibus, excludendi non sunt. *ibid.*

Regulares cogi non possunt ut associant pompam funebrem cum cadaver in eorum Ecclesia sepeliendum est, sed possunt ad januas Ecclesiæ suæ expectare. Ita ex Decis. Sacræ Congreg. *ibid.* n. 38.

Si quis habitator Urbis decedat ruri non electa sepultura, cadaver ejus sepulturæ mandandum est non in Ecclesia rurali. sed in sua Parœcia, vel in Ecclesia, ubi sita est sepultura majorum ipsius, ut decisum cap. Is qui, de Sepulturis in 6, dummodo id possit fieri sine gravi incommodo. Grave autem incommodum declarat Pontifex intercedere, si obitus accidat in loco ultra tria milliaria distante à Parœcia. Id verò ex paritate rationis statuendum est de illo, qui ruri habitans in civitate decedat. *ibid.*

Cum rure transferendum est cadaver in civitatem, deferendum est in catalecto præcedente cruce à Clero delata, et associantibus geminis Sacerdotibus, altero Ecclesiæ tumulantis, altero se tenente ex parte Parochi illius loci, ubi mors accidit. *ibid.* n. 46.

In extractione, vel intratione cadaveris in portas urbis, gabella minimè solvenda est, ut ex DD. *ib.* num. 46.

Pro transitu processionis funebris ex una Parœcia in aliam,

nulla petenda est licentia à Parocho illius loci, per quem transitus fieri debet, ut ex Bulla Leonis X 22, et Decretis S. Congregationis firmatur. ib. n. 49.

Pro sepultura, et exequiis cadaveris exigi nihil potest, ut ex sacris Canonibus firmum est. Instit. Eccles. 105. n. 58. Verùm si consuetudo obtinuit, ut aliquid detur, quanquam circa hoc nulla sit actio iudicialia, attamen recurri potest ad officium Ordinarium, ut est in textu cap. Ad audientiam 24 de Simonia. ibid. n. 58.

CAECUS.

Cæcus non obtinet dispensationem neque ad primam Tonsuram, ad effectum obtinendi beneficium ecclesiasticum, ut ex Decreto S. Congregationis in una Pampilonensi die 28 Martii 1735. Inst. Eccles. 34. n. 5.

Si tamen ordinato jam Sacerdoti accidat, ut oculorum lumen amittat, non tamen ita, ut nihil videat, datur illi à S. Congreg. facultas celebrandi diebus quidem festis, et duplicibus, Missam B. Virginis votivam, ferialibus Defunctorum, dummodo non omnia memoriter recitet; mandando insuper Episcopis, ut celebrationem omnino vetent statim ac cæcum penitus evasisse compulerint. ib.

CAMBIUM.

Cambium locale, et per litteras, quando revera litteræ mittuntur, vel transmittitur in alio loco pecunia eo modo, quo apud Theologos describitur, admittitur à Pontifice in Tractatu de Synod. Diœc. l. 10. c. 5. n. 7.

Cambium verò obliquum, quo mutuarius se obligat ad negotiandum in cambiis tantundem pecuniæ, quantum mutuo accepit à Cambista in favorem ipsius Cambistæ, vel eidem Cambistæ dat facultatem, ut nomine suo accipiat sive à seipso, sive ab alio tantundem pecuniæ, quantum sibi mutuo data est; accipiat, inquam, eam per cambii contractum; atque interim mutuarius se obligat ad solvendum quantum necesse est pro ratione hujus secundi cambii: hoc, inquam, cambium, quamvis non reprobetur à nonnullis, et revera fortasse in foro fori sustineri posset, adhuc tamen in conscientia reprobandum est. Ibid. n. 9. 10. Interdum verò mutuarius in se suscipit onus negotiandi per cambium tantundem pecuniæ, quantum à Cambista mutui nomine recepit; tum verò quidquid lucratur, vel lucrari potest in isto cambio nomine mutuantis facto, totum illi solvit; quæ solutio etiam facienda est, etsi istud negotium cambii revera factum non sit, quia Cambistæ intererat ut fieret. Id etiam perinde ac priùs à Pontifice reprobatur. ibid.

Hæc omnia cambia, quamvis per se, saltem quoad nonnulla licita laicis, interdicta esse Clericis, canones magno consensu demonstrant, et evincunt. De Syn. Diœc. l. 10. c. 6. n. 1.

CANONICI REGULARES.

Canonici Regulares, quanquam sunt capaces Beneficii Curati ex textu *cap. Quod Dei timorem, de statu Monachorum*, non sunt tamen beneficii simplicis, ut ex pluribus Decr. S. C. Conc. approbatis à Greg. XIII, firmatur. Inst. Eccl. 97. n. 2. Sicut nec beneficiorum residentialium non Parochialium, ut ex sensu multorum Canonistarum. *ibid.* n. 5.

Nec possunt Parochias laicas recipere cum sola licentia Abbatis Generalis, sed requiritur facultas Summi Pontificis. *ibid.* n. 5.

Canonici Regulares ex sola facultate Superioris sive Abbatis generalis non possunt curam animarum in Ecclesiis sæcularium assumere et exercere; sicuti neque ad Canonicatus, Præbendas, dignitates, neque ad alia officia aut beneficia residentialia in Ecclesiis sæcularibus obtinenda assumi, et propter hoc ex religiosis claustris exire. Sunt etiam incapaces beneficii ecclesiastici sæcularis sive simplicis sive residentialis, sicut etiam pensionum ecclesiasticarum. Ita in Bulla *Quod inscrutabili*, Bullarii Tom. I. num. 136. Quare exigunt ad hæc obtinenda facultatem Sedis Apost. Si verò de Sedis Apost. facultate beneficium aliquod simplex obtinuerunt, non ideo tamen facultatem habent è claustris Religionis suæ exeundi. Id verò quod hæc statutum est, intelligitur pariter de Canonicis SS. Salv.

Si quis verò ex illis extra concursum à patrono beneficii Ecclesiastici, quod habeat curam animarum annexam, nominatus fuerit, hæc nominatio fieri debet cum expressa præsertione beneplaciti Apostolici. Ultra quod à nominato debeat acceptari nominatio cum clausula de obtinendo beneplacito Superioris generalis sui Ordinis. Quid verò respectu illorum servandum sit, in voce *Concursus* annotavi. *ibid.*

In eadem Bulla declarat Benedictus, Canonicos illos, sic provisionis de beneficio residentiali, absolutos esse ab obligatione deferendi vestem sui Ordinis. Monet tamen non ideo exemptos esse ab onere servandi vota in iis, quæ conjungi possunt cum novo suo statu. Cum verò cura Pastoralis et Canonicatus sit impossibilis cum actuali obedientia præstanda Superiori regulari, ideo declarat n. 27. non posse cogi ab iisdem Superioribus ut ad Religionis claustra redeant: posse tamen Episcopum, cui submituntur legitima ex causa privare illos per sententiam illo beneficio, seu declarare perpetuò suspensos ex inhabilitate. Tunc autem declarat teneri eos ad claustra redire, sicut et n. 28. ad redundum obligat eosdem beneficiarios si beneficio renuntiant. Cæterum n. 28. etiamsi habeant coadjutorem, vel impetraverint jubilationem, cum tunc teneantur residere in loco Parochiæ aut Canonicatus, ideo ad claustra redire in eo casu nequaquam teneantur.

CANONICI.

Canonici Cathedralis non emittentes professionem fidei ex præscripto S. Conc. Trid. « non faciunt fructus suos, » Fructus tamen Præbendæ, non verò Distributionum, uti sæpe respondit S. Congr. Inst. Eccl. 60. n. 11. Nec ad eam pœnam incurrendam requiritur sententia declaratoria, ut ex Synodo Farsensi firmatur. Inst. Eccles. 57. n. 15.

Professio fidei à Canonicis emittenda ex Constitutione Pii IV, non obligat Canonicos aliarum Collegiatarum, sed Cathedralium tantummodo. Instit. Eccles. 60. n. 1. ex pluribus Decretis S. C.

Hæc fidei professio personaliter præstanda est, non verò per procuratorem, ut ex Decreto S. C. ibid. n. 3, quod adeo verum est, ut si quis Romæ existens obtinuerit facultatem professionem hanc emittendi coram Cardinali Vicario, teneatur illam repetere coram Ordinario simul ac in locum residentia pervenerit, ut in eadem facultate exprimi solet. ibid. num. 3.

Canonici et beneficiati tenentur ex jure ecclesiastico recitare Officium divinum cum eo discrimine, ut beneficiati ubique locorum possint huic muneri satisfacere; Canonici verò Cathedralium, vel Collegiatarum præstare id in Choro teneantur. Instit. Eccles. 107. n. 7.

Canonici tenentur recitare divinam psalmodiam in Choro, adjungentes sese eidem Choro, nec sufficit si tantum assistant, alioquin non faciunt fructus suos, nisi tamen adfuerit privilegium Apostolicum non præsumptum, nec abrogatum. Ita in Encyclica ad Episcopos Italiae, *Cum semper*. Bull. Tom. I, n. 103.

Nec solum tenentur assistere, sed etiam alta voce recitare, et associare cantum Horarum Canonicarum, nulla in contrarium obstante consuetudine, ut ex dispositione S. C. Trid. Sess. 24. c. 12. de Reform. evincitur. Inst. Eccl. 107. n. 16. Idcirco tenentur Canonici, et alii addicti choro cantum Gregorianum addiscere, ut in folio exhibito S. Congr. in causa Murana Mansionariae die 13 Novembr. 1735, à Secretario ejusdem Congregationis demonstratur. Instit. Eccles. 107. n. 16.

In Tridentino quidem injunctum est, ut omnes « Divina per » se, et non per substitutos compellantur obire officia, » sed ut censuit S. C., non est sublata Capitularibus facultas « sese invicem substituendi, dummodo substituens et substitutus eidem » servitio adscripti non sint. » Cavendum est tamen ne nimis frequentes sint istæ substitutiones. Non possunt uti hac facultate illi Canonici qui extra civitatem, vel suburbia consistunt. Nec ea uti potest nisi Canonicus, vel Mansionarius, non verò Coadjutores eorum, ut ex pluribus decretis S. Congr. ibid. n. 17. 18.

Si Chorus Ecclesiae efficiatur incommodus, putà hyemali tempore, potest adaptari eidem muneri præstando aliqua Cappella ejusdem Ecclesiae, ut ex Decreto S. C. ib. n. 19.

In ordine ad recitationem Horarum præfertur illa sententia,

quæ docet, eos, qui horis admiscunt jocos, risus et cachinnos, et cætera, et confabulationes in choro, reos esse peccati gravis, et ad restitutionem teneri. *ib. num. 25.*

In Decretali *Dolentes de Celebr. Miss.* pœna in eos, qui hæc aut similia agunt, suspensio indicitur; hæc tamen suspensio est ferendæ, non latæ sententiæ, ut explicavit Honorius III, in cap. 3. *de Vita et Honest. Clericor.* inserto in quinta compilatione Decretalium edita à Cironio. *ib. n. 29.*

Mos non multandi Canonicos, nisi cum supervenerint in Choro post absolutum primum Nocturnum cum Lectionibus, vel post sex priores Psalmos in Matutinis de Feria; etiamsi consuetudo adsit, reprobatum à S. Congr. Conc. in Interramnensi visitatione die 24 Maii 1674. *ib. n. 23.*

Quamquam in Choro teneantur recitare semel in hebdomada Officium defunctorum, extra Chorum tamen non tenentur, quod etiam de Officio B. M. Virginis, Psalmis Pœnitentialibus, et Gradualibus definivit S. Pius V, in sua Const. LXIV. Inst. Eccles. 107. n. 9.

Missæ Conventualis, quamquam non veniat nomine Horarum Canonicarum, venit tamen nomine divini Officii; quare si Cathedralis et Collegiatarum Canonici tenentur ad quotidianum officium divinum, tenentur etiam ad quotidianam celebrationem ejusdem Missæ. *ib. n. 11.*

Immemorialis consuetudo non excusat Canonicos Cathedralium et Collegiatarum insignium à residentia; bene tamen in Collegiatis non insignibus et ruralibus, in quibus adeo tenues sunt redditus, ut Canonici aliunde non habentes, unde vivant non habeant. Instit. Eccles. 107. n. 2. ex Decreto S. C.

Absentia à Choro per tres menses non intelligitur permessa à Tridentino, si Ecclesiæ Constitutiones servitium totius anni absque ulla intermissione requirant, ut explicatum est in Decreto S. C. Inst. Eccl. 107. n. 31. Qua in re nulla contraria consuetudo etiam immemorabilis admittitur, ut censuit S. C. in suo Decreto. *ibid.*

Ad vacationem trium mensium concessam à Tridentino non requiritur licentia Episcopi, si tamen intra Diocesim constant; requiritur autem vicissim, si se ab illa absentent; petita tamen non debet ab Episcopo negari; ita ex Decreto S. Congr. *ibid. n. 36.*

Canonici vigore trimestris à Conc. Trid. sibi concessi non possunt simul abesse à Choro ultra tertiam partem uno et eodem tempore, nec vacationem hanc obtinere possunt tempore Quadragesimæ, et Adventûs, et in festis solemnioribus. Ita ex Decreto S. Congreg. *ibid. n. 34.*

Pro absentibus habentur, qui absunt ab Ecclesiæ servitio tot vicibus, ut præscripta quantitas trium mensium annuo spatio superetur. Ita ex Decr. S. C. *ib. n. 32.* Hinc S. Congregatio in aliis decretis *ibid. num. 33.* relatis, decidit plusquam trimestrem valere, ut censeantur absentes. Nec approbavit eadem S. Congregatio illos, qui calculum conficiebant ab hora in horam, et non à die in diem. *ibid.*

CANONICI.

Canonici Cathedralis non emittentes professionem fidei ex præscripto S. Conc. Trid. « non faciunt fructus suos, » Fructus tamen Præbendæ, non verò Distributionum, uti sæpe respondit S. Congr. Inst. Eccl. 60. n. 11. Nec ad eam pœnam incurrendam requiritur sententia declaratoria, ut ex Synodo Farsensi firmatur. Inst. Eccles. 57. n. 15.

Professio fidei à Canonicis emittenda ex Constitutione Pii IV, non obligat Canonicos aliarum Collegiatarum, sed Cathedralium tantummodo. Instit. Eccles. 60. n. 1. ex pluribus Decretis S. C.

Hæc fidei professio personaliter præstanda est, non verò per procuratorem, ut ex Decreto S. C. ibid. n. 3, quod adeo verum est, ut si quis Romæ existens obtinuerit facultatem professionem hanc emittendi coram Cardinali Vicario, teneatur illam repetere coram Ordinario simul ac in locum residentia pervenerit, ut in eadem facultate exprimi solet. ibid. num. 3.

Canonici et beneficiati tenentur ex jure ecclesiastico recitare Officium divinum cum eo discrimine, ut beneficiati ubique locorum possint huic muneri satisfacere; Canonici verò Cathedralium, vel Collegiatarum præstare id in Choro teneantur. Instit. Eccles. 107. n. 7.

Canonici tenentur recitare divinam psalmodiam in Choro, adjungentes sese eidem Choro, nec sufficit si tantum assistant, alioquin non faciunt fructus suos, nisi tamen adfuerit privilegium Apostolicum non præsumptum, nec abrogatum. Ita in Encyclica ad Episcopos Italiae, *Cum semper*. Bull. Tom. I, n. 103.

Nec solum tenentur assistere, sed etiam alta voce recitare, et associare cantum Horarum Canonicarum, nulla in contrarium obstante consuetudine, ut ex dispositione S. C. Trid. Sess. 24. c. 12. de Reform. evincitur. Inst. Eccl. 107. n. 16. Idcirco tenentur Canonici, et alii addicti choro cantum Gregorianum addiscere, ut in folio exhibito S. Congr. in causa Murana Mansionaria die 13 Novembr. 1735, à Secretario ejusdem Congregationis demonstratur. Instit. Eccles. 107. n. 16.

In Tridentino quidem injunctum est, ut omnes « Divina per » se, et non per substitutos compellantur obire officia, » sed ut censuit S. C., non est sublata Capitularibus facultas « sese in » vicem substituendi, dummodo substituens et substitutus eidem » servitio adscripti non sint. » Cavendum est tamen ne nimis frequentes sint istæ substitutiones. Non possunt uti hac facultate illi Canonici qui extra civitatem, vel suburbia consistunt. Nec ea uti potest nisi Canonicus, vel Mansionarius, non verò Coadjutores eorum, ut ex pluribus decretis S. Congr. ibid. n. 17. 18.

Si Chorus Ecclesiæ efficiatur incommodus, putà hyemali tempore, potest adaptari eidem muneri præstando aliqua Cappella ejusdem Ecclesiæ, ut ex Decreto S. C. ib. n. 19.

In ordine ad recitationem Horarum præfertur illa sententia,

quæ docet, eos, qui horis admiscunt jocos, risus et cachinnos, et cætera, et confabulationes in choro, reos esse peccati gravis, et ad restitutionem teneri. *ib. num. 25.*

In Decretali *Dolentes de Celebr. Miss.* pœna in eos, qui hæc aut similia agunt, suspensio indicitur; hæc tamen suspensio est ferendæ, non latæ sententiæ, ut explicavit Honorius III, in cap. 3. *de Vita et Honest. Clericor.* inserto in quinta compilatione Decretalium edita à Cironio. *ib. n. 29.*

Mos non mulctandi Canonicos, nisi cum supervenerint in Choro post absolutum primum Nocturnum cum Lectionibus, vel post sex priores Psalmos in Matutinis de Feria, etiamsi consuetudo adsit, reprobatur à S. Congr. Conc. in Interramnensi visitationis die 24 Maii 1674. *ib. n. 23.*

Quamquam in Choro teneantur recitare semel in hebdomada Officium defunctorum, extra Chorum tamen non tenentur, quod etiam de Officio B. M. Virginis, Psalmis Pœnitentialibus, et Gradualibus definivit S. Pius V, in sua Const. LXIV. Inst. Eccles. 107. n. 9.

Missæ Conventualis, quamquam non veniat nomine Horarum Canoniarum, venit tamen nomine divini Officii; quare si Cathedralis et Collegiatarum Canonici tenentur ad quotidianum officium divinum, tenentur etiam ad quotidianam celebrationem ejusdem Missæ. *ib. n. 11.*

Immemorialis consuetudo non excusat Canonicos Cathedralium et Collegiatarum insignium à residentia; bene tamen in Collegiatis non insignibus et ruralibus, in quibus adeo tenues sunt redditus, ut Canonici aliunde non habentes, unde vivant non habeant. Instit. Eccles. 107. n. 2. ex Decreto S. C.

Absentia à Choro per tres menses non intelligitur permessa à Tridentino, si Ecclesiæ Constitutiones servitium totius anni absque ulla intermissione requirant, ut explicatum est in Decreto S. C. Inst. Eccl. 107. n. 31. Qua in re nulla contraria consuetudo etiam immemorabilis admittitur, ut censuit S. C. in suo Decreto. *ibid.*

Ad vacationem trium mensium concessam à Tridentino non requiritur licentia Episcopi, si tamen intra Diœcesim consistent; requiritur autem vicissim, si se ab illa absentent; petita tamen non debet ab Episcopo negari; ita ex Decreto S. Congr. *ibid. n. 36.*

Canonici vigore trimestris à Conc. Trid. sibi concessi non possunt simul abesse à Choro ultra tertiam partem uno et eodem tempore, nec vacationem hanc obtinere possunt tempore Quadragesimæ, et Adventûs, et in festis solemnioribus. Ita ex Decreto S. Congreg. *ibid. n. 34.*

Pro absentibus habentur, qui absunt ab Ecclesiæ servitio tot vicibus, ut præscripta quantitas trium mensium annuo spatio superetur. Ita ex Decr. S. C. *ib. n. 32.* Hinc S. Congregatio in aliis decretis *ibid. num. 33.* relatis, decidit plusquam trimestrem valere, ut censeantur absentes. Nec approbavit eadem S. Congregatio illos, qui calculum conficiebant ab hora in horam, et non à die in diem. *ibid.*

Absentes à servitio tempore vacationis non lucrantur distributiones quotidianas, nisi concessæ sint illis à Constitutionibus confirmatis à SS. Pontificibus ante Conc. Trid. Ita ex Decreto S. Congregationis. *ibid.*

Canonici qui abfuerint ultra trimestre non sunt citandi, ut veniant ad servitium Ecclesiæ, qua in re differunt à curatis non residentibus, qui ex Concilii præscripto citandi. vel admonendi sunt, ut contra illos procedatur. Vocandi sunt igitur Canonici, ut deducant causam cur non debeant privari medietate, sive omnibus fructibus juxta præscriptum S. Concilii. Ita ex Decreto S. C. *ibid.* num. 37.

Porro ut tunc procedatur ad privationem Canonicatus, præcedere debet trium annorum absentia, tum expediendæ sunt tres citationes contra absentem, qui dein expectandus est per sex menses, iisque elapsis, si non compareat, ad sententiam privationis procedatur. Ita ex Decreto S. C. *ib.*

Attamen intra hoc triennium expectationis procedi potest ad suspensionem delinquentis juxta dispositionem Cap. *Ex tua, de Cleric. non resid.* Quod etiam fieri potest inchoata jam via procedendi à Concilio præscripta; attamen tunc pergendum non est ad sententiam privationis. Ita ex D. S. C. *ibid.* num. 38.

Quoad distributiones Conc. Trid. Sess. 31. c. 3. *de Ref.* mandat, ut separetur à Missa Capitulari tertia pars fructuum, quæ dividatur inter præsentés divinis officiis assistentes. Addit verò idem Concilium, quòd si dignitates, et personatus Ecclesiarum Parochialium et Collegiarum muneribus suis defuerint, amittant distributiones, quæ applicentur. « Fabricæ Ecclesiæ, vel » alteri pio loco, arbitrio Ordinarii. » Quod postremum intelligitur de dignitatibus redditus suos habentibus à Mensa Capitulari discretis; illæ, quæ participant ex eadem mensa distributiones amittunt, sed quæ accrescunt præsentibus. Inst. Eccl. 107. num. 41.

Vetat insuper sacrum Concilium sess. 24. c. 12. *de Ref.* ne Chorales secum invicem paciscantur, ne mulcentur absentes. Vetat etiam ne gratis condonentur distributiones iis, qui non interfuerint, si decreto insistens S. C. Conc. semper negavit valere istas condonationes. *ib.* n. 42.

Hoc tamen non obstante fas est Episcopo transgressores istos ulterius punire, ut sæpius respondit S. C. *ibid.* n. 44.

Cæterum cum Sacrum Concilium exceptos judicet ab ea distributionem amissione illos quos infirmitas, seu justa et rationalis corporalis necessitas, aut evidens Ecclesiæ utilitas excusat; hinc S. C. censuit, in eo rerum eventu absentes non tantum suas distributiones non amittere, sed lucrari augmentum, quod fit ex distributionibus absentium sine causa. Quin et si quis discedens à civitate sanus proponens redditum ad civitatem post legitimam vacationem, si interim ægritudine afficiatur, nec redire possit, adhuc distributiones lucratur, ac si præsens esset in civitate, ut ex Decreto S. C. *ibid.* n. 46.

Verùm non omnis ægritudo excusat, nec omnes semper; nam si quis, cùm sanitate valebat, interesse negligebat, tunc etsi ægritudine gravetur, distributiones non obtinet, ut censuit S. C. *ibid.* n. 47.

Accidere tamen posset, ut quis non vetaretur quidem exire domo, sed ægritudine, qua afficitur, adesse Choro ei non permetteretur. Hinc cæcus distributionibus potitur, etiamsi eam officii partem, quam memoria tenet, in Choro non recitet, ut censuit S. C. *ibid.* n. 48.

Deberi cæco distributiones ex ea die, qua lumine captus est, et non solùm ex ea, qua se admitti ut præsentem postulavit, censuit S. C. *ibid.*

Quin nec teneri illum substituere alium pro onere Missarum in Collegiata, eadem S. C. alio decreto censet. *ib.*

Quando pestis grassatur (quod iudicium Episcopo remittitur) Canonici qui se absentant ab Urbe, vel Oppido, distributiones lucrantur, ut ex Decr. S. C. *ibid.* n. 50.

Nec privantur etiam, qui assueti aliàs interesse Choro, vexationibus iniustis coacti se è loco seducunt, ut ex Decreto S. C. *ibid.* n. 51.

Cujusmodi sunt etiam detenti injustè in carceribus, quæ iniustitia tunc iudicanda est ex sententia in ejus favorem lata, quæ in iudicatum transierit; nam si interposita sit appellatio, exitus ejus appellationis expectandus est; quæ omnia ex Decretis S. C. *ibid.* num. 52.

Sententia in favorem rei illa dicitur hæc, qua reus ut innocens absolvitur per sententiam definitivam; sicut etiam qua *ex hactenus deductis* declaratur innocens; ac tandem ea, qua absolvitur cum clausula *non molestetur*. Non verò ea, qua absolvitur cum *ex quo satis*. Hæc omnia ex Decretis S. C. *ib.* n. 53.

Ex evidenti Ecclesiæ utilitate absentem ad distributiones admittit Bonifac. VIII in Cap. Unic. *de Cleric. non resid. in Sexto*. Quare absens à choro causa negotiorum Ecclesiæ suæ, vel Capituli, distributiones percipit, ut sæpe censuit S. Congr. *ib.* n. 8.

Itaque Canonicus Theologus, qua die legit, potest non amissis distributionibus à Choro abesse, etsi vacare illi posset, ut censuit Sac. Congr. *ib.* n. 55.

Hinc etiam Canonicus Pœnitentiarius, vel alius Canonicus ab Episcopo deputatus in eum locum, dum actu audit Confessiones tutò abest à Choro, et distributiones obtinet, ut pluries censuit S. C. *ib.* n. 55. Si verò absit dum actu non audit confessiones, distributiones minimè percipit, ut ex aliis Decr. S. C. *ib.*

Lucratur etiam fructus Præbendæ, non verò distributionem, etsi absens ille, qui habet Canonicatui suo annexam, sed extra civitatem, curam animarum; tenetur enim in Parochia residere pro eo tempore, quo in Parochiali Ecclesia residet, et Sacramenta administrat. Ita ex Conc. Trid. sess. 22. cap. 3. *de Reform.* addita Bulla 65 Sancti Pii V.

Qui verò habet curam animarum in ea Ecclesia, in qua est

Canonicus, si toto eo tempore occupatur actu in exercitio eorum quæ spectant ad curam animarum, distributiones quotidianas obtinet. *Ibid.* n. 56.

Fas est Episcopo servitiis suis adungere saltem geminos Canonicos Cathedralis seu etiam Collegiatarum; attamen non potest seligere Canonicum, seu dignitatem, neque etiam Coadjutorem. Hos verò lucrari fructus præbendæ, non verò distributiones, constat. Ita ex pluribus *Decr. S. C. ib.* n. 57, 58.

Canonici, quos Episcopus mittit Romam invisuros sacra limina suo nomine, vel illum ea occasione comitantes, distributiones quotidianas non amittunt, ut pluries censuit *S. Congreg. ib.* n. 59.

At si illum comitentur in visitatione Diœcesis, si omnes fructus sui beneficii in distributionibus quotidianis consistent, tunc lucrantur duas tertias partes earum, tertia amissa quæ inservientibus accrescit. Ita ex *Decr. S. C. ib.* n. 59.

Ex lege *Conc. Trid. sess. 24. c. 12.* possunt cogi Canonici ab Episcopo celebranti, vel alia Pontificalia exercenti assistere, et inseruire. Porro ex *Decr. S. Congr. dicimus*, Episcopo in Cathedrali celebranti in Pontificalibus inservire teneri omnes, iis exceptis, qui legitimis vacationibus absunt. Tenentur verò etiam præstare illi munus Subdiaconi; quod verum est, etiamsi Episcopus celebret, seu Ordines ministret extra Cathedralē, intra Diœcesim et suburbia; tenentur enim etiam tunc præstare munus Diaconi, Subdiaconi, Presbyteri assistentis, et duorum illorum Canonorum qui Episcopo Ordines ministranti cum Archidiacono adsunt. Ita ex pluribus *Decr. S. C. ib.* n. 60.

Porro hæc assistentia locum habet etiam cum Episcopus in sua Cathedrali præsens est Missæ, et divinis Officiis diebus Dominicis et Festis etiam non solemnibus, et in diebus ferialibus Quadragesimæ. Quod verum est etiam, quando Episcopus in aliis Ecclesiis civitatis pontificaliter celebrat, vel paratus assistit cum pluviali et mitra, aut cum cappa divinis officiis, et Missæ solemnibus, alia Pontificalia exercet, si tamen numerus sufficiens Canonorum et ministrorum in Ecclesia Cathedrali remaneat. Ita ex *Decr. S. Congr. ib.*

Valent etiam hæc dum Episcopus in Ecclesia Cathedrali adest concioni diebus Quadragesimæ, et aliis intra annum. Non verò si cum cappa assistit concioni, quæ habetur in aliis ecclesiis civitatis, etiam exemptis. *ib.* n. 60.

In his omnibus rerum circumstantiis Canonici, qui Episcopo inserviunt, si actu debeant Choro interesse, non semper tamen obtinent distributiones. Illas enim non lucrantur, nisi cum assistunt pontificaliter celebranti, non verò Episcopo Diœcesim visitanti, vel Missam privatam celebranti. *ib.* n. 61.

Animadvertendum est Canonicos non præsentēs, de quibus supra diximus, non privari distributionibus, non tamen participare de emolumentis Anniversariorum, quæ ex voluntate Fundatorum distribui consueverunt solùm inter præsentēs, ut ex *Decr. S. C. ib.* n. 62.

Denum distributiones quotidianas obtinent Canonici, et Beneficiati, qui interdum intra annum intra domum religiosam clausi exercitia spiritualia præstant cum licentia Episcopi, non tamen si in Adventu, Quadragesima et Festis solemnibus id agunt, et ita agunt, ut servitio Chori nullum detrimentum inferatur. Ita ex Encycl. Clementis XI. ibid num. 63.

Distributionibus etiam quotidianis non privantur Canonici, et Mansionarii emeriti, sive si Coadjutorem habeant. Ibid. Debent tamen indultum hoc obtinuisse à S. C. vi cuius nec loci residentia astringuntur. Quanquam possint ab Episcopo compelli ad assistendum Choro, si cultus divinus detrimentum patiatur Ita ex Decretis S. Congreg. ib. n. 64.

Porro si Coadjutor sive intra civitatem ægrotet, sive extra, non tenetur Coadjutus assistere Choro, et nihilo secius lucratur distributiones, quæ ipsi omnino debentur, etiam cum iis emolumentis, quæ præsentibus accrescunt. ib. n. 65.

Distributionibus privatur Vicarius Generalis Episcopi, Canonicus Examinator, quique in Tribunali S. Officii munus suum præbet, ministri Camerales, scilicet subcollectores spoliatorum et Decimarum, denique peregrinationes etiam sacras obeuntes, nisi illas egerint intra trimestre à Tridentino concessum. Denique nec Magistri Juris Canonici et Sacræ Theologiæ in publicis Universitatibus docentes; qui tamen si recurrerint ad Sac. Congr. obtinent fructus Præbendæ; et si illi sint tenues, duas tertias partes distributionum, quod etiam postremum conceditur iis, qui causa studiorum in publicis Universitatibus absunt. Ibid. num. 72.

Absentes verò causa studii ex Decr. Innoc. XII, si indultum sibi concessum non exhibuerint Ordinario loci, et in Actis Cancellariæ non registretur intra tempus in indulto præfixum, perinde est ac si non adfuissent. Ibid.

Coadjutoribus non conceditur indultum absentandi sese causa studii. Ibid.

Studium verò præstari debet in publica Universitate, ac prodest pro eo pariter tempore, quo Lector privatam lectionem habet, et non in Aula publicæ Universitatis, ut ex Decr. S. C. ib.

Si eo tempore, quo Officia persolvuntur in Choro, Capitulum congregandum sit, nisi urgens causa fuerit, Canonici non possunt absentare sese, absque subtractione distributionum pro eo tempore, quo absunt, ut ex Decr. S. C. ib. n. 73.

Nec etiam deserere possunt Chorum, ut Missas celebrent, vel confessiones audiant, nisi Superior id jusserit; monetur tamen Superior, ut ab his jussionibus absteat, in Decr. S. C. Anni 1753. ibid. n. 74.

Dignitatem novam in Cathedrali Ecclesia erigere nemo potest, nisi unus tantummodo Summus Pontifex, ut pluries decisum in S. Congr. Concilii notatur. Tract. De Syn. Diœc. lib. 12. c. 1. n. 8.

Pro canonicatu Theologico concursus indicendus est, ex Bulla Bened. XIII. *Pastoralis Officii*; ejus tamen collatio pertinet ad

Pontificem ex can. *Ad regimen*, de Præb. Concursus iste indicendus est ab Episcopo, à quo examinatores destinandi sunt quatuor in Theologia Licentiati, sive sæculares, sive regulares; nec requiruntur Synodales. Concurrentes debent esse Doctores in Sacra Theologia, vel saltem intra annum tenentur Doctoralem lauream in aliqua Universitate approbata studii generalis assequi. Quæ omnia ex eadem Bulla resultant.

Acta verò concursus transmittenda sunt ad Romanum Pontificem, à quo Dignior eligetur, ut in eadem Bulla, et Inst. Eccl. 57. n. 4.

Nec sufficit laurea Canonica ex responso S. C. Inst. Eccl. 57. n. 4.

Nec sufficit etiam si hæc laurea sit recepta ab aliquo privilegium obtinente, sed omnino requiritur obtinuisse in Universitate approbata, quod commune est omnibus beneficiis lauream doctoralem exigentibus, ut ex Bulla 70 S. Pii V. ibid. n. 5.

Theologus Canonicus satisfacit suo muneri, sive legat Sacram Scripturam, sive Theologiam Scholasticam, ut sæpius resolvit S. C. ib. n. 6. Non tamen si legat Theologiam Moralem, ut ib. n. 7.

Ex præbenda Theologiæ segreganda est tertia pars, ex cujus redditibus data proportione solvenda est sua portio sacristiæ Metropolitanæ, respondens diebus, quibus Canonicus deesset suo muneri. ib.

CAPITULUM.

Capitulum Ecclesiæ Cathedralis præcedere debet Capitulo Collegiatæ, adeo ut nec sustineantur Constitutiones privatarum Ecclesiarum aliter decernentes, ut definit Rota decis. IX. post Murgam ad Constit. Apost. De Syn. Diœc. lib. 12. c. 1. n. 2.

Capitulum Cathedralis Ecclesiæ ad Synodum ab Episcopo indictam invitandum est: teneturque Episcopus de Constitutionibus in eadem Synodo condendis, ejusdem Capituli consilium exquirere, non tamen sequi illud adstringitur. Si id negligat, et Constitutiones suas inconsulto Capitulo promulgaverit, illæ profectò, quòd ad normam juris non sint exactæ, firmitate carent. De Syn. Diœc. l. 13. c. 1. n. 15 et 16.

Capitulum Cathedralis quamvis exemptionem obtineat, adhuc tamen subditur legibus Synodalibus in iis, quæ versentur circa morum et disciplinæ reformationem, ita declarante S. C. De Syn. Diœc. lib. 13. c. 4. n. 8.

Exemptio Capituli Cathedralis in eo præcipuè sita est, ut Episcopus extra visitationem procedere nequeat contra aliquem Canonicorum sine duobus de Capitulo adjunctis ad normam Trid. sess. 25. cap. 6. *de Reform.* Quamvis Episcopus sine adjunctis de Capitulo possit illud visitare ex Trid. sess. 6. cap. 4. *de Reform.* de Syn. Diœc. lib. 13. c. 9. num. 8.

Capitulum sede vacante non potest in usus proprios convertere multas pecuniarias, et compositiones delinquentium, ut sæpius à S. C. decisum est. De Syn. Diœc. lib. 10. cap. 10. num. 4.

CAPUCCINI.

Capuccinis vetitum erat ex Constitutione quadam sui Capituli Generalis, ne peccata sua exponerent alteri, quàm sui Ordinis Confessario, etiamsi longè abessent à Monasteriis sui Ordinis; verùm Bened. XIV, die 30 Martii 1742, facultatem fecit singulis eorum Sacerdotibus, et laicis longè à suis Monasteriis versantibus, ut possent cuicumque Sacerdoti Sæculari à suo Ordinario approbato, vel Regulari à suo pariter Superiore approbato, peccata sua in confessione aperire, et ab eo absolutionem obtinere; etiam à casibus, et censuris in suo Ordine reservatis, addita tamen obligatione, ut ubi primùm potuerint coram Superiore se sistant, et novam ab illis casibus et censuris absolutionem obtineant. Ita ex Constitut. Bened. XIV. *Quod Communi Bullar. T. I. n. 49.*

CASUS RESERVATI.

Societates quædam ex vi suorum Privilegiorum non possunt ullo modo in quibusdam anni solemnitatibus eligere sibi confessarium, à quo à casibus Episcopo reservatis, sine Episcopi licentia, absolvantur, ut præter Decisiones S. Congr. ferunt litteræ Bened. XIV incipientes *Pas Christi fidelium*, relatæ de Synod. Diœc. l. 5. c. 5. n. 9.

Denique accedentes in fraudem ad aliam Diœcesim, ut absolvantur à reservatis suæ Diœcesis, absolvi non possunt ex Bulla Clem. X *Superna magni*. ib.

Canonicus Pœnitentiarius vi sui muneris nullam habet facultatem absolvendi à peccatis Episcopo reservatis, ut à S. C. Concilii decisum refertur. *ibid. n. 8.*

CAUSARUM COGNITIO.

Causæ omnes tam civiles, quàm criminales exemptarum personarum in prima instantia coram Ordinariis locorum duntaxat cognoscendæ sunt, causis privilegiatis exceptis: neque committi possunt etiam Auditori Camerae Apostolicæ nisi per viam legitimæ appellationis. Si autem pendentibus causis in prima instantia, impetrentur citationes in Signatura iustitiæ, hæ quidem valent ad comparandum, vel adeundam Signaturam, non verò ad retardandam executionem processuum ad ulteriora. Bull. T. I. Constit. 48. *Ad Militantis*, n. 42 et seq.

Causæ beneficiales habent appellationem suspensivam ab eo interpositam, qui in prima instantia succubuit; nec nisi post sententiam definitivam apud Sedem Apostolicam sive in Petitório, sive in Possessorio est locus sequestrationi fructuum. *Clem. Unic. de Sequestr. Posses. et fruct.* neque aliter statui potest in Synodis particularium Ecclesiarum. Ita in Tract. de Syn. Diœc. l. 12. c. 1. n. 3.

Causæ omnes etiam civiles, et de re etiam profana, in quibus

Ecclesiastici tanquam rei conveniuntur, semper cognoscendæ sunt in Foro Ecclesiastico, et in prima instantia in foro proprii Episcopi, nec etiam de Episcopi consensu transferri possent in prima instantia ad Curiam Romanam, nisi ita conventum sit inter partes, ut decisum refertur à S. C. Conc. in Instit. Eccles. 40. n. 3.

Si verò Clericus laicum convenerit pro repetendis rebus Ecclesiæ suæ, quanquam de rigore juris cognitio hujus causæ pertineat ad Judicem sæcularem, tamen si consuetudo contraria invaluerit, pertinere potest ad forum Ecclesiasticum. Utrum privativè verò, adeo ut conventio ista fieri non possit ad Tribunal laicum, vel cumulativè, ut possit ad utrumque, ex consuetudine decidendum erit. Quanquam in casu etiam, in quo valet privata, de licentia Episcopi potest causa ista agitari coram Judice laico. ib. n. 5. ut ex Decr. S. Congr. Episcoporum Regularium confirmatis Brevi Pauli V, die 9 Martii 1617. ib. n. 5.

CENSURA.

Censuræ majores, ut excommunicatio, suspensio et interdictum, cum sint pœnæ graves, ferri non possunt, nisi ex graviore culpa, adeo ut suspensio à divinis ad longum tempus, sicut et interdictum etiam personale, nisi sit partiale, ne validè quidem in levem culpam possit inferri ex sensu plurium DD. De Syn. l. 10. c. 1. n. 3. Quod valet etiam de censuris quoque comminatoriis, et ferendæ sententiæ. ib. num. 5.

Parcissimi esse debent Episcopi in censuris latæ sententiæ ferendis; cum enim extrema ea sit pœna, pro extremo remedio gravibus criminibus puniendis, coercendisque reservanda est, ex constanti S. Congr. sensu. Lib. 10. c. 2. per totum.

Verumtamen prudenter ab Episcopis interdum sub pœna excommunicationis latæ sententiæ vetantur quædam ex natura sua leviora, sed ob grave scandalum, quòd inde consequeretur, si res vetita fuisset neglecta, res ipsa postulat, ut ita provideatur. Ita Pontifex defendit Constitutionem suam, qua vetuit, ne dispensati in Quadragesima à comestione carniùm, pisces degustent. De Syn. Diœc. l. 10. toto c. 3.

Censuræ ab homine latæ à nemine tolli possunt nisi ab eo, à quo latæ sunt, vel ab ejus Superiore, si agnoscantur injustæ. Inst. Eccl. 55. n. 11. Adeo ut neque summus Pœnitentiarius Romæ censuras illas in aliquem nominatim latas tollere consueverit, ne jurisdictio Ordinariorùm turbetur. ibid.

CENSUS.

Census realis licitus est, et immunis ab usura, nam venditur, et emitur jus percipiendi partem fructuum ex alieno fundo, quæ fructuum portio est pensio singulis annis solvenda. De Syn. Diœc. lib. 10. c. 5. n. 4.

Census verò personalis dubium est nam de sua natura sit usu-

rarius necne. Constat tamen vetitum esse ex Constitutione S. Pii V, in qua constituuntur censûs conditiones. ib. n. 5.

Num conditiones illæ, quoad ea, quæ non sunt de jure naturali, ac divino, ex contraria consuetudine legitime præscripta cessaverint obligare apud quasdam Nationes, dubium est. Ac pro Hispania idem Pius V concessit non obligare, ut ex Gutierrez. ib. n. 5. Et revera accidere posse, ut ea contraria consuetudo alicubi invaluerit, scribitur. ib. Monet tamen Pontifex etiam in iis Diocæsibus in quibus Piana Constitutio non viget; ut à censibus personalibus, præsertim utrimque redimibilibus absteineatur. ibid. n. 6.

CHOREMÆ.

Choreæ, quamvis ex sui natura sunt licitæ, vix tamen in actu, quomodo nunc fiunt, permitti possunt, cum plerumque sint peccandi occasio. Inst. Eccles. 76. n. 5.

Choreas verò à Clericis non sine peccato gravi agi posse Theologi plerique asserunt, ut firmatur Instit. Eccles. 76. n. 7. Quin et prohiberi possunt ab Episcopis Clerici omnes ne choreas ducant, ne in illis ludant instrumentis, quin nec permittant eas fieri in suis ædibus ecclesiasticis, canonicalibus, parochialibus, seu etiam beneficialibus deputatis pro domicilio Beneficiati, etiamsi illæ fierent nomine consanguineorum ibidem cohabitantium, quæ verba sunt Decr. S. C. relati. Instit. Eccles. 76. n. 8.

CHRISMA.

Ex can. *Si quis de alio*, de Consecr. dist. 4. colligitur vetitum esse Parochis aliud chrisma quàm ab Episcopo suo consecratum adhibere. Inst. Eccles. 81. n. 2. omni quacumque exemptione exclusa, ut ex Passerino. ibid.

Cum novum benedicatur, vetus comburendum est, nec licet absque necessitate veteri chrismate uti ad Extremam Uncionem, cum novum haberi potest, ut ex can. 122. dist. 4. de Consecrat. colligunt Doctores. ibid. n. 4.

Licitum est oleo consecrato admiscere aliquid olei non consecrati, quod attamen sit in minori quantitate, quàm consecratum; sed nec fas, nec ratio permittit, ut vetus oleum, cum potest novum haberi, ea admixtione perpetuetur. ibid. n. 4.

Cum Fontes die Sabbati sancti à Parochis benedicuntur, præstaret novo Chrismate ab Episcopo Feria V in Cæna Domini ejus anni benedicto ritum peragere. ib. n. 5.

Ex jure communi Can. *omni tempore*, Dist. 4. De Consecr. non licet deferre sacra olea nisi Subdiaconis, vel Diaconis, vel Sacerdotibus. ib. n. 6.

Episcopi Latini infantes Græcos à Presbyteris Græcis in Italia et insulis adjacentibus confirmatos absolutè confirmant; nulla enim à Pontificibus data illis facultas est; ut confirmant, adeoque id egerunt invalidè. Bulla *Etsi Pastoralis* §. 3. Bull. Tom. I. n. 57.

Ecclesiastici tanquam rei conveniuntur, semper cognoscendæ sunt in Foro Ecclesiastico, et in prima instantia in foro proprii Episcopi, nec etiam de Episcopi consensu transferri possent in prima instantia ad Curiam Romanam, nisi ita conventum sit inter partes, ut decisum referatur à S. C. Conc. in Instit. Eccles. 40. n. 3.

Si verò Clericus laicum convenerit pro repetendis rebus Ecclesiæ suæ, quanquam de rigore juris cognitio hujus causæ pertineat ad Judicem sæcularē, tamen si consuetudo contraria invaluerit, pertinere potest ad forum Ecclesiasticum. Utrum privativè verò, adeo ut conventio ista fieri non possit ad Tribunal laicum, vel cumulativè, ut possit ad utrumque, ex consuetudine decidendum erit. Quanquam in casu etiam, in quo valet privata, de licentia Episcopi potest causa ista agitari coram Judice laico. ib. n. 5. ut ex Decr. S. Congr. Episcoporum Regularium confirmatis Brevi Pauli V, die 9 Martii 1617. ib. n. 5.

CENSURA.

Censuræ majores, ut excommunicatio, suspensio et interdictum, cum sint pœnæ graves, ferri non possunt, nisi ex graviore culpa, adeo ut suspensio à divinis ad longum tempus, sicut et interdictum etiam personale, nisi sit partiale, ne validè quidem in levem culpam possit inferri ex sensu plurium DD. De Syn. l. 10. c. 1. n. 3. Quod valet etiam de censuris quoque comminatoriis, et ferendæ sententiæ. ib. num. 5.

Parcissimi esse debent Episcopi in censuris latæ sententiæ ferendis; cum enim extrema ea sit pœna, pro extremo remedio gravibus criminibus puniendis, coercendisque reservanda est, ex constanti S. Congr. sensu. Lib. 10. c. 2. per totum.

Verumtamen prudenter ab Episcopis interdum sub pœna excommunicationis latæ sententiæ vetantur quædam ex natura sua leviora, sed ob grave scandalum, quòd inde consequeretur, si res vetita fuisset neglecta, res ipsa postulat, ut ita provideatur. Ita Pontifex defendit Constitutionem suam, qua vetuit, ne dispensati in Quadragesima à comestione carnum, pisces degustent. De Syn. Diœc. l. 10. toto c. 3.

Censuræ ab homine latæ à nemine tolli possunt nisi ab eo, à quo latæ sunt, vel ab ejus Superiore, si agnoscantur injustæ. Inst. Eccl. 55. n. 11. Adeo ut neque summus Pœnitentiarius Romæ censuras illas in aliquem nominatim latas tollere consueverit, ne jurisdictio Ordinariorum turbetur. ibid.

CENSUS.

Census realis licitus est, et immunis ab usura, nam venditur, et emitur jus percipiendi partem fructuum ex alieno fundo, quæ fructuum portio est pensio singulis annis solvenda. De Syn. Diœc. lib. 10. c. 5. n. 4.

Census verò personalis dubium est num de sua natura sit usu-

rarius necne. Constat tamen vetitum esse ex Constitutione S. Pii V, in qua constituuntur censûs conditiones. ib. n. 5.

Num conditiones illæ, quoad ea, quæ non sunt de jure naturali, ac divino, ex contraria consuetudine legitime præscripta cessaverint obligare apud quasdam Nationes, dubium est. Ac pro Hispania idem Pius V concessit non obligare, ut ex Gutierrez. ib. n. 5. Et revera accidere posse, ut ea contraria consuetudo alicubi invaluerit, scribitur. ib. Monet tamen Pontifex etiam in iis Diocæsisibus in quibus Piana Constitutio non viget, ut à censibus personalibus, præsertim utrimque redimibilibus absteineatur. ibid. n. 6.

CHOREMÆ.

Choreæ, quamvis ex sui natura sunt licitæ, vix tamen in actu, quomodo nunc fiunt, permitti possunt, cum plerumque sint peccandi occasio. Inst. Eccles. 76. n. 5.

Choreas verò à Clericis non sine peccato gravi agi posse Theologi plerique asserunt, ut firmatur Instit. Eccles. 76. n. 7. Quin et prohiberi possunt ab Episcopis Clerici omnes ne choreas ducant, ne in illis ludant instrumentis, quin nec permittant eas fieri in suis ædibus ecclesiasticis, canonicalibus, parochialibus, seu etiam beneficialibus deputatis pro domicilio Beneficiati, etiamsi illæ fierent nomine consanguineorum ibidem cohabitantium, quæ verba sunt Decr. S. C. relati. Instit. Eccles. 76. n. 8.

CHRISMA.

Ex can. *Si quis de alio*, de Consecr. dist. 4. colligitur vetitum esse Parochis aliud chrisma quàm ab Episcopo suo consecratum adhibere. Inst. Eccles. 81. n. 2. omni quacumque exemptione exclusa, ut ex Passerino. ibid.

Cum novum benedicatur, vetus comburendum est, nec licet absque necessitate veteri chrismate uti ad Extremam Uñctionem, cum novum haberi potest, ut ex can. 122. dist. 4. de Consecrat. colligunt Doctores. ibid. n. 4.

Licitum est oleo consecrato admiscere aliquid olei non consecrati, quod attamen sit in minori quantitate, quàm consecratum; sed nec fas, nec ratio permittit, ut vetus oleum, cum potest novum haberi, ea admixtione perpetuetur. ibid. n. 4.

Cum Fontes die Sabbati sancti à Parochis benedicuntur, præstaret novo Chrismate ab Episcopo Feria V in Cœna Domini ejus anni benedicto ritum peragere. ib. n. 5.

Ex jure communi Can. *omni tempore*, Dist. 4. De Consecr. non licet deferre sacra olea nisi Subdiaconis, vel Diaconis, vel Sacerdotibus. ib. n. 6.

Episcopi Latini infantes Græcos à Presbyteris Græcis in Italia et insulis adjacentibus confirmatos absolutè confirmant; nulla enim à Pontificibus data illis facultas est, ut confirmet, adeoque id egerunt invalidè. Bulla *Etsi Pastoralis* §. 3. Bull. Tom. I. n. 57.

Ecclesiastici tanquam rei conveniuntur, semper cognoscendæ sunt in Foro Ecclesiastico, et in prima instantia in foro proprii Episcopi, nec etiam de Episcopi consensu transferri possent in prima instantia ad Curiam Romanam, nisi ita conventum sit inter partes, ut decisum refertur à S. C. Conc. in Instit. Eccles. 40. n. 3.

Si verò Clericus laicum convenerit pro repetendis rebus Ecclesiæ suæ, quanquam de rigore juris cognitio hujus causæ pertineat ad Judicem sæcularem, tamen si consuetudo contraria invaluerit, pertinere potest ad forum Ecclesiasticum. Utrùm privativè verò, adeo ut conventio ista fieri non possit ad Tribunal laicum, vel cumulativè, ut possit ad utrumque, ex consuetudine decidendum erit. Quanquam in casu etiam, in quo valet privativa, de licentia Episcopi potest causa ista agitari coram Judice laico. ib. n. 5. ut ex Decr. S. Congr. Episcoporum Regularium confirmatis Brevi Pauli V, die 9 Martii 1617. ib. n. 5.

CENSURA.

Censuræ majores, ut excommunicatio, suspensio et interdictum, cum sint pœnæ graves, ferri non possunt, nisi ex graviore culpa, adeo ut suspensio à divinis ad longum tempus, sicut et interdictum etiam personale, nisi sit parziale, ne validè quidem in levem culpam possit inferri ex sensu plurium DD. De Syn. l. 10. c. 1. n. 3. Quod valet etiam de censuris quoque comminatoriis, et ferendæ sententiæ. ib. num. 5.

Parcissimi esse debent Episcopi in censuris latæ sententiæ ferendis; cum enim extrema ea sit pœna, pro extremo remedio gravibus criminibus puniendis, coercendisque reservanda est, ex constanti S. Congr. sensu. Lib. 10. c. 2. per totum.

Verumtamen prudenter ab Episcopis interdum sub pœna excommunicationis latæ sententiæ vetantur quædam ex natura sua leviora, sed ob grave scandalum, quòd inde consequeretur, si res vetita fuisset neglecta, res ipsa postulat, ut ita provideatur. Ita Pontifex defendit Constitutionem suam, qua vetuit, ne dispensati in Quadragesima à comestione carnum, pisces degustent. De Syn. Diœc. l. 10. toto c. 3.

Censuræ ab homine latæ à nemine tolli possunt nisi ab eo, à quo latæ sunt, vel ab ejus Superiore, si agnoscantur injustæ. Inst. Eccl. 55. n. 11. Adeo ut neque summus Pœnitentiarius Romæ censuras illas in aliquem nominatim latas tollere consueverit, ne jurisdictio Ordinariorum turbetur. ibid.

CENSUS.

Census realis licitus est, et immunis ab usura, nam venditur, et emitur jus percipiendi partem fructuum ex alieno fundo, quæ fructuum portio est pensio singulis annis solvenda. De Syn. Diœc. lib. 10. c. 5. n. 4.

Census verò personalis dubium est num de sua natura sit usu-

rarius necne. Constat tamen vetitum esse ex Constitutione S. Pii V, in qua constituuntur censûs conditiones. ib. n. 5.

Num conditiones illæ, quoad ea, quæ non sunt de jure naturali, ac divino, ex contraria consuetudine legitime præscripta cessaverint obligare apud quasdam Nationes, dubium est. Ac pro Hispania idem Pius V concessit non obligare, ut ex Gutierrez. ib. n. 5. Et revera accidere posse, ut ea contraria consuetudo alicubi invaluerit, scribitur. ib. Monet tamen Pontifex etiam in iis Diocæsesibus in quibus Piana Constitutio non viget, ut à censibus personalibus, præsertim utrimque redimibilibus absteineatur. ibid. n. 6.

CHOREMÆ.

Choreæ, quamvis ex sui natura sunt licitæ, vix tamen in actu, quomodo nunc fiunt, permitti possunt, cum plerumque sint peccandi occasio. Inst. Eccles. 76. n. 5.

Choreas verò à Clericis non sine peccato gravi agi posse Theologi plerique asserunt, ut firmatur Instit. Eccles. 76. n. 7. Quin et prohiberi possunt ab Episcopis Clerici omnes ne choreas ducant, ne in illis ludant instrumentis, quin nec permittant eas fieri in suis ædibus ecclesiasticis, canonicalibus, parochialibus, seu etiam beneficialibus deputatis pro domicilio Beneficiati, etiamsi illæ fierent nomine consanguineorum ibidem cohabitantium, quæ verba sunt Decr. S. C. relati. Instit. Eccles. 76. n. 8.

CHRISMA.

Ex can. *Si quis de alio*, de Consecr. dist. 4. colligitur vetitum esse Parochis aliud chrisma quàm ab Episcopo suo consecratum adhibere. Inst. Eccles. 81. n. 2. omni quacumque exemptione exclusa, ut ex Passerino. ibid.

Cum novum benedicitur, vetus comburendum est, nec licet absque necessitate veteri chrismate uti ad Extremam Unctionem, cum novum haberi potest, ut ex can. 122. dist. 4. de Consecrat. colligunt Doctores. ibid. n. 4.

Licitum est oleo consecrato admiscere aliquid olei non consecrati, quod attamen sit in minori quantitate, quàm consecratum; sed nec fas, nec ratio permittit, ut vetus oleum, cum potest novum haberi, ea admixtione perpetuetur. ibid. n. 4.

Cum Fontes die Sabbati sancti à Parochis benedicuntur, præstaret novo Chrismate ab Episcopo Feria V in Cæna Domini ejus anni benedicto ritum peragere. ib. n. 5.

Ex jure communi Can. *omni tempore*, Dist. 4. De Consec. non licet deferre sacra olea nisi Subdiaconis, vel Diaconis, vel Sacerdotibus. ib. n. 6.

Episcopi Latini infantes Græcos à Presbyteris Græcis in Italia et insulis adjacentibus confirmatos absolutè confirmant; nulla enim à Pontificibus data illis facultas est; ut confirmant, adeoque id egerunt invalidè. Bulla *Etsi Pastoralis* §. 3. Bull. Tcm. I. n. 57.

Qui confirmati sunt à simplici Græco Sacerdote invalidè, in Italia et insulis adjacentibus; non sunt cogendi, ut idem Sacramentum ab Episcopis iterum suscipiant, si inde scandala timeantur: « monendi tamen sunt ab Ordinariis locorum, eos gravis peccati reatu teneri, si cum possunt ad Confirmationem accedere, illam renuunt ac negligunt. ib. »

Græci ab Episcopo Græco-Catholico, si haberi possit, confirmandi sunt, Chrismate tamen à Latinis Episcopis accepto. ibid.

Presbyteri Græco-Catholici non sunt cogendi olea sancta accipere ab Episcopis Latinis Diœcesanis, cum ipsi ex veteri ritu illa conficiant seu benedicant, excepto tamen chrismate, quod non nisi ab Episcopo etiam juxta eorum ritum benedici debet; non tamen olea ista accipere audeant ab Episcopis Græcis externis diversæ ab Ecclesia Romana communionis. Quin nec accipiant ab alio Episcopo Latino seu Græco-Catholico, præterquam ab Ordinario suo, si sit Latinus. ib.

CLAUSURA.

Clausura virorum quoad eorum Monasteria asseritur in Bulla *Regularis disciplina*. Bull. Tom. I. num. 39. ex qua eruuntur sequentia:

Tanquam abusus declaratur ingressus promiscuè virorum cum fœminis intra septa, vel claustra Monasterii sub prætextu comitandi solemnes supplicationes, quæ fiunt intra eadem septa cum SS. Eucharistiæ Sacramento, sive cum Sanctorum Reliquiis, etc.

Confirmantur Constitutiones et Sanctiones omnes Romanorum Pontificum super Claustra Monasteriorum. Denique revocantur quæcumque facultates dispensandi quoad eandem Clausuram à quocumque et quibuscumque concessæ.

Suum tamen jus asseritur iis concessionibus, quæ ad favorem sunt quarumcumque nobilium fœminarum, eò quòd eorum majores fundatores, seu insignes benefactores ejusdem Monasterii extiterint, et de hac concessione confirmationem ab Apostolica Sede obtinuerint. Sicut etiam asseritur iis fœminis, quæ sunt consanguineæ, et affines eorum, qui dominium obtinent in temporalibus locis, ubi sita est Monasterium, dummodo tamen Apostolica concessio expedita sit in forma Brevis, vel sub plumbo, de qua re authentica documenta exhibita sint loci illius Ordinarii; dummodo tamen iis facultatibus utantur non ad evagandum per Monasteria, sed sola pietatis gratia, ac de eorum adventu et ingressu certiores antea fiant Superiores, etc.

Quoad Monialium clausuram provisum est in Bulla *Sabutare in Catholica*, Bullar. Tom. I. n. 40, qua in Constitutione hæc continentur.

Confirmantur Constitutiones omnes antecedentium Pontificum sub pœnis in illis contentis.

Revocantur facultates omnes dispensandi quoad hunc ingres-

sum, cuicumque et pro quocumque concessæ, et transgressores subjiciuntur iisdem pœnis, quibus subjacent violatores clausuræ Monialium.

Suum tamen jus conceditur, quoad dispensationes Ordinariis locorum, et aliis respectivè Superioribus, qui jus obtinent dispensandi in casibus necessariis, et servatis de jure servandis.

Moniales post Professionem neque etiam ad breve tempus exire possunt è Monasterio, nisi ex aliqua legitima causa ab Episcopo approbanda. Causæ autem sunt ex Extrav. Pii V incip. *Decorati* etc. incendium, lepra et epidemia. Inst. Eccles. 85. n. 14.

In consecratione tamen ex præscripto Pontificalis Romani exire debent è Clausura, et ingredi in Ecclesiam senioribus Matronis eas comitantibus, et statim ad clausuram redire. Ibid. n. 20.

Denique occasione consecrationis earumdem Monialium non licet Episcopo ingredi in clausuram, nec multò magis licet id agere è Magistro cæremoniarum, et consanguineis consecrandarum Virginum. Ita ex eodem Decreto. ibid. n. 21.

Violantes clausuram Monialium ad malum finem, non tamen prætextu facultatum obtentaram, non evitant excommunicationem reservatam Pontifici; quam etiam incurrunt admittentes hujusmodi violatores, neque excusantur ex contraria consuetudine etiam post Concilium introducta. Ita ex alio Decr. Sacr. Congr. ibid. n. 21.

Educandas puellas et famulas in clausuram Monialium introduci quacumque ex causa vetat Pontifex sine authentica Apostolicæ Sedis licentia toties quoties impetranda, et prævio examine Ordinariarum loci, ubi sita sunt Monasteria, super moribus, fama, habilitate, necessitate, ipsarum educandarum seu famularum. Ita in litteris ad Episcopum Portugaliensem. Bullar. Tom. II. n. XXVI.

CLERICI.

Clericis omnibus vetari ab Episcopo potest gestatio ficti capillitii; beneficiatis verò etiam in sacris non constitutis, sicut etiam cæteris sacris initiatis, fas est Episcopo id prohibere etiam sub excommunicatione, uti ex pluribus Decretis S. Congr. De Syn. Diœc. I. II. c. 9. n. 4. et Inst. Eccles. 96. n. 5.

Sacerdotibus verò sacrum operantibus nunquam uti licet eo capillitio, nisi de licentia Sacræ Congregationis; nec etiam sufficit Episcopalis permissio, uti ex litteris Innoc. XII ad Nuncios Apostolicos et Episcopos datis. De Syn. Diœc. ibid. n. 5.

Sententia asserens omnem quamcumque venationem à sacris Canonibus interdictam esse Clericis, magis juri conformis est. De Syn. Diœc. I. II. c. 10. n. 8. Quare nimis rigoris damnandæ non sunt Constitutiones illæ Synodales Episcoporum, quæ indicta pœna Clericos ab omni venatione remouent. ib. n. 10.

Sententia quorundam asserens non fore reos lethalis criminis

Clericos comœdiis quantumvis turpibus assistentes; si hoc fiat citra scandalum, et probabile periculum lapsûs, erronea et scandalosa est. De Synodo Diœcesana lib. 11. cap. 10. num. 12.

Clerici non conjugati, beneficiati sine tonsura, et clericali veste incedentes, non quidem gaudent beneficio fori et canonis, ut ex Trident. sess. 25. c. 6. *de Ref.* sed longè probabilius gaudent aliis privilegiis clericalibus, putà exemptione reali ab oneribus laicalibus, de quibus Cap. *Odoardus, de solut.* cùm Tridentinum non adimat illis nisi tantùm privilegium Fori et canonis, De Synodo Diœcesana lib. 12. cap. 2. num. 1. Quin etiam per legem Tridentini non privatur Episcopus jurisdictione puniendi illos tanquam sibi subditos; neque enim lex Tridentini aliud operatur; nisi ut Clericus delinquens forum sæculare declinare nequeat. Ita decisum refertur à S. Congr. apud Sperellum Decis. 17. n. 33. 34. ib. n. 4. Insuper ex alio Decreto dato Archiepiscopo Neapolitano, jus est Episcopo eosdem clericos delinquentes, quando neque à jure neque ab homine per declarationem sunt denudati privilegiis clericalibus, è manibus judicis laici repetere. ib. Est autem hoc decisum quoad Clericos conjugatos à S. C. Immunitatis in Causa Alatrina jurisdictionis die 27 Martii 1633. ib. n. 5.

Clericos post dimissionem clericalis vestis committentes delictum, iterumque illam resumentes, si absque dolo ac fraude id egerint, gaudere privilegio certum est. Vicissim constat illis non suffragari, si egerint cum fraude. Cognoscere tamen de fraude non est judicis sæcularis, sed ecclesiastici. Utrùm verò de fraude ista prius constare debeat ad hoc, ut Judex laicus possit procedere realiter contra bona Clerici, quæstio est inter Doctores, in qua affirmativa sententia facilius admittitur. Porro in fraudem resumere habitum censeretur ille, qui post relictam vestem crimenque commissum, actus in carcerem à judice sæculari, fuga se, vel aliqua ratione subtrahit, tuncque clericalem vestem resumpsit. De Synodo Diœcesana lib. 12. cap. 3. num. 1. et 2.

Non potest Episcopus generali Constitutione cavere, ne Clerici tonsurati post vestis dimissionem iterum illam resumant sine licentia Episcopi, ut decisum à S. Congreg. refertur ibid. n. 3.

Ad hoc autem, ut evitentur ea in re dissensiones inter utramque potestatem ecclesiasticam et laicam, suadendum, ut Episcopus per edictum generale mandet Clericis, ut incedant in habitu et tonsura, ac deserviant alicui Ecclesiæ per certum tempus; quo elapso transgressores admoneat tribus distinctis vicibus, ut pareant. Contravenientes dein per sententiam declaret eos propria culpa excidisse à juribus clericalibus, neque deinceps ad ea restituendos fore. Hujus sententiæ vi transgressores illi neque resumpta veste privilegio fori gaudent. ib. n. 4.

Ecclesia, cui inserviendum à clerico est, ut fori privilegio fruatur, designanda est ab Episcopo; si tamen alteri à designata inserviat, adhuc gaudet, ut à S. Congr. decisum refertur. ibid. l. 12. c. 6. n. 5.

Non incedentes in habitu et tonsura, præcedente admonitione,

etiam per edictum suspenduntur ab Ordinibus, officio et fructibus beneficii ex Trid. sess. 14. c. 6. *de Ref.* Quin et ex bulla *Cum sacrosanctam* Sixti V, privantur ipso facto omnibus dignitatibus, canonicatibus et beneficiis simplicibus, ac pensionibus. Ab his verò poenis excipit in alia Bulla habentes pensionem non excedentem summam ducatorum sexaginta de Camera. Quæ tamen postrema dispositio cum agat de pensionibus, non revocat dispositionem prioris Bullæ, quæ ligat etiam beneficia minoris valoris, ut ex sacra Congr. firmatur. Inst. Eccl. 71. n. 12.

Clerici ab exercitio sui Ordinis suspensi, si ab eo abstinuerint, esto absque prævia absoluteione ad altiorem Ordinem transierint, quanquam id agant sacrilegè, irregularitatem non incurrunt; quæ est magis communis sententia. De Syn. Diœc. 1. 12. c. 3. n. 6.

Clericos, ne ad sacros et ultiores Ordines ascendant, prohibere potest Episcopus de occulto eorum crimine ex informata tantum conscientia conscius, sicut eo modo suspendere Clericos à Divinis, ut à S. C. decisum traditur. De Synodo Diœcesana lib. 12. cap. 8. num. 3. Quod adeo verum est, ut nullo jure obstringi possit ad causam ejus suspensionis manifestandam. Fas est tamen reo querelas tantummodo suas, non appellationem Sedi Apostolicæ exponere, ut ex responso S. C. traditur. ib. n. 4. Ex quo fit ut etsi reus appellationem interposuerit, si interim Ordinem suum solemniter exercuerit, continuo irregularitatem incurrat. ib. n. 5.

Clerici, antequam ordinentur in sacris, studium saltem Theologiæ Moralis præmittere tenentur, ita enim intelligenda est sanctio Trident. sess. 23. c. 14. injungens ut ordinandi «ad populum docendum ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, ac ad ministranda Sacramenta idonei comprobentur;» atque hoc injunctum est à Bened. XIII, confirmando Bullam *Apostolici ministerii, etc.* datam pro reformatione Cleri Hispaniæ, et tanquam normam pro aliis Episcopalibus. Inst. Eccl. 2. n. 4 et 5.

Clerici ordinandi in sacris cogendi sunt ad præmittenda exercitia spiritualia decem dierum, ut olim Episcopis Italiæ, et insularum adjacentium mandavit in encyclica Innoc. XI. et innovavit alia encyclica Clemens XI. Inst. Eccles. 104. num. 5.

Non debet Episcopus præcipere, ut Clerici minoribus Ordinibus initiati, vel etiam majoribus Subdiaconatûs, etc. ad sacros Ordines ascendant, etiamsi id facile constituat ad evitanda scandala minorum Clericorum, qui otio et vitiiis se dedunt; id enim ecclesiasticæ disciplinæ repugnat. De Syn. Diœc. Lib. XII. c. 4. num. 2. Id tamen verum est, si quidem Clerici nullum beneficium ecclesiasticum obtineant, vel obtineant quidem beneficium, sed non ex illis, quibus annexum est onus suscipiendi sacros Ordines. ib. n. 3. Qui enim obligationem beneficio suo annexam neglexerunt, beneficio privantur. Ex Trid. Cap. 12. Sess. 24. de Ref., nisi tamen justo impedimento excusari possint

ib. n. 6, saltem dummodo hoc impedimentum ab illis prævisum non fuerit, antequam beneficium acceperint.

Excipitur tamen nisi aliter exposcat necessitas Ecclesiæ. id. n. 7.

Sacerdotum penuria non satis est causæ, ut Clerici illiterati ad sacros Ordines promoveantur, ut à S. C. Concilii decisum refert Fagnanus in Cap. *Quæris* n. 18. De *Ætat. et Qualit. præficiend.*

Clerico interdictum est ex Constitutione. S. Pii V, *Qui ordini*, ne quid intestamento relinquat filiis suis illegitimis, eorumque filiis, ac descendantibus, consanguineis, et affinibus sive ex re- ditibus, ex bonis ecclesiasticis, sive ex patrimonialibus comparatis, etiamsi filii illi ante testatorem obierint. Attamen sanctio ista non excludit quominus alimenta filiis illegitimis debeantur etiam ex re- ditibus ecclesiasticis. Cùm verò vetatur legatum in favorem consanguineorum ejusdem filii, hoc tantum valet in casu, quo relicta ejus consanguineis per quemdam circuitum cedant in commodum ejusdem filii illegitimi, de Syn. Diœc. l. 13. c. 24. n. 21.

CONCILIUM TRIDENTINUM.

Consuetudo contraria Decretis sacri Conc. Trid. non est at- tendenda, quia in Bulla Pii IV quæ legitur in fine ejusdem Concilii, legitur Decretum irritans ea omnia, quæ obstant eidem sacro Concilio, ex quo fit, ut irritatio ista cadat su- pra omnia obstantia singulis Capitulis ejusdem. Inst. Eccles. 60. n. 7.

Cùm in sanctionibus Concilii additur: *salva semper aucto- ritate Sedis Apostolicæ*, quæ verba semper addita voluit idem Concilium Sess. 25. cap. *Final.* cùm de reformatione morum, et ecclesiastica disciplina agitur, tunc in dispensationibus à Ro- mano Pontifice concessis semper intelligitur derogatum sanctioni ejus Concilii, etiamsi hæc derogatio non exprimatur, juxta ac definivit S. Pius V in suo motu proprio apud Garciam de Be- nef. part. 4. c. 5. n. 32 et 33. et censuit S. Cong. Conc. De Syn. Diœc. lib. XIII. cap. 24. num. 23.

CONCIO.

Parochi singuli tenentur Concionem habere in suis Ecclesiis, nec excusantur ex consuetudine etiam immemorabili, sive quòd in aliis Ecclesiis conciones habeantur, sive ex infrequenti audi- torum numero. Ita Innoc. XIII in sua Constitutione pro refor- manda disciplina Regnorum Hispaniæ, quam Bened. XIII confirmavit ut esset norma cæteris Ordinariis. Inst. Eccl. 10. num. 3. Sufficit tamen pro concione allocutio pia, singulis festis, ut respondit S. C. die 8 August. 1732.

Concionatores Regulares tenentur petere ab Episcopo bene- dictionem, etsi velint in Ecclesia sui Ordinis conciones habere,

ex Bulla Clementis X *Suprema*. Inst. Eccl. 27. n. 8. In alienis verò Ecclesiis licentia et benedictio Episcopi etiam Regularibus requiritur ex Tridentino Sess. 5. c. 2. *ibid.*

Interdici potest Regularibus prædicatio etiam in suis Ecclesiis facta eo tempore, quo Episcopus per seipsum concionem habet etiam in alia Ecclesia. De Synod. Diœc. lib. 9. cap. 17 num. 7.

Si verò Episcopus coram se prædicare faciat, seu prædicationes etiam in sua Ecclesia audiat pro consueto more Adventus et Quadragesimæ, prohibere non potest Regulares, ne eodem tempore in suis Ecclesiis prædicent. Nequeunt verò prohibente Episcopo prædicare eo tempore, quo Episcopus ex publica causa convocatis Clero, Magistratu et populo coram se prædicari facit, quod ex Clementina *Dudum de sepulturis* eruitur. De Syn. Diœc. l. 9. c. 17. n. 7.

Concionem proprii parochi, quam in parochiali Ecclesia diebus festis habet, auscultare parochiani non tenentur, præcipiente licet Tridentino, cujus sanctionem contraria modo consuetudo abrogavit. De Synodo Diœcesana Lib. XI. cap. 14 num. 13.

Concionatores si per scurrilitatem *Verbum Dei*, *veluti in scenam adducant*, non *levem culpam* admittunt, sed *grande piaculum*; ita ex verbis encyclicæ S. C. Conc. sub Innoc. XI datæ 6 Jul. 1680. Inst. Eccl. 27. n. 15.

CONCURSUS.

In concursu ad Parochialem, si collatio pertinet ad Episcopum, iudicium de digniori ex approbatis ab examinadoribus pertinet ad illum; si verò beneficium sit Patronatus ecclesiastici, tunc prælatio ad Patronum spectat. Si patronatus sit laicus, ab examinadoribus deputatis approbandum, sed sine concursu, patronus debet eligere. Si tamen in Patronatu laicali plures sint patroni, et à singulis suos præsentetur, ita ut singuli non habeant jus præ alio, tunc concursus instituendus est, et ad Episcopum pertinet prælectio inter approbatos, ut ex Decreto S. C. apud Barbosam. De Syn. Diœc. l. 4. c. 8. n. 8 et 9.

Sede vacante in concursibus electio est Vicarii Capitularis, nam ad illum tota iurisdicctio Capituli devolvitur. num. 10.

In concursu examinadores tenentur iudices esse non tantum doctrinæ, sed et cæterarum dotum, quæ necessariae sunt ad parochiale officium. Ita Pontifex in Bulla *Cum illud*, Bull. tom. I. n. 68. In concursu habendo hæc servanda. *ib.*

Habita notitia vacationis Ecclesiæ, Episcopus Vicarium deputet cum emolumento ejus arbitrio assignando.

Episcopus publicet Edictum concursus, præfinito tempore ejus habendi, intra quod tempus concurrentes deferant personæ ab Episcopo deputandæ suarum qualitatum, meritorum et munerum documenta sincera, sive judicialia, quæ eo tempore elapso nequaquam recipiantur.

Die ad concursum indicta, summa eorum documentorum à Cancellario Episcopali confecta tradatur illi, qui concursui præest, et singillatim omnibus Examinatoribus. Tum habeatur concursus assignatis singulis concurrentibus iisdem quæstionibus, eodemque Evangelii textu, super quo sermonis aliquid concurrentes præscribant. Hæc omnia dicentur omnibus eodem pariter tempore, et in eodem conclavi clausis: assigneturque omnibus congruum tempus ad respondendum. Responsa sua quisque manu scribat sermone latino, suaque itidem manu subscribat. Sermo ad populum habendus vernacula lingua scribatur. Responsa demum ipsa subscribat tum Cancellarius concursus, tum Superior, qui præest, ac demum Examinatores singuli.

Tenentur etiam ab Examinatoribus explorari concurrentes, qua peritia polleant in lingua Latina, tradendo illis explicandum aliquid sive de sanctis Patribus, sive de Concilio Tridentino, aut Catechismo Romano, quod oretenus fieri potest.

Responsa ita subscripta etiam ab Examinatoribus, qui pauciores tribus esse non possunt, una cum notula compendiaria requisitorum tradentur Cancellario custodienda, penes acta secreta nemini ostendenda.

Si quis appellandum duxerit à mala relatione Examinatorum, vel irrationabili iudicio Episcopi, coram iudice appellationis acta integra concursus introducantur, qui illis visis, nec aliter quam ex illis sententiam suam ferat tam respectu doctrinæ, quam morum.

Si in casu dictæ appellationis Episcopus censeat significandum Judici appellationis secretam causam, ob quam motus fuerit ad alium eligendum, poterit sub secreti lege illam Judici etiam per litteras significare.

Quòd si Episcopo suspecta sit fides Judicis de secreto illo prodendo, litteris suis eadem deferat S. Congr. Concilii Præfecto.

Judex appellationis, quando appellatio fit à malo iudicio Episcopi, seu mala relatione Examinatorum, cognoscere debet non solum de doctrina, sed etiam de cæteris dotibus electi ab Episcopo.

Si Judicis appellationis sententia conformis sit electioni Episcopali, tunc ab appellatione ulteriori cessandum est. Secus verò si acciderit, licet præelecto Episcopali secundò et tertio appellare. Demum cui duæ conformes assistunt sententiæ, ille victor habeatur.

Si verò beneficium curatum, Dignitas et Canonicatus à Sede Apostolica conferendum sit, tunc concursus, non expectata ulla Pontificis venia, ab Episcopo indicatur. At si beneficium curatum sit, et reservatum sit tantummodo ratione mensium, Episcopus eligat magis idoneum, et illum Datarie significet, cui acta concursus, nisi requirantur, non tenetur transferre. Vicissim transferat illa, et suspendat à ferendo iudicio, si reser-

vatio ex alio quovis capite sit. Licebit tamen Episcopo denunciare illum, quem credit magis idoneum fore Beneficio, sicut et si alicui occulta aliqua causa obsit, ne Beneficium obtineat. *ibid.*

CONFESSARIUS.

Confessarii temerè interrogantes pœnitentes suos de socio criminis, alioquin denegantes absolutionem, suspensionis ab officio censuram sententiæ ferendæ incurrunt, peccant graviter, et sunt denunciandi, si agnosci possit illos hanc sibi praxim tanquam licitam statuisse. Sicut etiam denunciandi sunt, qui id licere docent. Ita Bened. XIV in Constitutione *Ad eradicandum*, etc. Ibi etiam additur, pœnitentes illos, quos ad prodendum nomina complicum Confessarius adegerit, non teneri ad denunciandum eosdem Confessarios, id agentes ex quadam imprudentia ac simplicitate, quique eidem praxi addicti ex circumstantiis agnosci non possint.

Confessarii pœnitentes suos ad turpia sollicitantes denunciandi sunt ab eodem pœnitente, quæ denuntiatio fieri debet, etiamsi Confessarius sit simplex Sacerdos, et jurisdictione careat.

Etiamsi pariter sollicitationi ipse pœnitens non consenserit.

Etiamsi post ipsam sollicitationem tempus longum jam effluxerit.

Etiamsi sollicitatio fiat à Confessario non pro se, sed pro alio.

Confessarii caveant, ne pœnitentes, quos noverint ab alio sollicitatos, absolvant, nisi prius, sive denuntiationem fecerint, vel saltem promiserint se denunciatiuros quamprimum poterunt. Ita in Bulla *Sacramentum pœnitentiæ*. Bull. T. I. n. 20.

Confessarius caret omni auctoritate et jurisdictione absolvendi socium criminis turpis in ordine ad illud crimen cum illo commissum; et si nihilominus ausus fuerit absolutionem hanc impertiri, ipso facto incurrit excommunicationem Summo Pontifici reservatam; quæ absolutio socii criminis neve in ipso Jubilæo, vel privilegio Bullæ *Cruciatæ* impendi valet. *ibid.*

In mortis verò articulo si adsit quicumque alius Sacerdos, qui præsentī necessitati provideat, et Confessarius socius criminis nihilominus pœnitenti aliàs disposito impenderit absolutionem, absolutio quidem ipsa valet, at Confessarius lethaliter peccat, et excommunicationem reservatam incurrit. Quare non potest id agere Confessarius nisi cùm necessitas urgeat mortis, nec adsit alius Sacerdos saltem simplex, qui impertiri eandem absolutionem possit; vel saltem nisi ipse non posset ab hoc munere vacare sine gravi aliqua infamia vel scandalo. Tenetur proinde omnia media adhibere citra scandalum, vel infamiam suam ad hoc, ut ipse se subtrahat, et alium, si fieri possit, substituat. Ita Pontifex in declaratione prioris Bullæ *Sacramen-*

tum Pœnitentiæ nova sua Bulla Apostolici muneris. Bull. Tom. 1. n. 120.

Injungitur Ordinariis, ut in approbatione Confessoriorum constitutionem Gregorii XV et præsentem Bened. XIV, ab omnibus Sacerdotibus approbandis attentè legi et observari curent. Ita in Bulla *Sacramentum Pœnitentiæ.* Bull. Tom. 1. n. 20.

Confessarii absolutio data ignorantibus necessaria necessitate mediæ est invalida, *Encyclica Etsi minimè.* Bull. Tom. 1. n. 42.

Si verò ignoret pœnitens necessaria necessitate præcepti, et ritè doleat de hac ignorantia, ac emendationem promittat, posse absolvi judicat. *ibid.* §. 12.

Confessarius si audierit Pœnitentem et non absolverit, requiraturque de attestatione confessionis in scriptis, debet illam concedere, non tamen unquam affirmare debet se illum absolvisse, nec tunc pariter cum illum absolverit, nam aliàs si de aliquo hoc attestatus fuisset, et de aliquo non, revelationis Confessionis periculum subiret. *Inst. Eccl.* 45. n. 10.

Patres Capuccini si adsint in loco, ubi nullus conventus seu hospitium sui ordinis existit, nullusque frater sui ordinis confessarius ibidem existit, possunt confessiones suas habere apud Presbyterum sæcularem confessarium approbatum ab Ordinario loci, seu apud Regularem approbatum à suo Superiore regulari ad confessiones habendas, non obstante statuto suæ Religionis in contrarium. Bulla, *Quod communi.* Bull. Tom. 1. n. 49. §. 2.

Confessarii Regulares non tenentur adesse resolutioni casuum conscientiæ, quæ habetur coram Episcopo pro tota Diœcesi, tenentur tamen in suis monasteriis habere et interesse lectioni eorundem casuum. Quæ lectio habenda est in singulis monasteriis ex Apostolico præscripto; cui si non interfuerint, potest Episcopus illos cogere, ut intersint Congregationi casuum conscientiæ, quæ habetur coram illo ex præscripto SS. Canonum. Ita ex *Encyclica S. Congregationis data die 29 Maii ann. 1752,* et est in *Append. Tom. IV. Bull. Bened. XIV,* pag. 35. (*Vol. 12. pag. 254. et seq. Edit. Mechl.*) ubi pariter adest *Decretum alterum Congregationis editum anno 1682,* in quo id statuitur in favorem Regularium etiam in iis Monasteriis, in quibus non degunt XII viri Religiosi.

CONFESSIO.

Nemo unquam quodcumque privilegium obtinens audire potest confessiones sæcularium absque approbatione Ordinarii, idque valet etiam pro Confessionibus venialium et mortalium, quæ aliàs clavibus subjecta sunt. Id etiam comprehendit eos, qui privilegium Bullæ *Cruciata* obtinuerunt, ut ex Bulla *Bened. XIII,* *Inst. Eccl.* 86. n. 8.

Per Confessionem factam cuilibet Sacerdoti sæculari, vel Regulari ab Episcopo approbato satisfieri canoni *Omnis utriusque sexus* ex Constitutionibus Clementis VIII, anno 1562, et Inno-

centii X, anno 1645, incipiens, *Exponi nobis*, constat. D. Syn. Dioec. lib. 9. cap. 18. n. 4.

Etiam non commissa gravi culpa præceptum annuæ confessionis obligat, ut qui se peccatorem saltem semel quotannis recognoscat, ut ex S. Th. in 4. Sent. dist. 17. Q. 3. A. C. Quæstione 3. Institut. Eccles. 18. n. 4.

Parochus quamvis plerumque credere debeat Parochiano suo asserenti, se confessionem peregrisæ, si tamen prudenter credere non possit asserenti, abstinere debet ab administranda eidem communione etiam Paschali, ut ex Roncaglia. Inst. Eccles. 45. n. 15.

Si pœnitens tempore Paschæ absolutionem obtinuit, sed ex consilio Confessarii admonetur, ut aliquo tempore absteineat à communione, potest parere absque peccato. Non tamen potest Confessarius ad arbitrium prorogare eam communionem, ut ex cap. *Omnis utriusque sexus*, de Pœnit. et Remis. ib. n. 16.

Possunt Episcopi limitatam facultatem audiendi Confessiones dare Regularibus, etiamsi post examen idoneos illos reppererint. Inst. Eccl. 86. n. 9.

Quoad Confessionem factam laico in necessitate dum non adest copia Sacerdotis, de qua sermo fuit olim apud veteres Theologos, et etiam apud S. Thomam, rectè docet Pontifex, neminem ex veteribus illis agnovisse, laicum esse verum Ministrum hujus Sacramenti; sed eam confessionem testimonium esse animi demissi, et humilitatis, ex quo magis flectitur Deus ad elargiendam uberiorem gratiam, qua quis ad contritionem et justificationem excitetur. Nihil tamen secius hanc nunquam fieri præstat, cum multis incommodis sit obnoxia. De Syn. Dioec. l. 7. cap. 16. per totum, ubi rectè ex Decreto Clementis VIII illicita esse, et invalida Confessio facta Sacerdoti absenti per internuntium notatur.

In locis, ubi rarissimi sunt Sacerdotes, qui audiant confessiones, sufficit ad eos approbandos scientia minus quam mediocris ut ex Card. de Lugo. Inst. Eccles. 86. num. 12.

CONFIRMATIO.

Confirmationem Sacramentum esse novæ legis constat tum ex definitione Trident. Sess. 7. Can. 1. cum ex Act. VIII. illis verbis: *Imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum Sanctum*. Inst. Eccles. 6. num. 3.

Sacramentum hoc conficitur impositione manuum Episcopi et prece. Quandam illud instituerit Christus, qui unicus est auctor Sacramentorum, incertum, num tunc cum imposuit manus capiti puerorum, Matth. 19, num instituerit tantum, non ministraverit: num in ultima cœna cum dixit Apostolis: *Accipite Spiritum Sanctum*; num tandem ipsa Pentecostes die; ignoratur. ib. n. 5.

Quamquam gratia prodigiorum, quam olim infundebat, modò cessavit, id non amplius exigente Ecclesia, gratiæ tamen sauc-

tificantis donum modò pariter datur, S. Augustino testè, de Bapt. l. 3. c. 16. Quæ tamen gratia Sacramentum recipientibus amoto peccati obice confertur, ut sit potiùs gratiæ præcedentis augmentum. Producit etiã robur et firmitatem quãdam spiritualium virium, quibus Diabolo resistamus. ib. n. 7.

Tandem characterem imprimi indelebilem, quo datur potestas quædam spiritualis in ordine ad aliqua gerenda, quæ à perfectioribus agenda sunt. Ex quo fit, ut reiterari non potest. ib. n. 7.

Necessitatem quam vocant absolutam hujus sacramenti recipiendi nemo utique esse affirmaverit; sed vel in re, vel in voto planè necessarium est necessitate præcepti, et quidem divini, tempore persecutionis. Neque Parochi, neque parentes, nec qui sunt loco parentum, sunt eximendi à lethali culpa si non instent, ut subjecti sibi Parochiani, et quos habent subjectos Confirmationem ab Episcopo parato recipiant. ibid. n. 9 et 10.

Quoad ætatem chrismandorum, ex regula ordinaria conferendum est hoc Sacramentum pueris post septennium; sed in aliquo extraordinario casu justa urgente causa, non vetatur, quin possit etiã ante eam ætatem ministrari. Justam causam adesse constat, si facilis ad pueros illos in posterum non sit futurus Episcopi accessus, etc. Ita in Bulla pro Cophtis *Anno vertente*, Bull. T. III. n. 30. et de Synod. Diœc. l. 7. cap. 10. num. 5.

Confirmationis Minister ordinarius est Episcopus, extraordinarius verò de Pontificis mandato Sacerdos quilibet esse potest, quod hodie certum est, licèt olim Doctores quidam dubitaverint. De Syn. Diœc. l. 7. c. 7. per totum. Utitur tamen simplex Sacerdos Chrismate ab Episcopo benedicto, quanquam probabilis est eorum opinio, qui tenent Chrisma illud ex commissione Summi Pontificis benedici à simplici Presbytero posse, nec desunt rara quidem exempla, ibid. c. 8. per totum. Cæterum tenendum est, irritam fore Confirmationem à simplici Presbytero Latino ex sola Episcopi delegatione collatam; nam Romanus Pontifex ex consuetudine in tota Ecclesia Latina jamdiu recepta tacitè sibi hanc facultatem reservasse censendus est. Hæc etiã reservatio, utpote jurisdictionem restringens, valet utique ad hoc, ut Episcopus jurisdictione ad delegandum careat. ib. c. 8. num. 7.

Confirmationis Sacramentum cum oleo, et Chrismate etiã veteri, si novum haberi non possit, sed tamen à Catholico Antistite benedictis, conferri à P. Guardiano S. Sepulchri Ordinis Minorum de Observantia, si defuerit Episcopus latini ritûs, in sua Diœcesi residens, conceditur à Pontifice suo Brevi incipiente *Cum ad infrascriptam*. Id tamen personale esse privilegium datum Guardiano petenti constat. Extat Bulla. in Bull. Tom. I. n. 10.

Idem etiã concessum est à S. Congr. et confirmatum à Bened. XIV in sua Constitutione *Anno vertente* Bull. Tom. III. n. 30. Præfecto Missionum Ægypti, donec aliquis catholicus Episcopus in Ægypto habeatur.

Confirmatio à Græcis Sacerdotibus collata in locis Græco-

rum, in quibus mos iste non est expressè improbatum à Sede Apostolica, valere censenda est ex consensu tacito Romani Pontificis, de Syn. Diœces. l. 7. cap. 9 et Constit. pro Cophis catholicis, Bull. Tom. III. n. 30. quæ constitutio incipit *Anno vertente*. In qua tamen monentur Chrisma illud benedicendum esse ab Episcopo.

Animi dispositiones ad dignè recipiendum hoc Sacramentum sunt status gratiæ, quæ in adultis lethali crimine infectis comparatur plerumque per Sacramentum Pœnitentiæ. Inst. Eccl. 6. n. 11.

Corporis dispositiones, non tamen necessariò præmittendæ, sunt plerumque confirmandi, et confirmantis jejunium, quod consulit Pontificale Romanum. ib. n. 12.

Patrinus unicus assistere debet confirmando, mas maribus, fœmina fœminis, qui etiam Patrini debent esse confirmati. ib. n. 13.

Mares seorsum à fœminis accedere par esset, ut honestius res perageretur, ut ex Concilio Mediolanensi. ibid. num. 13.

Porro Patrinus manum suam dexteram dextero humero chrismandi imponat. ib. num. 16.

Tempore pestis, eo morbo affectis non tenetur Episcopus hoc Sacramentum ministrare, cum Sacramentum hoc non sit absolutæ necessitatis. De Syn. Diœc. l. 13. c. 19. num. 6.

In confirmatione tempore pestis non potest fieri inunctio frontis mediante penicillo, nec sanè valeret sic collata; cum ex consensu fere omnium Theologorum ad valorem requiratur aliqua manus impositio, quæ certè non fieret cum alio medio, quàm pollice, vel manu, confirmandi frons oleo liniretur. De Syn. Diœc. l. 13. c. 19. num. 15.

CONFRATERNITATES LAICORUM.

Duæ Confraternitates ejusdem instituti in uno eodemque loco esse non possunt ex Bulla 105. Clementis VIII. Cum tamen amplior est Civitas, vel populus frequens, binæ tolerantur. Inst. Eccl. 105. n. 86.

Si Confraternitas sit erecta in Ecclesiis Regularium Exemptorum, subest tamen jurisdictioni et visitationi Episcopi, cui jus est etiam visitare eorum capellas ibidem positas, in iis tamen, quæ *Confraternitatum gubernationem respiciunt*. Etsi confratribus incumbit onus manutenendi altare, et illius cultum; sicut et ornamenta altaris, onera Missarum, et divinorum officiorum ibidem celebrationem, etc. Ita ex resolutione Sacræ Congr. ib. n. 88.

Confraternitates laicorum nequeunt aggregationem petere ab Archi-confraternitatibus Romanis, nisi prævia approbatione Ordinarii loci, seu Episcopi cum interventu duorum de Capitulo. Ita ex Constit. 115. Clem. VIII, additis Decretis Sacræ Congr. ib. n. 89. Aggregatorum verò administratores rationem

tificantis donum modò pariter datur, S. Augustino testè, de Bapt. l. 3. c. 16. Quæ tamen gratia Sacramentum recipientibus amoto peccati obice confertur, ut sit potiùs gratiæ præcedentis augmentum. Producit etiã robur et firmitatem quandã spiritualium virium, quibus Diabolo resistamus. ib. n. 7.

Tandem characterem imprimit indelebilem, quo datur potestas quædam spiritualis in ordine ad aliqua gerenda, quæ à perfectioribus agenda sunt. Ex quo fit, ut reiterari non potest. ib. n. 7.

Necessitatem quam vocant absolutam hujus sacramenti recipiendi nemo utique esse affirmaverit; sed vel in re, vel in voto planè necessarium est necessitate præcepti, et quidem divini, tempore persecutionis. Neque Parochi, neque parentes, nec qui sunt loco parentum, sunt eximendi à lethali culpa si non instent, ut subjecti sibi Parochiani, et quos habent subjectos Confirmationem ab Episcopo parato recipiant. ibid. n. 9 et 10.

Quoad ætatem chrismatorum, ex regula ordinaria conferendum est hoc Sacramentum pueris post septennium; sed in aliquo extraordinario casu justa urgente causa, non vetatur, quin possit etiã ante eam ætatem ministrari. Justam causam adesse constat, si facilis ad pueros illos in posterum non sit futurus Episcopi accessus, etc. Ita in Bulla pro Cophtis *Anno vertente*, Bull. T. III. n. 30. et de Synod. Diœc. l. 7. cap. 10. num. 5.

Confirmationis Minister ordinarius est Episcopus, extraordinarius verò de Pontificis mandato Sacerdos quilibet esse potest, quod hodie certum est, licèt olim Doctores quidam dubitaverint. De Syn. Diœc. l. 7. c. 7. per totum. Utitur tamen simplex Sacerdos Chrismate ab Episcopo benedicto, quanquam probabilis est eorum opinio, qui tenent Chrisma illud ex commissione Summi Pontificis benedici à simplici Presbytero posse, nec desunt rara quidem exempla, ibid. c. 8. per totum. Cæterum tenendum est, irritam fore Confirmationem à simplici Presbytero Latino ex sola Episcopi delegatione collatam; nam Romanus Pontifex ex consuetudine in tota Ecclesia Latina jamdiu recepta tacitè sibi hanc facultatem reservasse censendus est. Hæc etiã reservatio, utpote jurisdictionem restringens, valet utique ad hoc, ut Episcopus jurisdictione ad delegandum careat. ib. c. 8. num. 7.

Confirmationis Sacramentum cum oleo, et Chrismate etiã veteri, si novum haberi non possit, sed tamen à Catholico Antistite benedictis, conferri à P. Guardiano S. Sepulchri Ordinis Minorum de Observantia, si defuerit Episcopus latini ritûs, in sua Diœcesi residens, conceditur à Pontifice suo Brevi incipiente *Cum ad infrascriptam*. Id tamen personale esse privilegium datum Guardiano petenti constat. Extat Bulla. in Bull. Tom. I. n. 10.

Idem etiã concessum est à S. Congr. et confirmatum à Bened. XIV in sua Constitutione *Anno vertente* Bull. Tom. III. n. 30. Præfecto Missionum Ægypti, donec aliquis catholicus Episcopus in Ægypto habeatur.

Confirmatio à Græcis Sacerdotibus collata in locis Græco-

rum, in quibus mos iste non est expressè improbatus à Sede Apostolica, valere censenda est ex consensu tacito Romani Pontificis, de Syn. Diœces. l. 7. cap. 9 et Constit. pro Cophitis catholicis, Bull. Tom. III. n. 30. quæ constitutio incipit *Anno vertente*. In qua tamen monentur Chrisma illud benedicendum esse ab Episcopo.

Animi dispositiones ad dignè recipiendum hoc Sacramentum sunt status gratiæ, quæ in adultis lethali crimine infectis comparatur plerumque per Sacramentum Pœnitentiæ. Inst. Eccl. 6. n. 11.

Corporis dispositiones, non tamen necessariò præmittendæ, sunt plerumque confirmandi, et confirmantis jejunium, quod consult Pontificale Romanum. ib. n. 12.

Patrinus unicus assistere debet confirmando, mas maribus, fœmina fœminis, qui etiam Patrini debent esse confirmati. ib. n. 13.

Mares seorsum à fœminis accedere par esset, ut honestiùs res perageretur, ut ex Concilio Mediolanensi. ibid. num. 13.

Porro Patrinus manum suam dexteram dextero humero chrismandi imponat. ib. num. 16.

Tempore pestis, eo morbo affectis non tenetur Episcopus hoc Sacramentum ministrare, cum Sacramentum hoc non sit absolutæ necessitatis. De Syn. Diœc. l. 13. c. 19. num. 6.

In confirmatione tempore pestis non potest fieri inunctio frontis mediante penicillo, nec sanè valeret sic collata; cum ex consensu fere omnium Theologorum ad valorem requiratur aliqua manus impositio, quæ certè non fieret cum alio medio, quàm pollice, vel manu, confirmandi frons oleo liniretur. De Syn. Diœc. l. 13. c. 19. num. 15.

CONFRATERNITATES LAICORUM.

Duæ Confraternitates ejusdem instituti in uno eodemque loco esse non possunt ex Bulla 105. Clementis VIII. Cùm tamen amplior est Civitas, vel populus frequens, binæ tolerantur. Inst. Eccl. 105. n. 86.

Si Confraternitas sit erecta in Ecclesiis Regularium Exemplorum, subest tamen jurisdictioni et visitationi Episcopi, cui jus est etiam visitare eorum capellas ibidem positas, in iis tamen, quæ Confraternitatum gubernationem respiciunt. Etsi confratribus incumbit onus manutenendi altare, et illius cultum; sicut et ornamenta altaris, onera Missarum, et divinatorum officiorum ibidem celebrationem, etc. Ita ex resolutione Sacræ Congr. ib. n. 88.

Confraternitates laicorum nequeunt aggregationem petere ab Archi-confraternitatibus Romanis, nisi prævia approbatione Ordinarii loci, seu Episcopi cum interventu duorum de Capitulo. Ita ex Constit. 115. Clem. VIII, additis Decretis Sacræ Congr. ib. n. 89. Aggregatorum verò administratores rationem

Episcopo reddere tenentur, ut ex eodem Sac. Congr. Concilii decreto. ib.

Hæc omnia valent etiam pro Confraternitatibus aggregatis Capitulo S. Joannis Lateranensis, sicut etiam pro illis qui fundatæ jam esse eidem Basilicæ annui tributi solutione submitunt; ut sæpe decisum est. ib. n. 90.

In Solo verò Lateranensis fundatæ Ecclesiæ, vel Oratorii ex Bulla XIX Sixti V, non subsunt jurisdictioni ordinariæ Episcopi; sed ut firmat Rota, utitur jure delegato concessio illi à Trid. sess. 6. c. 4. sess. 24. c. 3. *de Ref.*, vi cujus potest per se et per alium eas visitare, ut etiam probat Decretum Sacræ Congr. ib. n. 90.

Confraternitates laicorum in Ecclesiis parochialibus erectæ dependent à Parocho in functionibus ecclesiasticis non parochialibus, ut ex decreto S. C. Rituum die 12 Januar. 1704. ib. n. 93. Quare eædem Confraternitates erectæ in capellis, vel Oratoriis annexis parochialibus Ecclesiis, et ab eis dependentibus eandem à Parocho dependentiam habent, ex eodem Decreto. ib.

Erectæ tamen in Ecclesiis publicis, seu privatis, ab Ecclesiis parochialibus sejunctis, ab ea dependentia eximuntur, ut ex eodem Decreto. ib.

Quare Benedictiones et distributiones candelarum, cùm non sint de juribus merè parochialibus, sicut etiam benedictiones mulierum post partum, Fontis baptismalis (quæ tamen ambo fieri debent à Parocho) ignis, seminis, ovorum et similium, functiones omnes hebdomadæ sanctæ, celebratio Missæ solemnis feria V in Cœna Domini, (quæ tamen spectat ad Parochos) pulsatio campanarum sabbato sancto, (quæ tamen spectat ad ecclesiam digniorem) celebratio Missæ solemnis in Festivitatibus solemnioribus ejusdem Ecclesiæ, vel Oratorii, expositio quadraginta horarum, et benedictio, quæ fit super populo, expositio sacrarum Reliquiarum, vel imaginum, fieri possunt in Oratoriis Confraternitatum, etiam Parocho respectivè contradicente, ut in eodem decreto. ib.

Insuper in iisdem privatis Confraternitatibus Oratoriis cantari possunt absque licentia Parochi horæ canonicæ, ex eodem. ib.

In Oratoriis eorum privatis licita est celebratio Missæ privatæ assentiente Ordinario tantum.

Earum Capellani non possunt populo denunciare festivitates et vigiliis contradicente Parocho, ex eodem. ib.

Nequeunt Parochi, invitis Confratribus, in eorum Oratoriis à Parochiali separatis docere doctrinam christianam, ex eodem. ib.

In eorum Ecclesiis publicis haberi possunt etiam negante Parocho conciones per totam Quadragesimam et Adventum publicæ ex eodem. ib.

Vicissim non potest in dictis Ecclesiis, nisi aliter disponente Episcopo, celebrari, seu cantari Missa ante parochialem, ex eodem. ib.

Ad Parochum tamen spectat officium funebre facere super œ-

daveribus sepeliendis in supradictis Ecclesiis, quando tamen defunctus tumulandus est subjectus Parocho, intra cujus fines est Ecclesia illa.

In Processionibus Confraternitatum extra ambitum suæ Ecclesiæ (quæ tamen fieri non possunt absque licentia seu Episcopi, seu Parochorum illorum, per quorum territorium transeundum est) Capellani illarum extra Ecclesiam propriam stolam deferre non possunt, ex eodem. ib.

Accedenti Episcopo ad Ecclesias earum publicas, quæ non sunt Regularium, neque proprium Rectorem beneficiatum habent, aspersionem à Parocho exhibendum non est. Ex eodem. ib.

Ex solo jure parochiali cessante aliquo titulo non potest Parochus Capellanos illarum cogere ad assistendum functionibus Ecclesiæ parochialis. Ex eodem. ib.

Absque Indulto Apostolico non licet in dictis Ecclesiis, quæ non sint Parochiales, neque Regularium, retineri SS. Eucharistiæ Sacramentum; neque si ea facultas adsit, absque Ordinarii licentia potest ibidem dictum Sacramentum publicè exponi. Ex eodem. ib.

Parochus nequit se ingerere administrationi oblationum, vel elemosynarum in dictis Ecclesiis collectarum, neque retinere clavem capsulæ pro illis recipiendis expositæ. Ex eodem. ibid.

Dummodo non impediunt functiones et divina officia, possunt Confraternitates etiam erectæ in Ecclesia Parochiali pro libito congregari absque licentia et præsentia Parochi, sicut et possunt propria bona administrare, et de illis disponere independenter ab illo. Ex eodem. ib.

Non potest Parochus tanquam delegatus Ordinarii, assistens earum Congregationibus, suffragium decisivum ferre. Ex eodem. ib.

Plura tamen ex his, quæ exigere à Confratribus Parochus nequit, possunt fieri de mandato Episcopi, ut in peculiaribus rerum eventibus sæpe decisum est à S. Congregatione. ib. n. 98.

Confratres non possunt quæsturare etiam per propriam Ecclesiam, nisi de licentia Ordinarii, ut ex Decreto S. Congregationis. Missas verò ex quæstibus illis collectas, celebrandas esse in eadem Ecclesia, non verò in Parochiali censuit S. Congregatio Concilii. ib. n. 132.

Inter Confraternitates laicorum illa præcedit quæ est in possessione præcedendi; et cum nihil ea de re constet, præcedere illa debet, quæ prius saccis induta est, ut ex Constit. 84. Greg. XIII constat. Inst. Eccl. 105. n. 84.

Sed in Processionibus, in quibus defertur SS. Eucharistia, Confraternitates SS. Sacramenti, si sacco induatur, præcedit cæteras, ut decisum in Rota Romana. ibid. n. 85.

CONSECRATIO.

Si parietes Ecclesiæ sint destructi, et à fundamentis iterum reedificentur, Ecclesia jam consecrata iterum consecranda est,

ut ex Titul. *de Consecr. Eccl. vel Alt.* firmant canonistæ. Inst. Eccl. 67. n. 2. Officium verò recitari debet de priori consecratione, non de secunda. ib. n. 6.

Altaris consecratio planè distincta est à consecratione Ecclesiæ, ut ex Pontificali Romano annotatur. ib. n. 8.

CONSTITUTIO UNIGENITUS.

Publicis refractariis adversùs Constitutionem *Unigenitus* denegandum est SS. Viaticum. Publici autem censentur qui per iudicis sententiam declarati sunt, quòd debitam eidem Constitutioni venerationem, obsequium et obedientiam contumaciter denegaverint, ut pariter illi qui hujusmodi contumaciæ reos se iudici confessi sunt; sicut etiam qui sacrum Viaticum suscepturi inobedientiam suam et contumaciam adversùs eam constitutionem profitentur. Denique qui aliquid evidenter commisisse noscuntur manifestè oppositum eidem venerationi, idque vulgò ita cognitum est, ut publicum scandalum inde exortum non adhuc cessaverit. Hæc autem notoria certitudo non adest in casibus in quibus crimen nititur conjecturis, præsumptionibus, incertisque vocibus. Igitur hi qui habent adversam hanc famam postremo loco expressam num sacro Viatico reficiendi sint? hæc habeantur præ oculis: primò quærat Parochus seu Minister Sacramenti, num moriturus Paschali tempore acceperit communionem à Parocho ubi degebat; huic certè non est denegandum Viaticum si publicè petat, nisi fortè inter tempus Paschale quo communionem recepit, et tempus quo Viaticum poscit, aliquid commisisse noscatur quo publici peccatoris notam contraxerit.

Si verò validæ adversùs ægrotum præsumptiones et indicia urgent, tunc S. Communionis Minister debet ægrotum, remotis arbitris, alloqui, et ostendere illi indicia, quæ suspectum ipsum reddunt, rogans eum ut resipiscat, ac demonstrans se quidem paratum esse illi sacrum Viaticum ministrare, et velle pro sua pietate ipsius infamiam præcavere, et idcirco eum à sacra mensa non repellere, quamvis ipsum peccatorem in conspectu Domini reputet, non tamen in suo tribunali publicum atque notorium peccatorem agnoscere. Ita Benedictus XIV in sua Bulla *Ex omnibus Christiani orbis*, etc. Bullar. Tom. IV. num. LXL.

CONSUETUDO.

Consuetudo rationabilis, et legitimè præscripta, abrogat omnem legem humanam etiam canonicam ex textu *In Cap. final. de Consuet.*; nefas est tamen Episcopo juxta consuetudinem Diocesis suæ contra Canones legem condere; quòd enim valeat consuetudo, est ex quadam tolerantia superioris legislatoris. Nimia autem esset arrogantia, si Episcopus legem conderet contra legem Superioris. De Syn. Diœc. I. 12. c. 8. n. 8.

CONTRACTUS.

Contractus trium contractuum, qui à multis defenditur, ab aliis improbat, à Pontifice præcisè non improbat, sed facultatem permittit Episcopis, ut in suis Synodis dehortentur subditos suos ab eo exercendo. De Syn. Diœc. l. 7. toto capite 50. l. 10. cap. 7. nov. edit.

Contractus *collatici* is est, quo bos terram arans traditur bubulco, qui solvit domino bovis certam portionem frumenti, lege hac adjecta, ut si bos naturaliter moriatur, damnum sit domino et bubulco commune. Si verò pereat culpa bubulci, is totum damnum subeat. Hic contractus approbatus est à Theologis, nonnullis adjectis conditionibus, quæ probatæ fuerunt à S. C. Concilii die 6 Dec. 1730, Syn. Diœc. lib. 10. cap. 8. n. 2.

Contractus venditionis cum pacto francandi est cùm Titius vendit Sempronio prædium suum cum pacto redimendi rem venditam; prædium tamen retinet tanquam conductor, et pro conductione mercedem solvit, donec idem Titius sibi illud prædium redimat. In hoc contractu pœnitens emptor à Confessario interrogandus est, num reipsa animum sincerum habuerit emendi; similiter et venditor interrogandus est, num ab emente pecuniam mutuam petierit, eumque renuentem induxerit ad usuram obtegendam pallio pacti francandi. In utroque enim illo casu subintelligitur usura, adeoque illicitum judicandum est; secus verò non. De Synodo Diœcesana, Lib. 10. cap. 8. n. 3 et 5.

CRUX.

Crux eminens inter candelabra statuenda est in Altari ubi Missa celebratur, nec sufficit crux nuda, sed requiritur cum Crucifixi figura. Nec decet, ut parva crux apponatur, ut non ita facile occurrat oculis celebrantis, quare in Encyclica sua ad Ordinarios ditionis ecclesiasticæ mandat Pontifex, ut amoveantur cruces istæ parvulæ. V. Bull. T. II. n. 17, *Accepimus præstantium*.

Num verò apponenda sit crux de more etiam cùm exposita est adorationi sacra Eucharistia, Congregatio sacrorum Rituum consulta semel mandavit apponi; iterum verò causa reproposita die 2 Sept. anno 1721 decrevit, ut quælibet Ecclesia consuetudinem suam retineret. *ibid.*

Num etiam necessaria sit crux, si in tabula Altaris primam imaginem exhibet Crucifixus, Sacra Congregatio censuit hanc sufficere. *ibid.*

Denique num committat peccatum grave celebrans in Altari, à quo crux abest, communis sententia tenet id quidem non nisi venialem culpam inducere. De Sac. Miss. Lib. 3. cap. 13. n. 1.

CULTUS.

Cultus privatus impendi potest iis, qui nondum inter Beatos

vel sanctos adscripti sunt, non verò publicus, ut ex celebri Decreto sub Urbano VIII. *Certum est*, quod confirmat Benedict. XIV in sua Bulla *Quamvis justo*, Bull. T. III. n. 7. §. 11. Ex vi ejusdem Decreti non potest titulus Sancti vel Beati illis adscribi, sicut nec potest Missa solemnis de SS. Trinitate vel de Sanctis omnibus in die eorum anniversaria celebrari, sicut nec eorum panegyricæ conciones eadem die in Ecclesia haberi; sicut ex vi ejusdem Benedictinæ constitutionis emortualem diem festum eorumdem *ritibus palam celebrare, atque in eorum laudem hymnos prosequi*, non tamen peculiari collecta in litania invocari. *ibid.*

DISPENSATIO.

Dispensationes Sacræ Pœnitentiariæ cùm diriguntur ad Confessarium ex approbatis ab Ordinario, executioni mandari debent à Confessario approbato ab Ordinario illius loci, in quo dispensatio illa præstari debet, nec valet si actu Confessarius non sit, sicut nec si approbatus fuerit tantum pro maribus, et dispensatio petatur à fœmina. *Inst. Eccles. 87. num. 31.*

Cùm dirigitur Confessario Magistro in Theologia, vel Doctorum Doctori, requiritur laurea Theologiæ, vel Juris Canonici in publica Universitate; nec aperiri litteræ illæ possunt à simplici regulari Confessario, nisi tamen Religio illa privilegium aliquod ea de re obtinuerit. *ib. n. 11.*

Si semel apertum fuerit breve Pœnitentiarii ab eo qui non habet titulum requisitum, non ideo tamen vitatur rescriptum, sed sufficit si alteri habenti requisita consignetur. *Ibid. n. 33.*

Si semel electus fuerit executor, potest nihilominus ex probabili sententia variari, quanquam non desint Doctores, qui oppositum opinentur. *ibid.*

Executor certiozem se reddere debet de veritate causarum, ex quibus obtenta dispensatio est; non tamen requisitis aliunde testimoniis, sed ipsum dispensandum interrogans, nisi alioquin ipse eandem veritatem rescisset; nec tenetur illum sub juramento interrogare, ut est communis Doctorum sententia. *ibid. n. 34.*

Si tamen falsa narrare dispensandum sciverit, non potest ad dispensandum procedere, nisi id sciret ex præcedentibus dispensandi confessionibus, ut ex Sanchez. *ibid.*

In ejusmodi dispensationis litteris mandatur executori, ut dispenset audita prius Sacramentali confessione, et in ipsa confessione; nec liberum est illi extra confessionem rem exequi, ut omnes docent. *ibid. n. 35.*

Cùm pœnitentia in litteris definitur, ea injungenda est; si verò committatur arbitrio Confessoris, non est illi liberum et ad arbitrium injungere, sed ad prudentiæ leges dirigenda est, neque nimis rigida, neque lenior quàm par sit. *ibid. n. 37. et 38.*

Quoad clausulam *dummodo sit occultum*, censetur occultum si tantum septem, nec octo in civitate id resciant; in oppidis verò

si quinque, vel sex; quam Sententiam scriptores, qui mentem sacræ Pœnitentiariæ probè norunt, tuentur. *ib. n. 45.*

Si verò occultum impedimentum fuerit in loco, ubi executioni mandanda dispensatio est; publicum verò in alio, ubi commissum est delictum, tutiùs tunc est executionem suspendere, et de hac novitate sacram Pœnitentiarium certiozem facere. *ib. n. 46.*

Delictum olim publicum, nunc occultum, si à die commissi criminis decennium elapsum sit, ad hunc effectum censi occultum judicant periti earum Theologi. *ib. n. 48.*

Si quis rem vetitam præstiterit, sed publicè credatur obtinuisse ad id facultatem, hujus peccatum ad hunc effectum creditur occultum. Si verò commisisse delictum resciat, sed ignoretur inde consurgere impedimentum, profectò occultum quoad hunc effectum non censetur. *ibid. num. 48.*

Clausula *dummodo occultum sit* exigit, ut nullo modo probari possit. *ib. n. 44.*

Si delictum deductum sit ad Forum contentiosum à S. Pœnitentiaria censetur publicum. Si tamen data in eo fuerit sententia absolutoria criminis, per quam reus repertus sit innocens, et non culpabilis, vel ex hactenus deductis non repertus culpabilis, etiamsi id obtentum sit mediis illicitis, falsis testibus, etc., adhuc censetur impedimentum occultum ad hunc effectum. *ib. n. 49.*

Expressio causarum, earumque verificatio ad validitatem dispensationis pertinet. Bulla *Ad Apostolicæ servitutis*. Bullar. T. I. n. 45. §. 1.

DOCTRINA CHRISTIANA.

In Ecclesiis ruralibus longè dissitis à Parochiali decernunt Episcopi, ut Sacerdotes ibi sacræ operantes populum doctrinam Christianam doceant. Encyclica *Etsi minimè*. Bull. T. I. n. 42. Caveat tamen Parochus ne nimium tribuat alienæ operæ, sed cum pueri ad Sacramentum Eucharistiæ et Confirmationis admittendi sunt, cum sponsi conjugio jungendi, per se illos tentet quid didicerint. *ib. n. 14.*

Non est tolerandus mos in nonnullis Diœcesibus obtinens, ut pueri unius Parœciæ in alia Parœcia doceantur doctrinam Christianam, quemadmodum rescripsit S. C. Conc. ad Card. Lambertinum die 9 Aug. 1732. *Inst. Eccl. 9. n. 10*; sed singuli Parochi erudire suos debent, vel saltem curare, ut in Parœcia erudiantur, non tamen reprehendendi sunt illi qui in Ecclesiis suis, licèt non sint Parochis subjectæ, fideles eò confluentes docent, dummodo exhibeant Parochis nomina eorum, qui eas frequentant. *ib. n. 13.*

Ludi Magistri, tam conducti à Communitate, quàm non conducti, tam Clérici, quàm laici hortandi sunt prius, ut doceant suos christianam doctrinam, tum etiam cogendi, ex D. S. C. G. ad Archiep. Spalat. die 17 Jul. 1668. *ib. n. 14.*

Doctrinam Christianam non omnes scire æqualiter necesse

est; plura enim scitu sunt necessaria Ecclesiasticis quàm laicis, plura adultis quàm pueris et puellis, plura valentibus ingenio quàm hebetibus. Inst. Eccl. 72. n. 19.

Si quis non credat explicitè ea, quæ scitu necessaria sunt necessitate medii, multò probabilius est, illum nec validè absolutione potitum fuisse. Illicita est quidem certè in eo casu absolutio, nec potest Confessarius tutò uti opposita huic sententia, et absolutionem illis, qui hæc explicitè ignoraverint, impertiri, ut ex propositione damnata ab Innocentio XI constat. ib. n. 19.

Si quis verò ignoret ea, quæ necessaria sunt necessitate præcepti, dummodo nunc doleat, et proponat emendationem, absolvi utique potest, ut ex Theologis. ib.

Parochi doceant pueros diebus saltem dominicis aliisque festis de præcepto doctrinam Christianam omni contraria consuetudine penitus sublata, Encyc. *Ubi primum*. Bull. Tom. I. num. 2. §. 3.

In Bulla *Etsi minimè*, Bullar. Tom. I. num. 42. §. 12. monet Pontifex ut Confessarius fixum animo teneat *invalidam esse absolutionem Sacramentalem, quam quis ignorantem res necessarias necessitate medii, impertitur.*

DOS.

Cum puellis, quæ virgines non sunt, petuntque subsidia doti-
liæ relicta virginibus, dispensat in occultis, et in foro conscientia-
tantùm major Pœnitentiarius tam pro obtentis, quàm pro obti-
nendis, quatenus tantùm illæ in posterum honestè vivant. Bulla
Pastor bonus, etc. Bull. Tom. I. n. 95. §. 27.

DUELLUM.

Bened. XIV, anno 1752, die 4 Idus Novembris has propositiones ad duellum attinentes damnavit.

I. Vir militaris, qui nisi offerat, vel acceptet duellum, tanquam formidolosus, timidus, abjectus et ad officia militaria ineptus haberetur, indeque officio, quo se, suosque sustentat, privaretur, vel promotionis aliàs sibi debitæ, ac promeritæ spe perpetuò carere deberet; culpa et pœna vacaret, sive offerat, sive acceptet duellum.

II. Excusari possunt etiam honoris tuendi, vel humanæ vilipensionis vitandæ gratia duellum acceptantes, vel ad illum provocantes, quando certò sciunt pugnam non esse secururam, utpote ab aliis impediendam.

III. Non incurrit ecclesiasticas pœnas contra duellantes latus Dux, vel Officialis militiæ acceptans duellum ex gravi metu amissionis famæ et officii.

IV. Licitum est in statu hominis naturali, acceptare et offerre duellum ad servandas cum honore fortunas, quando alio remedio earum jactura propulsari nequit.

V. Asserta licentia pro statu naturali, applicari etiam potest

statui Civitatis malè ordinatæ, in qua nimirum, vel negligentia, vel malitia Magistratûs justitia apertè denegatur.

Vetat Pontifex in eadem Bulla, ne easdem propositiones quis defendat, publicè vel privatim, divisim, aut conjunctim, etiam disputandi gratia; alioquin incidat ipso facto in excommunicationem reservatam Romano Pontifici. Mandat, in virtute S. obedientiæ, ne quis eas et ne unam quidem in proximum deducat.

Confirmat præcedentium Romanorum Pontificum constitutiones de duello, atque edicit, ut si quis in duello, sive publicè, sive privatim indicto hominem occiderit, sive ille obierit in loco conflictûs, sive extra, ex vulnere in duello accepto, perinde habeatur ac homicida voluntarius, adeoque immunitate asyli non gaudeat, extrahi è loco sacro possit, data ab Episcopo facultate quam illi Pontifex impertitur. Addit, quòd si adhuc vivat graviter vulneratus in duello, et percussor recurrerit ad asyllum, ac meritò timeatur futurum, ut si mors acciderit vulnerati, ille se proripiat, tunc si iudicio peritorum grave vitæ periculum ex vulnere imminere censeatur, extrahatur ex asylo reus, præmisso Decreto Episcopi et cum assistentia Clerici ab eodem Episcopo deputati, et teneatur carceribus clausus, exacta tamen à iudice promissione, ut si fortè vulneratus vitam proroget ultra tempus de homicidio præscriptum, restituat illum Ecclesiæ; alioquin incurrat pœnas à Bened. XIII in persimilibus casibus de homicidis loco sacro extractis, et non restitutis constitutas. Demum privationem sepulturæ, quam incurrunt duellantes in sententione Tridentini, declarat incurri etiam ante sententiam Iudicis, si fortè decedat etiam extra locum conflictûs ex vulnere in duello publico, vel privato accepto, etiamsi ante mortem certa signa pœnitentiæ dederit, et absolutionem à censuris obtinuerit, nec dispensari ea in re ab Episcopis posse decernit.

ECCLESIA.

In Ecclesiis ruralibus parochiali proximioribus caveat Episcopus, ne permittat, ut Missa celebretur ante parochialem, Encyclica *Etsi minimè*. Bull. T. I. n. 42. §. 14.

Ecclesia parochialis si fortè corruerit, vel reparatione indigeat, tenetur illam resarcire Fabrica si adsit, sin minus tenetur Parochus non quidem redditibus suis patrimonialibus, sed ex redditibus beneficii, si ad suam sustentationem supersint; quamquam non supersint ad sustentationem propinquorum ejusdem Parochi. Tertio loco qui habent beneficium ecclesiasticum in illa Ecclesia. Quarto loco si Parœcia est de jure Patronatûs, tenetur Patronus suis sumptibus id agere; ita tamen, ut si infra præfixum ab Episcopo tempus noluerit sumptus illos subministrare, amittat Jus patronatûs illud. Denique ultimo loco tenetur populus, et qui in ea Parœcia habitant, etiamsi conducant domos alienas, et dominus illarum alibi habitet; possunt tamen in eo casu ex pensionibus retentis se indemnes reddere. Ita ex Canonistis. Instit. Eccles. 100. per totam.

Ecclesia polluitur per homicidium voluntarium, c. Proposuiti de Cons. Eccl. Si in ea magna vis humani sanguinis effundatur. Can. Ecclesiis de Cons. dist. 1. Si sponte effundatur semen humanum, sive effusio sit secundum naturam, sive contra, sive per copulam aliàs licitam, sive per illicitam; ex eodem textu, et cap. Si Ecclesia, de Consecr. Eccles. Si excommunicatus vitandus in ea sepeliatur, c. Consuluisti de Cons. Eccl. Item si ibi sepeliatur Ethnicus, can. Ecclesiam De Consecr. dist. 1. De Sacrificio Missæ l. 3. c. 7. n. 4.

EPISCOPUS.

Episcopi consecratio ab uno ne, vel à tribus fieri necessariò debeat, ut valeat, quanquam sit quæstio inter Theologos, cum tamen Pontifices consueverint in locis, ubi desunt Episcopi, ut ab uno tantum Episcopo consecratio ista fiat, facultatem concedere; hinc videtur probabilior sententia asserens unicum Episcopum sufficere. Solent tamen Pontifices præcipere, ut Episcopo consecranti adjungantur duo Abbates, vel duo Sacerdotes in dignitate Ecclesiastica constituti. Ita pluribus allatis exemplis. De Synodo Diœcesana, lib. 13. cap. 13. num. 5. Ibi pariter decernitur valere consecrationem Episcopi ab uno Antistite, uno tantum adjecto Presbytero, confectam, quin etsi nullus alius præter consecrantem assistat. De Syn. Diœc. l. 13. c. 17. n. 9.

Pactiones inîtæ à Capitulo electore, et juratæ ab Episcopis electis in Germania, ut sibi non liceat contra ipsos Electores procedere, aut obsistere officialibus Capituli, si quid egerint et decreverint; pactiones inquam, illæ si electionem præcedant nullæ omnino et irritæ declarantur ab Innoc. XII Constitutione incipiente *Ecclesiæ Catholicæ*. Quæ verò subsequenter, illarum executionem suspendunt, donec Sedes Apostolica iudicium de illis ferat. ib. n. 17. Hæ verò pactiones velitæ et irritæ censentur, etiamsi fuerint honestæ, ut ex DD. ib. n. 19. Insuper adsunt ea de re Litteræ Apostolicæ Benedicti XIII in forma Brevis legendæ. ib. n. 23.

Episcopi suffraganei si decorentur pallio, in Bullis tamen ejus concessionis cavetur, ne quid præjudicii ex hoc inferatur eorum Metropolitæ, quin et vetantur illud ferre in præsentia Archiepiscopi. De Synod. Diœc. lib. 13. cap. 5. num. 10. nov. edit.

Pallii honore non decorantur Latini Patriarchæ titulares, quemadmodum nec Archiepiscopi in partibus; cum enim pallio nemo uti possit extra provinciam suam, illi profectò alibi commorantur. ib. n. 17.

Episcopatum resignationes, quas sibi permitti postulant Episcopi, non admittuntur à Congregatione Consistoriali, nisi ex canonicis causis recensitis in cap. *Cum pridem, de renuntiat.* quæ tamen omnes ad id referuntur, ut clarè constet ipsos plebis suæ salutî prodesse amplius non posse, ib. cap. 16. num. 3.

Episcopi Regulares si se abdicaverint Episcopatu, tenentur claustra suæ Religionis repetere, nisi aliter commissum sit à

S. Pontifice... Ita Benedictus XIII in sua Bulla *Custodes*. ib. n. 4.

Causæ resignationis non tam rigorosè examinandæ sunt in ordine ad Cardinales Episcopatum resignantes, dum volunt se conferre Romam, ut assistant Romano Pontifici. Ita ex Fagnano ib. n. 5.

Episcopus translatus ex uno in alium Episcopatum frui potest redditibus Ecclesiæ, à qua discedit, usque ad illum temporis articulum, quo à Summo Pontifice in Consistorio à vinculo prioris Ecclesiæ absolvitur; ex tunc enim prior Ecclesia vacare censeatur, ut ex definitione Congr. Conc. per Urban. VIII. approbata ib. n. 7. Neque ibidem Episcopus post absolutionem à vinculo, jure potest conferre beneficia, quæ post idem tempus vacaverint, uti decisum in Tribunalibus Romanis. ib. n. 9.

Interim tamen post pronunciationem, scilicet Pontificis in Consistorio, quoadusque hæc pronunciatio innotuerit Episcopo, remanet in eodem Episcopo jurisdictio non quidem ad conferenda beneficia, sed ad Dioccesim gubernandam necessaria, uti provisum est in eodem Decreto, seu in brevi illud confirmante Urbani Papæ VIII. ibid. n. 10.

Si Episcopus in manus Paganorum, aut Schismaticorum incidat, et fiat captivus, Ecclesiæ administratio transit in Capitulum, quoadusque aliter disponat Sedes Apostolica, c. *Si Episcopus* de supplem. neglig. Prælat. in 6, quæ tamen vera sunt, si carcer Episcopi sit adeo arctus, ut Episcopum suum nequidem per litteras adire Diocesanum valeant. ibid. num. 11.

Episcopis ex constitutione Pontificis incipiente *Firmandis*, Bull. Tom. I. n. 109. fas est in Ecclesia Parochiali à Regularibus administrata in Pastoralis visitatione inspicere Altare illud, in quo Tabernaculum SS. Eucharistiæ tenetur, item Fontem Baptisterii, confessionale Parochi, pulpitem è quo Parochus jus habet annuntiandi verbum Dei, sacrarium, in quo servatur sacra suppellex ad sacramenta ministranda, sepulchrum, Cæmeterium Parochiæ, turrim etiam campanariam, si adsint campanæ ad Parochiam spectantes; ac demum sacra vasa, in quibus particulæ consecratæ servantur, vel sacra olea Baptismi et Extremæ Uctionis; demum pilam aquæ benedictæ.

Episcopi, quibus usque modò concessa est facultas impertiendi benedictionem cum Indulgentia plenaria fidelibus in mortis articulo constitutis, ut ea possunt non tantùm ad certum tempus, quemadmodum limitatur in Brevibus ab illis impetratis, sed quamdiu in Diocesi, cujus intuitu illam obtinuerint, permanserint. Habent etiam facultatem subdelegandi alios pios Sacerdotes quotquot judicaverint opportunos, ut ipsi Episcopis impeditis eandem indulgentiam conferant. Subdelegati verò ea facultate ad se transmissa uti possunt pro tota Diocesi, vel territorio, cui destinati sunt, quoadusque in hoc munere perseverant, etiamsi Episcopus delegans obierit. Demum facultates istæ deinceps concedentur perpetuæ omnibus et singulis Episcopis, qui litteras ea

de re petierint, quam etiam facultatem obtinebunt Prælati inferiores, territorium separatum habentes cum vera qualitate *Nullius*, et activa jurisdictione in Clerum et populum. Ita sancit Pontifex sua Constitutione, *Pia Mater*, edita anno 1747, nonis Aprilis, in qua etiam Ritus hujus benedictionis præbet. Bull. Tom. II. n. 34.

Episcopus in sua Synodo non potest quidem definire quæstiones de fide, sed prohibere potest errores jam ab Ecclesia proscriptos, ut ex Gonzalez in Cap. *Vestra* deducitur. De Syn. Diœc. l. 6. c. 3. n. 7.

Episcopis in Synodo fas est non quidem rem aliquam inter DD. controversam definire; sed praxim prohibere, uti ex gr. non licet illis pronunciare, utrùm jejunii essentia in abstinence à carnibus tota consistat; sed etiam ante Bullam Bened. XIV, jus illis fuit injungere, ut qui dispensationem ad carnes diebus jejunii edendas obtinuerant, unicam comestionem servarent. De Syn. Diœc. l. 7. c. 3. n. 1.

Episcopo ex epikeia fas est aliquando in iis præsertim, quæ dilationem non patiuntur, nec de quibus facillè Summus Pontifex consuli potest, circa jus commune relaxare, ut decisum à S. Congreg. Concilii refertur. De Synodo Diœcesana, libro 12. cap. 8. num. 1. Id tamen nonnisi in speciali rerum articulo, neque ea de re statutum universale concedere potest, ut ex communi DD. ib. n. 2.

Ad Diœcesanum Episcopum pertinet Ecclesias consecrare, eique fas est id muneri demandare alteri Episcopo, minime verò Presbytero etiam cum oleis ab ipso Episcopo benedictis. Ita ex DD. De Synodo Diœcesana, lib. 13. cap. 15. num. 2.

Consecratas insuper Ecclesias, atque pollutas nemo præter Episcopum Diœcesanum reconciliare potest, nec fas est id muneri demandare Presbytero, quanquam cum aqua ab Episcopo benedicta. Si tamen Ecclesia non fuerit consecrata, sed tantùm benedicta, facultas dari potest, ut per simplicem Sacerdotem, adhibita tantùm aqua lustrali, Ecclesia polluta reconcilietur. ib.

Episcopo curandum est, ut Legata pia impleantur, quod præstare ipse potest, etiamsi prohibitus fuisset à testatore, ut ex Cap. *Tua nobis*, de Testam.

Quòd si testator executorem reliquerit sui Legati, et ei in casu, quo segniter agat, alterum substituatur, tunc Episcopus, si subdelegatus etiam segniter egerit, curam id exequendi in se suscipere debet; quod valet etiam in omnibus piis dispositionibus, tam in ultima voluntate factis, quàm inter vivos, ut ex Trid. sess. 22. *de Reform.* c. 8. valet etiam non solum pro Episcopis, sed etiam pro Præiatis inferioribus, habentibus territorium separatum, et jurisdictionem quasi Episcopalem. De Syn. Diœc. l. 13. c. ult. numero 1 et 2. Valet etiam pro Vicario Capitulari sede vacante, ut de Legato de Missis statuit S. C. ibid. num. 2.

Fabrica S. Petri in Vaticano in locis suæ auctoritati subjectis (non enim sunt omnia) non se immiscet jurisdictioni Episco-

porum in ordine ad Legata Pia, et Missarum onera, nisi post annum ab obitu testatoris, quo anno elapso piarum voluntatum executioni se immiscet, etiamsi iudicium coeptum, ab Episcopo terminatum non fuerit, ut ex DD. constat. De Synodo Diœcesana, lib. 13. cap. ult. num. 3.

Non licet Episcopo à Diœcesi per tres menses abesse pro libito aut quacumque ex causa; sed causa sit verè æqua, simulque provideatur, ne gregi ex hoc detrimentum obveniat. Encycl. *Ubi primum*. Bullarii Tom. I. num. 2. §. 4.

EUCCHARISTIA.

De frequentia SS. Communionis, quibus concedenda sit quotidiana, quibus aliquando rariùs, nihil innovandum supra Decret. Innoc. XI, die 12 Febr. 1679 omnia scilicet referenda esse docti et prudentis Confessarii iudicio. Inferri tamen ex eodem Decreto licet, frequentem accessum denegandum esse iis, qui in gravia peccata sæpe labuntur, nec de emendatione sunt solliciti, sicut nec tam sæpe iis, quorum cum voluntas sit à gravibus aversa, venialibus tamen tenaciùs inhærent. De Syn. Diœc. l. 7. cap. 12. n. 9.

Eucharistiam una tantum die Paschatis Resurrectionis distribuere sæcularibus vetitum est Regularibus in suis Ecclesiis; cæteris verò Paschalibus diebus id possunt citra ullam prohibitionem. Ita in Tr. de Synodo Diœcesana l. 11. cap. 14. num. 5.

Paschale tempus, intra cuius spatium satisfieri potest præcepto, ab Eugenio IV, sua constitutione *Fide digna*, definitum est, à Dominica Palmarum usque ad Dominicam in Albis, nec licet Episcopo, etiam in Synodo, tempus istud latius prorogare. De Synodo Diœcesana lib. 12. cap. 6. num. 10.

Paschali præcepto de Eucharistia sumenda in Parochiali Ecclesia non satisfacit recipiendo illam in Ecclesia Metropolitana, ut ex Decretis S. Congregat. firmat de Lugo. Resp. Moral. l. 1. Dub. 15. Ita Inst. Eccl. 18. n. 12.

Qui Præcepto Paschali de Eucharistia sumenda non satisfacit tempore apto, etiam post illud tenetur, et cogi potest pœnis ad Eucharistiam sumendam. Inst. Eccl. 45. n. 15.

Famuli et famulæ sæculares inservientes Monasteriis Regularium utriusque sexûs, etiamsi habitent in atriis Monasteriorum muro circumvallatis, tenentur communionem Paschalem in Ecclesia Parochiali, intra cuius fines situm est Monasterium, recipere, ut ex Decreto S. C. sæpius decisum est; neque enim habitationes illæ sunt intra septa ac domos Monasteriorum, quod requiritur à Trid. ut famuli eximantur à Parœcia. Inst. 55. n. 7 et 8.

Sacerdotes Missam celebrantes non tenentur præcepto Paschali satisfacere in sua Parœcia; si tamen rarò intra annum celebrant, nec volunt, seu possunt celebrare Missam in Paschate, tenentur tunc communicare in Parœcia. ib.

Peccatori occulto publicè Eucharistiam petenti non est dene-

ganda, cùm jus naturale ad famam id expoſtalet. De Syn. Diœc. lib. 7. cap. 11. num. 4.

Occultè verò petenti et noto Sacerdoti aliunde, quàm ex Confessione, tutò negatur. Si verò pariter aliunde et simul etiam ex confessione ſciat, exprimere debet Sacerdos, ſe habere ejus peccati ſcientiam ex certo loco, non tamen nominato eo à quo ſcit, ſi ſub arcani naturalis ſigillo id acceperit: Si verò noverit rem tantùm ex Confessione, perinde ſe gerat, ac ſi nesciverit, cùm id exigat arctiſſimum Confessionis ſigillum. Inſtit. Eccles. 89. n. 2.

Publicus peccator publicè petens repellendus eſt. Publicus verò dicitur non ille tantummodo, qui talis declaratus eſt à Judice, ſed etiam qui per evidentiam facti, quæ nulla poſſit tergiverſatione celari, talis habetur. ib. n. 8, et De Sacrif. Miſſ. l. 3. c. 20. n. 4.

Eucharistiæ ſumptionem præcedere debet jejunium naturale à media nocte præcedenti ceptum. Nec refert ſi poſt cibum ſumptum ante mediam noctem nullus ſomnus captus ſit, nec cibus concoctus ante Sacram Communionem. Porro jejunium iſtud frangitur etiam parvitate materiæ; quare nec ablutio ſumpta poſt celebratam Miſſam admittenda ab eo eſt, cui eo die alias Miſſas celebrare permittitur, uti die Nativitatis Domini, quo in caſu, nec licet celebrare et ad dandum ægroto Viaticum; nam præceptum Viatici obligat quando conferri poſteſt juxta ritum Eccleſiæ. Reliquiæ tamen cibi in ore remanentes, ſi deglutiantur, non frangunt jejunium naturale, ut ex Rubrica Miſſalis conſtat. Viciffim ſi quis antequam ſomno ſe dederit parum ſacchari in os induxerit, quod paulatim liquescens in ſtomachum delabatur, id utique jejunium iſtud frangit. Tandem ſi quis ore guſtaret vinum, vel condimentum ad ſaporem explorandum, et ſtatim expueret, hæc non eſſet fractio jejunii. De Miſſæ Sacrif. lib. 3. toto cap. 12.

In dubio, num quis fregerit jejunium, diſputant Theologi, apud quos varii caſus diſtinguuntur, præſtaret tamen abſtinere à percipienda communionem. ibid. n. 7.

Sacerdos extra Miſſam Eucharistiã ſuſcepturus ſtolam è collo ſuſpensam habere debet, uti præcipit Rituale Romanum. Poſteſt verò ſeiſum ſuis manibus communicare ſi abſit ſcandalum, et ſuppetat cauſa, quæ perceptionem Sacramenti exigat, nec alius Sacerdos præſto ſit. Cauſa verò eſt ſolemnis aliqua feſtività. De Sac. Miſſ. l. 3. c. 17. num. 10.

In Miſſis Defunctorum Eucharistiã fidelibus adminiſtrare non eſt vetitum, cùm Decr. S. C. Rit. id prohibens, modò non ampliùs exhibeatur illud poſcentibus, et docti Rituum Scriptores admittant, adminiſtrari tutò poſſe, in quacumque demum Miſſa, nullo facto diſcrimine inter formas in eadem Miſſa conſecratas, et reliquias, quæ in Tabernaculo aſſervantur. ibid. c. 18. n. 12.

Nocte Natalis Domini ex Decretis S. R. C. vetitum eſt miniſtrare in Miſſa ſacram communionem fidelibus adſtantibus; quia

nec Sacerdoti eadem nocte alias duas Missas celebrare permittitur. *ib. n. 13.*

Feria VI. in Parasceve et Sabbato sancto nullus, nisi ad Viaticum, est communicandus, uti ex consuetudine omnium Ecclesiarum certum est. *ib. n. 14.*

Sacerdos in peccato mortali ministrans Eucharistiam graviter offendit in reverentiam tanti Sacramenti. Ex quo fit, ut qui recipit ab illo sacramentum scienter, peccato ejus communicet, quæ est animadversio S. Thomæ. *ibid. c. 19. n. 2.* Ex quo infertur peccare illum graviter, qui Sacramentum suscipit à Sacerdote schismatico, vel excommunicato, ex eò quòd ejus peccato communicet. *ib. n. 3.*

An unico peccato peccet Sacerdos, qui lethali peccato infectus pluribus Sacramentum Eucharistiæ administrat, dissident inter se DD.; alii enim unicum agnoscunt, quando per contumacitatem actionem pluribus ministrat, alii totidem peccata multiplicat, quot sunt fideles. *ibid. num. 3.*

Non licet uni ex fidelibus plures particulas, vel majoris moduli hostiam præbere, quod vetuit S. C. Conc. Decr. approbato ab Innoc. XI, die 12 Febr. 1679. *ibid.*

Peccatori parato recipere in peccato Sacramentum non licet offerre hostiam non consecratam pro consecrata ob periculum idololatriæ, tum respectu suscipientis, tum adstantium. *ib. c. 20. n. 4.*

Purgatio, quæ olim fiebat per Eucharistiam, qua Sacerdos fideli communicaturo denunciabat, Corpus Christi futurum illi ad probationem, licet fortè non contineat tentationem Dei, ut non malè ratiocinatur Vasquez; hodie tamen cum abrogata fuerit per text. ex Cap. *Ex tuarum*, in usum revocari non potest. De Sacrif. Miss. l. 3. c. 20. num. 3.

Consuetudo Eucharistiam negandi reis ad mortem damnatis, ubi invaluit, neque probatur, neque refellitur, sed ubi invaluit contraria, utique retinenda est, aliquid tamen temporis interponendum est inter communionem et mortem, quo species Eucharisticæ consumantur. De Sacr. Miss. l. 3. c. 20. n. 6.

Si alicujus Sacerdotis negligentia aliquid Eucharistiæ in terram deciderit, rubricæ Missalis servandæ sunt; quanquam fatendum est, canonicas pœnas obsolevisse. Si verò fragmentum aliquod in foeminæ pectus deciderit, præstat ut foemina suis ips. manibus levatum in os injiciat. *ib. num. 7.*

Parochus Eucharistiam deferens, vel cadaver associans, si impeditus sit, quominus eat per viam publicam, jus habet transeundi per agrum alienum, nec impediri potest à domino, id enim jure communi concessum est cuilibet de populo. Inst. Eccles. 89. num. 2.

Si quis Sacerdos ægrotus Viaticum suscipere vellet manibus suis, atque in os suum inferre non renuente Sacerdote, damnari non mereretur. De Syn. Diœc. l. 13. c. 19. num. 27.

Si quis Episcopus vetet, ne in Missa in hoc vel illo altari cele-

branda Eucharistia adstantibus ministretur, parendum ille est, nec turbæ ciendæ. Encyclica die 12 Nov. anno 1742, et de Sacrif. Miss. lib. 12. cap. 22. n. 17.

Si quis surripiat hostiam, vel particulas ex tabernaculo, vel è sacra pyxide, vel ex Ostensorio, et extractam asportet, id sufficere censetur pro asserendo furto hostiæ consecratæ, quare reo competet demonstrare non esse consecratas. Ita in Bulla *Ab augustissimo*, Bull. T. I. n. 93.

Eo ipso autem, quòd quis id sacrilegii egerit, præsumitur uti voluisse ad malum finem; quæ pariter præsumptio valet contra eum, qui in actu communionis, vel post illum è suo, vel alieno ore extractam particulam asportaverit. *ibid.*

Rei hujus sacrilegii etiam pro prima vice tradendi sunt brachio sæculari, præcedente in Ecclesiasticis degradatione reali. *ib.*

Si quis mane sumpserit Eucharistiam, vesperi verò decidat in lethalem morbum, integrum erit Parocho, si vel illum denuo communicet eadem die, sive abstineat, nec potest ab Episcopo ad utrumlibet adigi. De Syn. Diœc. c. 11. l. 7. n. 2.

Quoad Eucharistiam pueris administrandam, rectè admonet Pontifex non eandem desiderari ætatem in pueris in mortis articulo versantibus, quæ in iis, qui rectè valent. In morituris judicio Parochi permittendum est, qui diligenti examine investiget, num tanta polleant perspicacia, ut Christum sub speciebus sacramentalibus firmiter credant et adorent. De Syn. Diœc. l. 7. c. 12. n. 3.

Rectè valentes potiri debent majori judicii firmitate, ut debita religione et reverentia ad Sacramentum accedant; quæ plerumque firmitas advenire solet annum decimum inter et decimum quartum ætatis. *ibid.* n. 2.

Extremè ægrotantibus, eodem periculo mortis diutiùs perseverante, potest, et debet semel, iterum, tertio Viaticum conferri petente maximè ægroto; sed quoties et quantum temporis intercedere necesse sit inter unam et alteram communionem, nihil definiendum Pontifex censet. De Synod. Diœc. lib. 7. c. 12. n. 4.

Eucharistiam in Oratoriis privatis administrare, quamvis multi vetitum non esse credant; tamen consonans praxis, quæ Romæ obtinet, vetat in Diœcesi Bononiensi. Inst. Eccl. 34. n. 12.

Sacerdotes omnes cujuscumque sint Collegiatæ tenentur Feria V in Cœna Domini Sacramentum SS. Eucharistiæ recipere è manibus celebrantis, ut dicunt Decreta plura S. C. apud Bisum V *Communio*, num. 383. Inst. Eccl. 38. num. 10.

EUNUCHUS.

Nemo abcisionem potest in se permittere, nisi de consilio medici ad servandam vitam; et quanquam Theologi quidam admittant, ut possit quis in evirationem suam consentire ad vocis suavitatem servandam, ut dulcius in Ecclesia canat, atque inde

victim sibi honestum procurare possit, adhuc tamen Theologorum id negantium opinio communis obtinuit. Disputant verò Canonistæ, num ex vi Capituli *Significavit*, sub titulo *de corpore vitiatò*, Sacerdos, qui id in se commiserit, possit munus Diaconi, aut Subdiaconi in Missa exercere: certum est, vi ejusdem Capituli, Sacerdotem illum posse benedicere, Sacramenta Baptismi, Pœnitentiæ ac Extremæ Unctionis administrare de licentia Episcopi; constat tamen eunuchum hujusmodi incurrere notam irregularitatis, nec Episcopo inesse facultatem, ut det licentiam se evirandi. De Syn. Diœc. l. 11. cap. 7. n. 4 et 5

EXAMINATORES.

Examinatores, si in Synodo fuerint designati tantum nomine Officii, ut sunt ex. gr. Prior S. Dominici, non ex hoc intelligitur, quòd successor in eodem munere habendus sit ut Examinator Synodalis, nam est electa industria personæ. De Syn. Diœc. lib. 4. cap. 7. n. 5.

Electi in Synodo Examinatores, si interim ante novam Synodum decedant, tunc si saltem sex remaneant, qui numerus de necessitate est ex definitione Tridentini, non possunt alii in eorum locum substitui ab Episcopo. Si minores sint numero, tunc suffici possunt alii usque ad sex ab Episcopo quidem approbante Capitulo. *ibid.* n. 7. Qui tamen Examinatores suffecti cessant elapso anno, si interim synodus non celebretur, ut ex Decreto Clem. VIII. In hoc casu, quo Synodus post annum à priori Synodo non celebretur, tunc si non supersint saltem sex in priori Synodo designati, omnium etiam superstitum munus cessat. Quare tunc necesse est, ut si post annum concursus ad vacantes Parochiales instituendus sit, petatur à S. C. facultas, ut novi Examinatores extra Synodum deputentur; quæ facultas si obtineatur, uti semper obtinetur, tunc Episcopus debet quos designavit proponere Capitulo à majore ejusdem parte approbandos. Capitulum verò tenetur illos approbare, si habeant qualitates à Trid. requisitas. *ib.* n. 10.

Examinatores congruentius suffragia ferant palam communicando secum invicem, tum indicendo Notario hunc, vel illum esse approbatum. In quam sententiam, quæ est Fagnani, inclinat Pontifex in Synod. Diœces. lib. 4. cap. 8. num. 4.

In judicio Examinatorum nulla fert suffragia Episcopus, vel Vicarius loco Episcopi præsidens, nisi in casu paritatis votorum, aut si sint singularia; tunc enim potest Episcopus quibus censuerit partibus accedere, sed hoc præstare debet tunc coram iisdem Examinatoribus. Ita ex Garcia. *ibid.* num. 5.

EXCOMMUNICATIO.

A quibuscumque censuris excommunicationis, suspensionis et interdicti etiam contentis in Bulla *Cænæ Domini* absolvere potest major Pœnitentiarius, Regulares quidem in utroque foro, reli-

quos verò in foro conscientiae tantùm; quanquam et illos potest absolvere in utroque foro in censuris publicis latis à jure, Apostolicæ Sedi reservatis, et etiam nominatim declaratis vel latis nominatim ab homine si expiraverit jurisdictionis Judicis delegati à quo latae fuerunt, vel quando absolutio remissa fuerit ad Romanum Pontificem, vel quando proprios Judices adire rei non possunt. Obligandi sunt tamen rei isti, ut satisfaciant parti, alioquin recidunt in eandem censuram. Si verò hæc satisfactio à parte recusetur, tunc major Pœnitentiarius illi præscribat hanc satisfactionem, qua à parte recusata, nihil ultra agendum est. *Bulla Postor bonus*, Bull. Tom. I. n. 95. §. 7.

Si Episcopus excommunicationem aliquam tulerit per legem generalem incurrendam à transgressoribus, declaretque, illos statim fore evitandos, licet publicè ac nominatim denunciati non sint, quia facti notorietate dignoscitur, illos in excommunicationem incidisse; excommunicatio ista nequaquam sustinetur, cum repugnet Constitutioni Martini V *Ad evitanda*, quidquid in oppositum sentiat Fagnanus in cap. *Quod à Prædecessore*, num. 55. de Schismat. De Syn. Diœc. l. 12. c. 5. n. 4.

Excommunicatio in *Bulla Cænæ*, qua vetatur fidelibus deferre arma etc. ad Turcas, non afficit fideles Turcarum imperio subjectos, qui imperantibus illis arma suppeditant, aliò transvehunt, dummodo id peragant amoto animo iniquo nocendi fidelibus. De Syn. Diœc. l. 13. c. 20. num. 6.

Ad postulata Episcoporum Albanensium rescriptum fuit à Congregatione de propaganda Fide, mandante Pontifice, ne inquietarent fideles, si navibus suis ad Turcas nullo bello inter Christianos et Turcas furente, transvehant sclopos majores, aut minores, sarissas, gladios, plumbeas glandes, nitratum pulverem, chalybem, ferrum, aurichalcum, æs, funes et alia ad naves bellicas instruendas idonea, adhibito tamen modo quoad numerum et quantitatem, ut fieri ab illis solebat. Firmam tamen voluit prohibitionem transvehendi vel pacis tempore, vel belli mortaria, incendiarias pilas, tormenta bellica majora, plumbeos, aut ferreos majoris moduli globos, ipsosque sclopos ingenti numero. Quæ tamen facultas illis facta est, quia non aliter possunt victum sibi comparare, atrocesque persecutiones evitare. *ibid.* num. 7.

EXEMPTIO.

Exemptio Ecclesiastici à jurisdictione sui Episcopi non conceditur à Congregatione; nisi evidenter probetur sævitias contra se exercita, aut justus timor ne exerceatur, et nec tunc nisi priùs audito Ordinario, ipsoque fraternè admonito, ut mitiùs agat. De Syn. Diœc. l. 13. cap. 10. num. 30.

Tunc autem plerumque nihil fit aliud nisi ut prohibeatur Ordinarius, ne procedat ad censuras, carcerationem etc. nisi priùs obtenta à Congregatione, vel à Metropolitanò facultate. Imò si

reas in flagranti crimine deprehendatur, tunc non intelligitur subtracta facultas Ordinario procedendi adversus delinquentem, ut ex Decr. S. Congreg. ib.

EXECUTIO PROVISIONUM CURIAE ROMANAE.

In Bulla *Pastoralis regiminis*, Bull. Tom. I. n. 47, feriuntur excommunicatione Pontifici Romano reservata laici impediētes executionem mandatorum, citationum, aliarumque provisionum Romanae Curiae: et illi pariter qui impediētibz hujusmodi auxilium, consilium vel favorem praestant: Regulares verò et Ecclesiastici suspensionem ipso facto incurrunt tam ab exercitio Ordinum quàm officiorum, quae ambae censurae sunt reservatae Romano Pontifici. Notarii verò sive tabelliones recusantes facere hujusmodi provisionum et executionum instrumenta publica ad instantiam partis, privantur officio notariatus et infames declarantur.

EXEQUIAE

Si testator jusserit sepulturae mandari corpus suum sine precibus, et Psalmis et Missis, associatione Clericorum, candelis ardentibus, ejus voluntas non est attendenda, ut decidit S. Rota coram Molines in Romana Funeralium die 15 Junii 1699. Instit. Eccl. 36. n. 22.

Clemens XI mandavit in edicto legendo in ejus Bull. pag. 317. ut in associatione funeris cujuscumque serventur leges Ritualis Romani in tit. *De Exequiis*, §. *Constituto tempore*. Fieri tamen potest, ut in aliquo singulari rerum articulo cadaver deferendum sit aliter quàm praescribat Rituale; quod tamen fieri non debet absque Episcopi scientia, ut ex. gr. si deferendum sit cadaver in curru tectio, quod saepe alias prohibuit S. C. apud Petram in Constit. Apost. Tom. II. n. 10.

Parochi associantes funus ad Ecclesiam Regularium arceri non possunt ab ingressu Ecclesiae illius cum cruce et stola, ut ex Bulla *Pretiosus* Bened. XIII. ib. n. 26.

Cadavera Sacerdotum, Diaconorum et Subdiaconorum exponi non possunt in Ecclesia, alia induta veste, quàm sacra sui Ordinis, ut ex decreto Clementis XI. ib.

EXORCISMUS.

Non licet Regularibus, contradicente Episcopo, exorcizare in propriis Ecclesiis. Encyclica ad Episcopos Poloniae *Magno cum animi*, Bull. Tom. III. n. 48.

In Epistola ad Episcopum Augustanum, Bullar. tom. I. num. 141, laudatur Encyclica Clementis XI, data 21 Junii 1710, qua injunctum est, ut nemo exorcizans à norma Ritualis Romanae ulla ex parte discedere praesumat.

EXPOSITIO SS. SACRAMENTI.

Expositio SS. Sacramenti permitti non debet nisi ex publica causa ab Ordinario approbata, etiamsi Ecclesia sit Regularium, quod ex Trid. sess. 21. c. 8, evincit et statuit S. C. Concilii. Quanquam ex causa privata licet Regularibus in propriis Ecclesiis exponere SS. Sacramentum, dummodo non extrahatur à Tabernaculo, et hostia sit velata, ut ex pluribus S. C. Decr. firmatur. Inst. Eccles. 3o. num. 11 et 12.

Reprobatur apud frequentes scriptores usus exponendi palam SS. Eucharistiam in festis Sanctorum. ib. n. 15.

Si exponatur SS. Sacramentum intra Tabernaculum apertum, et in pyxide tecta, sex saltem candelæ ardere debent ex sensu S. Congr. ib. n. 21.

Verum si extra Tabernaculum id fiat in Ostensorio velato, tunc saltem duodecim candelæ ardentes apponendæ. ibid. num. 23.

EXTREMA UNCTIO.

Extremam Unctionem verum esse novæ legis Sacramentum à Christo Domino institutum, per Apostolum Jacobum fidelibus commendatum et promulgatum, Tridentini PP. definiverunt. Materia ejus remota est oleum ex olivarum baccis expressum, nulli alteri materiæ saltem ex perpetuo usu Ecclesiæ immixtum; quæ tamen materia si in parva quantitate fuerit, adeo ut non destruat olei speciem, validitati Sacramenti nequaquam officit. Debet verò oleum istud Episcopali benedictione ante sacrari, ut ex antiquissima PP. traditione colligitur. Ita tamen ab Episcopo esse illud oleum benedictum oportet, ut nihilosecius possit ex commissione, sive expressa, sive tacita Romani Pontificis à simplici Sacerdote consecrari, ut ex more vetustissimo Ecclesiæ Orientalis eruitur. Ita docet Pontifex in Tractatu de Syn. Diœc. l. 8. c. 1.

Unctionis Extremæ forma in Rituali Romano expressa, est deprecativa, nunquam tamen definitum est ab Ecclesia, an hæc ita necessaria sit, ut non æquè ad sacramenti validitatem sufficiat, si indicativo modo concipiatur; satis enim constat, formam illam expressis verbis nequaquam institutam fuisse. Constat tamen aliter, quam in Rituali exhibeatur, proferri absque gravi flagitio privata auctoritate non posse.

Partes ungendæ aliæ quidem necessariæ sunt, ut Sacramentum fiat; aliæ necessitate, uti vocant, præcepti; aliæ verò ratione aliqua suadente tuto omittuntur. Ex his postremis sunt pedum et renum unctio, hæc enim in fœminis omittitur; illa verò cum gravi incommodo præteriri potest. Cæteræ quinque sensuum unctiones saltem ex præcepto adhibendæ sunt: num verò singulæ ita sint necessariæ, ut absque illis Sacramentum non consistat? aliter alii disputant. Si necessitas urgeat, ægri qui mox decedurus timetur, unicus sensus ungendus est, ea pronunciata forma,

quam Rituale in his rerum eventibus assignat, caput tamen præferendum. De Syn. Diœc. l. 8. c. 3.

Sacramenti hujus Ministros esse Sacerdotes nemo, qui fidem Christi profitetur, negaverit, ita desinente Trid. sess. 14. c. 4. Quanquam verò conferri à pluribus simul Sacerdotibus valeat, modò tamen singuli suum diversum sensum cum forma eidem debita inungant: usus tamen jam inde pluribus sæculis in Latinam Ecclesiam in vectus extra articulum necessitatis fert, ut unus tantummodo sacro oleo liniat, totumque perficiat Sacramentum, cui mori citra lethalem culpam se non conformare nemo potest. De Syn. Diœc. lib. 8 cap. 4. Laudabile tamen fuerit si dum res sacra peragitur, plures assistant Sacerdotes, vel saltem probi viri, ut *oratio totius Ecclesiæ* ad effectum hujus Sacramenti coadjuvet, quæ verba sunt S. Thom. c. 43. l. 4. contra gentes. ib. n. 5.

Ministrare istud Sacramentum validè omnes Sacerdotes possunt; uni tamen Parocho de jure competit cum sit ejus Minister ordinarius. Alii si id audeant absque parochi facultate, contra statutum in Catechismo Romano peccant. Quinimo Religiosi ægrotum ungentes, minimè à Parocho petita venia, præter gravis culpæ reatum in excommunicationem incidunt Apostolicæ Sedi reservatam in Clementinâ I de Privilegiis; excluso tamen necessitatis articulo, in quo actum charitatis, non auctoritatis abusum exercent. Hæc dicta sint de Latinis Sacerdotibus, cum de Græcis alia sit ratio, nam apud istos mos est, nec à Romanis Pontificibus improbatus, ut in hoc Sacramento conferendo septem Sacerdotes, vel saltem tres præsto sint. ibid. n. 8.

Unguntur verò fideles tali morbo laborantes, unde peritorum judicio mors proximè secutura prudenter timeatur; quare dene-gandum est iis, quibus certum adest vitæ periculum, puta mare transgressuris, prælium inituris, ultimo supplicio afficiendis; cum hoc illis desit, quòd morbo periculoso laborent. Hoc verò morbi gravis periculum ita necessarium est, ut sanis collatum Sacramentum, vel nullum sit, vel illicitum. Neque urget Græcorum consuetudo ungenti bene valentes; nam si id agant rati, se conferre verum Sacramentum, increpandi acriter sunt, et prohibendi; sicut tunc etiam cum, ut apud illos interdum fit, loco satisfactionis per Confessarios imponendæ, pœnitentes inungunt. ibid. cap. 5.

Providendum est tamen à Parocho, ne in hoc Sacramento administrando supremum vitæ articulum expectet; sed maturius id agat, cum æger nondum sensibus destitutus, precibus Sacerdotis suas etiam adjungere valet. Providendum illi est etiam, ne hoc sacramentum, quanquam non est de præcepto, petentibus deneget; id enim si vel illi negaret, vel non offerret, gravem culpam committeret. Quin nec desunt plures, qui opinentur, ægrotum negantem recipere sacram unctionem, reum haberi lethalis culpæ, cum ex contemptu Sacramenti id renuere meritò censeri possit. ib. c. 7.

Pueris ante usum rationis ex perpetua Ecclesiæ doctrina non datur, quanquam, ut id licitè fiat, ætas illa firmior expectanda non est, qua Sacramenti Pœnitentiæ capaces censentur. Pueris accensendi sunt etiam perpetuò amentes et furiosi, quibus constans fuit per totam vitam amentia. Constans inquam, nam si adulti usum rationis aliquando obtinuerunt, tum inciderunt in amentiam, cum aliquid criminis committere potuerint, utique inungendi sunt. *ibid.* cap. 6.

Sed quid, si subita vi morbi correpti in amentiam incidant, ut petere sacramentum minimè valuerint? Eos profectò hoc Sacramentum iuvare oportet, si præsertim sensibus destituti aliorum sacramentorum remedio iuvare non possint. *ib.* cap. 6.

Ordo in hoc Sacramento conferendo quanquam non idem fuerit semper in tota Ecclesia, cum alii statim post Sacramentalem absolutionem ante viaticum ægrotos inunxerint, alii post viaticum; cum tamen Ecclesiæ Romanæ disciplina in Catechismo Concilii Tridentini expressa postremam hanc agendi rationem servaverit, æquitatis ratio postulat, ut ab ea non recedatur. *ib.* cap. 8.

Eodem morbo et periculo perseverante, repetere Sacramentum istud non licet; si verò morbi vis ita remiserit, ut recessisse periculum mortis videatur, iterumque recrudescat, et novum mortis periculum urgeat, tunc iterum unctio peragenda est. *ibid.* In dubio tamen num morbi status sit mutatus, seu num idem perseveret, expedit, ut ad Sacramenti iterationem Parochus propendeat. *ibid.* *Peccat graviter* ille, qui tandiu differt Extremam Unctionem conferre, *Cum jam ægrotus omni salutis spe, vita et sensibus carere incipiat.* Verba hæc sunt Catechismi Romani de Extrema Unct. *ib.* n. 3.

An teneatur Parochus Sacramentum hoc administrare peste laborantibus. dictum est V. *Parochus.* An valeat si instrumento, nempe penicillo inungatur corpus ægroti peste infecti nihil deceditur; asseritur tamen hunc ritum in Ecclesia hucusque fuisse inusitatum. De Syn. Diœc. lib. 13. cap. 19. n. 17.

Non refert utrum hoc Sacramentum conferatur ab uno sive à pluribus Presbyteris juxta morem Græcorum, dummodo illi credant hoc fieri posse etiam ab uno validè et licitè. Necesse tamen est ut Sacerdos Græcus, qui ungit, idem et formam pronunciet. Bull. *Etsi pastoralis*, Bull. Tom. I. num. 57.

FESTI DIES.

Opera servilia diebus festis prohibentur, ne ruralibus quidem exceptis; conceduntur tamen, si urgeat vera, et non affectata necessitas. Affectata verò illa diceretur, in qua opera, quæ diebus præcedentibus fieri possent, ad diem festum transferrentur. Petenda est tamen à Superiore facultas, si quid insurgat necessitatis. Hanc verò facultatem dare solet Episcopus Parochis ruralibus in ordine ad opera agrestia, qualia se haberent operatio plaustrorum, collectio frugum et fructuum, herbam secare, col-

ligere fœnum, quando periculum imminet veræ tempestatis, vel quando die sequenti transferenda sunt in Civitatem, nec posset id commodè differri. Instit. Eccles. 55. n. 33, etc.

Molitores non possunt molitioni incumbere, etiamsi molendum aqua, seu jumentis, seu vento volvatur; non possunt, inquam, seclusa consuetudine, vel necessitate: quæ necessitas, si adsit, in Diœcesi Bononiensi facultas non à Parocho, sed à Curia Archiepiscopali conceditur. ib. n. 37.

Piscatio inter opera servilia die festo vetita referenda est; si tamen necessitas urgeat piscandi, eò quòd statis anni diebus fiat transitus piscium, quo elapso temporis articulo piscatio eorum nulla fieret, tunc pauperibus piscatoribus datum est, ut operi illi incumbere possint, dummodo id non præsent die Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Paschatis, Ascensionis, Pentecostes, et Corporis Christi, juxta ac olim concessum fuit Trevirensibus ab Alexandro III. De Syn. Diœc. l. 13. c. 18. n. 10.

FIDES.

Actus Fidei, Spei et Charitatis debent per accidens elici, cùm aliqua tentatione urgemur, nec illam superare valemus, nisi efficacia illorum actuum. Instit. Eccles. 72. n. 20.

Non sufficit ad implenda tria ista præcepta, seu charitas virtualis, quæ in obsequendo divinis præceptis exercetur, nec etiam fides virtualis, ut ex pluribus damnatis propositionibus firmatur. Instit. Eccles. 72. n. 20.

Si quis diuturno satis tempore negligit elicere actus Fidei, Spei et Charitatis, illum versari in periculo æternæ salutis firmatur. ibid. n. 21.

Non licet Christianis degentibus sub Turcarum Imperio, vel Turcis, qui ibidem agentes convertuntur ad fidem, Turcica sibi nomina, vel retinere, vel imponere; hoc enim pertinet ad æternam fidei professionem, Constit. *Inter omnigenas*, ad incolas Regni Servix, et finitimarum regionum: et Congregatio universalis Inquisitionis in rescripto ad postulata Episcoporum Albanensium idem edixit. De Syn. Diœc. l. 13. c. 20. n. 9.

Christiani ad Turcas apostatantes, deinde redeuntes ad fidem, tenentur coram fidelibus publicè abjurare apostasiam: at coram infidelibus non est necessarium, sed sufficit, ut coram ipsis abstineant ab actibus infidelitatis, deponant vestem protestativam falsæ Religionis; et curent, ut successu temporis infideles agnoscant vel ab ipsis, vel ab aliis eorum abjurationem etiam cum periculo vitæ. Ita ex Decr. S. Inquisitionis. ibid. n. 17. At in Decreto servato in Archivio S. Inquisitionis non legitur hoc additamentum *curent, ut successu temporis, etc.*, quare ad id non esse obligandos fideles additur. ibid. n. 18.

GRÆCI.

Græci in Italia degentes ordinem suscipere non possunt, nisi ab Episcopo Græco Romæ constituto, sive ab altero Græco.

Episcopo in Calabria in Oppido S. Benedicti Ullani Bisimianensis Diœcesis, ut ex Constit. Clem. VIII 34, quam et Benedictus XIV confirmavit Bulla 57, Tom. I. De Syn. Diœc. l. 2.

c. 12.

Quamquam verò habeant aliquando Vicarios suos Apostolicos ex Græcis assignatos, adhuc tamen et Vicarius, et cæteri Græci omnimodo jurisdictioni Latinorum Episcoporum subsunt. *ibid.* n. 8.

Græci non tenentur in Symbolo pronunciare à *Patre Filioque*, quamquam id debeant credere. Ubi tamen viget consuetudo, sicut etiam à Græcis in quibuscumque Italiæ et insularum adjacentium regionibus commorantibus, si ab Ordinariis locorum ob aliquam legitimam causam fuerint requisiti, illam addere omnino tenentur. Hæc omnia in Bull. *Etsi Pastoralis*, Bull. Tom. I. n. 57.

Licet autem in fermentato Eucharistiam conficere permittantur, credere tamen debent etiam in azymo eam veraciter confici. *ibid.* n. 1.

Item qui in Dei charitate decesserint nondum plenè per Pœnitentiam purgati, purgatorii pœnis expiandos esse in altera vita, quibus suffragia fidelium viventium prosint.

Item animas purgatas statim in cœlum recipi ad intuitivam Dei visionem. Qui verò cum peccato mortali decesserint, hos in inferni carcerem protrudi pœnis imparibus puniendos pro imparitate delicti.

Item superioribus hisce adjiciendus est primatus Romani Pontificis in universam Ecclesiam. *ibid.*

HÆRETICI.

Hæretici occulti absolvi possunt in foro conscientiae à majori Pœnitentiario, vel de ejus mandato. Occulti verò sunt, qui, etsi hæresim suam extrinsecis actibus manifestarint, nemo tamen illos vidit. Ita in Bulla *Pastor bonus*. Bull. Tom. I. n. 95. §. 9.

Potest etiam major Pœnitentiarius in foro conscientiae absolvere publicos hæreticos, seu apostatas à fide, quando necesse non est complices denunciare, illis nempe mortuis, sive degenitibus in locis palam infectis; non verò si illi vivant, ubi inquisitionis officium viget. *ibid.*

Principes, vel qui Vicarii nomine statui præsumunt, Dominiæ, et Respublicæ, illarumque administratores, vel qui administrationem habere solent, Episcopi et superiores Prælati, in casibus publicis contentis in Bulla *Cœnæ Domini*, ab illo absolvi nequam possunt. *ibid.* §. 11.

Sicut nec ab eo absolvi possunt ab incurta censura omnes quicumque, etiam S. R. E. Cardinales, qui vivente Romano Pontifice de alio eligendo, vel excludendo tractaverint, suffragia iniverint, ambitusque, aut pactiones fecerint. *ibid.* §. 12.

Nec potest absolvere eos, qui per astrologiam judiciariam per

se, vel per alios de statu Reipublicæ Christianæ, sive de vita et morte Romani Pontificis tunc existentis inquisierint. n. 13.

Denique neque potest in casibus publicis violatæ immunitatis seu libertatis Ecclesiasticæ, etiam non deductis in iudicium. n. 14.

Tenetur Episcopus etiam in locis ubi Officium S. Inquisitionis viget, sedulo curare, ut creditam sibi Diocesim ab hæreticis purget, et si quem reperit, pœnis canonicis punire debet; cavere tamen debet, ne fidei Inquisitores à suo munere obeundo impediatur. Deductum verò hæreticum ad suum Tribunal non minus Episcopus, quam Inquisitor reconciliare possunt Ecclesiæ, et pro utroque foro absolvere. Quin et possunt hæreticum, postquam errores suos ejuraverit, ad simplicem Confessarium pro absolutione remittere, quæ tunc data à Confessario in foro Sacramentali absolutio pro foro pariter externo valet. Ita in Tr. De Syn. Diœc. l. 9. c. 4. n. 3.

Ab hæresi merè interna et mentali, nullo exteriori signo manifestata simplex Confessarius absolvere potest; cùm hæresis sit summo Pontifici reservata per censuram annexam, quæ certè in eo casu nulla est. Potest etiam simplex Confessarius eum absolvere, qui verbo aliquo, vel facto fidei articulum negaverit, interiori tamen assensu fidem retinuerit, neque enim in ea rerum circumstantia censura illigaretur. Quanquam in foro externo tanquam hæreticus puniretur, et nequidquam obtenderet se in corde fidem retinuisse. *ibid.* n. 4.

Si verò agatur de hæresi externa occulta nondum deducta ad forum Episcopi, olim quidem facultas facta fuit Episcopis à Conc. Trid. Sess. 24. c. 6, ut per se non verò per Vicarios suos, ab illa absolverent in foro conscientiæ. Sed cùm in Bulla singulis annis publicata reservetur Romano Pontifici absolutio inter cætera etiam ab hæresis crimine; et in ea Bulla derogeretur omnibus contrariis Decretis ejusvis Concilii, hinc quæstio agitur apud Theologos, num hodie pariter Episcopo maneat facultas absolvendi hæreticos in foro conscientiæ. Neganda tamen est illis hæc facultas; nam illis verbis *non obstantibus cujusvis Concilii Decretis*, omnis Concilii Tridentini facultas Episcopis adimitur. Quam in rem multa Congregationis S. Officii et Congregationis Conc. afferuntur decreta, et adjiciuntur S. Pii IV, Greg. XIII, Clem. VIII, vivæ vocis oracula, ne quid dixerim de propositione 3, inter damnatas ab Alexand. VII. « Sententia asserent » Bullam *Cænæ* solum prohibere absolutionem hæresis, et aliorum criminum, quando publica sunt, et id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est » anno 1629, 18 Julii in Consistorio S. C. Em. Card. visa et » tolerata est. » Ingenuè quidem fatendum, hanc propositionem ideo confixam fuisse ex falsa assertionem de approbatione S. C., quæ nulla fuit. Vix tamen creditur, Pontificem adeo se præbuisse sollicitum de amovenda hac S. C. approbatione ab ea propositione, nisi et eandem ipsam propositionem improbabilem

judicasset. De Syn. Diœc. l. 9. c. 4. n. 9. Sed nec credi potest facultatem ab hæresi hujuscæ absolvendi Gallicanis Episcopis datam esse, quanquam eam sibi multi arrogant, ut multis argumentis cap. 5. evincitur. Quod verò negatur Episcopis, negandum etiam est Inquisitoribus Hispaniæ et Lusitaniæ, quibus si aliqua olim fuit in hanc rem auctoritas, modò ex Bulla *Cœna* sublata est ibid. c. 5. n. 4.

HOMICIDIUM.

Cum homicidis et bannitis etiam in casu homicidii voluntarii major Pœnitentiarius potest dispensare, ut Religionem approbatam etiam tanquam Clerici ingredi possint, additis tamen quibusdam clausulis, de quibus Pontifex in sua Bulla *Pastor bonus*, Bullar. Tom. 1. n. 95. §. 17.

JEJUNIUM.

Dispensatio impetrata in Quadragesima vescendi carnibus non continuò deobligat ab unica comestione, quare sic dispensati declarantur ad eam teneri, nec miscere posse *epulas licitas, atque interdictas*. Constit. *Non ambigimus*, Bull. Tom. I. n. 19.

Hac verò admixtione vetita est comestio carniùm cum piscibus. Ita declaravit Pontifex in Epistola ad Archiepiscopum Comptellæ. Bull. Tom. 1. n. 99.

In vespertina refectiuncula debent dispensati illi abstinere à carnibus, nec possunt quidquam aliud gustare, quàm quod cæteri non dispensati. ib.

Debent sicut cæteri horam jejnantibus præscriptam in comestione servare. ib.

Id, quod præscribitur de non miscendis carnibus cum piscibus, æquè servandum est in Dominicis Quadragesimæ.

Utrumque hoc præceptum unicæ comestionis, et cavendæ admixtionis carniùm cum piscibus urget etiam in jejuniis extra Quadragesimam. ib.

Qui tamen ex dispensatione utuntur ovis et lacticiniis, à piscibus abstinere non tenentur. ib.

In petendis à Pontifice dispensationibus generalibus à jejunii disciplina pro Oppidis et Diœcesibus, monentur Episcopi, ne faciles se præbeant, sed priùs consulendi medicinæ peritiores, exquirendo ab illis, num morbus sit communis, ita ut nulla ætas libera et incolumis esse queat, adeoque ad præservationem à morbo multùm conducere judicent, si dispensatio à carnibus concedatur, tunc verò illas petant. Alia, quæ servanda ab illis sunt, latiùs explicat Encyclica *Libentissimè*, etc. Bull. Tom. 1. n. 130.

Potum chocolatis die jejunii tolerat Pontifex Instit. Eccl. 15. n. 10. Vix tamen admittit majorem longè cyathum, nec omnino tolerat sæpius eadem die iterare. ibid.

Filios seu famulos non servare jejunium Quadragesimæ

quoad abstinentiam à carnibus, eò quòd cum patre-familias dispensetur, nec potest sufficere sumptibus duplicis mensæ, id non sine maxima abusione admitteretur. Instit. Eccles. 15. n. 25.

Bened. XIV in sua Const. *Pias Christi fidelium*, Bull. Tom. IV. num. 2, concedit iterum singulis Confratribus Confraternitatis S. Mariæ de Succursu, in civitate Januæ erectæ, commorantibus in Januensi ditione, et dominio, et complementibus statuta, seu pia opera in ea præscripta, privilegium ovis et lacticiiniis vescendi certis diebus Quadragesimæ, nempe diebus Dominicis, secundis, tertiis et quintis feriis. Hoc insuper privilegium antea concessum prorogat eadem Bulla ad omnes feriales dies, Quadragesimæ etiam Dominicas, comprehensa pariter Dominica in Palmis et Hebdomada majori, quam in priori privilegio exceperat. Sed ab hac exemptione excipit Archiepiscopos, Episcopos, inferiores Prælatos, nec non regulares omnes, et quoad sæculares Ecclesiasticos eos, qui ad ordinem Presbyteratûs fuerint promoti, nisi tamen illi sexagesimum ætatis annum compleverint. Vult tamen, ut illi omnes exempti legibus jejunii de unica comestione in die subjiciantur. Datur illis pariter privilegium, ut bis in vita tantummodo possint absolvi à simplici confessario à reservatis Sedis Apost. sicut etiam id possint in mortis articulo. Declarat verò in §. 3, in eadem facultate absolutionis obtinendæ non comprehendi reservata ab Ordinariis locorum.

IMAGINES SACRÆ.

Non est permittenda imago Spiritûs Sancti sub figura hominis, cum id nunquam obtinuerit in Ecclesia. In Epist. ad Episcopum Augustanum, *Sicut nec imago trium hominum æqualium ad representandam SS. Trinitatem*. Bull. Tom. I. n. 141. ib. §. 34.

IMMUNITAS LOCALIS.

Ab immunitate locali præter exemptos in Bulla Greg. XIV, alios etiam adjungendos censuit Bened. XIII in Bulla *Ex quo dioina*, scilicet sequentes :

I. Impedientes ne quis recurrat ad locum immunem, vel ex eo violenter extrahunt.

II. Interficietes proximum animo præmeditato, ac delibèrato.

III. Adulterantes litteras Apostolicas.

IV. Reos furti, seu quid falsi committentes in Monte Pietatis, vel in loco publico, ubi pecuniæ deponuntur, vulgo Banco, ex quo crimine arca pecuniaria ita minuatur, ut pœnæ ordinariæ locus sit.

V. Vitiantes, seu abradentes, aureas, argenteasque monetas cujuscunque Principis etiam externi cursum in eo loco habentes, ubi delictum committitur; vel sic vitiatas monetas scienter ita expendentem, ut fraudis conscius, et particeps censeri possit.

VI. Illos, qui curam simulantes insinuant sese in domo ad furandum, dummodo simul etiam committant homicidium, aut mutilationem membrorum in eos, qui etiam per accidens in ea domo sunt, effectu tamen secuto.

VII. Homicidium etiam in rixa, si ex processu reus sit deprehensus, seu in exilium eo nomine agitur. Quod valet tantummodo in Ecclesiastica ditione. Inst. Eccl. 41. n. 21.

In eadem Bulla immunitate privatur ille, qui stans in Ecclesia, vel in cœmeterio interficit stantes extra illa loca, et vice versa.

Ab ea verò immunitate excluduntur non solum respectu ejusdem Ecclesiæ violatæ, sed et aliarum omnium. ib. n. 22.

Declaravit etiam eos censi grassatores viarum, si unum tantummodo homicidium, seu mutilationem commiserint etiam in nia viciniali. ib. n. 23.

Extendit hoc pariter ad mandantes, qui certum præmium promiserint mandatario, etsi non dederint, homicidium tamen, seu mutilatio commissa sit.

Clemens XII hanc Bullam confirmavit Constitutione sua *In supremo*, et extendit etiam ad ecclesiasticos homicidas, sicut etiam ad majores annis viginti, quos omnes comprehensos declarat, si etiam mandatum, consilium, instigationem, auxilium cooperativum, aut aliam operam occisori præbuerint, ex quorum singulis pravis actibus homicidium evenerit. Adjecit, indicia ad tradendum reum Judici sæculari sufficere, si talia saltem sint, quæ ad torturam valeant. Hæc tamen valere statuit tantummodo pro ditione Ecclesiastica.

Denique Benedictus XIV in sua Bulla *Officii nostri*, Bull. Tom. III. n. 29, confirmavit ea omnia, declaravitque comprehendi etiam Ecclesiasticos, et mulieres reas homicidii, sicut etiam occidentes baculo, aut saxo. Exemit verò, quando commissum esset homicidium casu, aut necessaria defensione; restringit enim quando id agitur ex odio, et nocendi animo.

Declaravit etiam, quòd si fortè accidat, ut vulneretur quis ad mortem, et percussor statim confugiat ad Ecclesiam nondum morte secuta, tunc si chirurgi grave vitæ periculum adesse retulerint, tunc reus servatis servandis possit extrahi ab Ecclesia, et mancipari carceribus, ita tamen, ut si vulneratus vivat ultra tempus à legibus constitutum, Ecclesiæ iterum restitatur.

Confirmat Constitutionem Benedicti XIII in eo quòd privativè ad Episcopos pertineat facultas demandandi extractionem delinquentium ejusmodi è loco immuni (quæ facultas dari potest cum adsunt indicia ad carcerationem) adeo ut, si locus sit nullius Diœcesis, tunc recurrendum voluerit pro ea facultate ad Episcopum viciniorem, et semper cum fit extractio, adsit Ecclesiasticus ab eo deputatus.

Facta extractione, construitur processus de mandato Episcopi; si indicia ad torturam sufficientia reperiantur, tunc consignan-

us est reus iudici sæculari, (obligando tamen illum sub excommunicatione latae sententiæ, ut si reus purgaverit indicia, restituatur Ecclesiæ.)

Si homicidium perpetratum est in locis à residentia Episcopi remotis, mandat, ut de mandato Episcopi Vicarii Foranei indicia ad extractionem necessaria juridicè colligant, statimque ad Episcopum transmittant.

Transgressores sacræ immunitatis, etiam quoad pœnas, declarat eos, qui sine recursum ad Episcopum extrahunt, sive etiam obsidere præsumunt loca immunia, ne alimenta ad reum deferantur, sive aliter cogunt reum, ut se dedat Curiaæ sæculari.

Qui sic egerint, privat eos iure asyli.

Si quæ viget consuetudo inter finitimos Principes, ut homicidæ committentes delictum in alterutrius ditione, capiantur, et transmittantur ad Principem loci, ubi delictum commissum est, ab Episcopo loci homicidii exquiri jubet indicia, et transmitti ad Episcopum asyli, ad quem pertinet mandatum dare de extractione.

Hæc tamen Bulla lata est tantum pro ditione Ecclesiastica, et pro illis Principibus, qui eam postulaverint.

Hæretici, aut de Hæresi suspecti, Judæi post Baptismum in apostasiam lapsi, possunt ab Inquisitoribus extrahi ab Ecclesia, sed vel ante, vel post capturam, commoneri debet Episcopus. Encycl. ad Inquisit. *Elapso proximè*, Bull. Tom. III n. 40.

Qui è loco relegationis, sive è carceribus, sive triremibus in asylum se proripit, nisi reus sit criminum quæ immunitate privantur, iure asyli potitur. ib. n. 5.

Pœnæ contra turbantes immunitatem afficiant etiam eos qui impediunt ne Judex Ecclesiasticus cognoscat in causis, in quibus habet auctoritatem tantum cumulativam. Inst. Eccles. 40. n. 10.

Si quis reus dolosè extrahatur ab Ecclesia, et extra illam capiat non per vim, aut per salvum conductum, ista dolosa extractio reo non suffragatur, ut ex Decr. S. C. die 22 Decemb. 1716. Inst. Eccles. 41. n. 9. n. 31.

INDULGENTIA.

Indulgentias plenarias solus Romanus Pontifex conferre potest, cui Thesauri Ecclesiæ clavium commissa est custodia. De Syn. Diœc. l. 2. c. 9. n. 7.

Omnibus Episcopis facultas à jure conceditur indulgentiam dierum quadraginta largiendi, et centum in Ecclesiæ dedicatione, ex Cap. *Cum eo de Pœnit.*

Cardinalibus verò centum dierum. Hanc verò indulgentiam etiam Regulares lucrantur; cùm eorum exemptio non debeat illis in damnum converti. Inst. Eccl. 63. n. 16.

Vicarius Capitularis ne indulgentias quascumque conferat

abstinere debet. Ita ex Decretis S. C. De Syn. Diœces. l. 2. c. 9. n. 7.

Pro lucranda Indulgentia non sufficit opera injuncta præstare, ad quæ aliàs quis tenetur alio titulo, puta justitiæ etc. *Encyclica* de Quæst. in Jub. excit. §. 4. Bull. Tom. III. n. 21.

Indulgentiæ à Pontifice concessæ iis, qui cum confessione et communione Ecclesiam aliquam visitant, non exigunt, ut Ecclesia visitetur post confessionem et communionem; sed sufficit, ut si visitetur ante statum gratiæ, dispositio tamen habeatur eadem die confitendi, et communicandi, ut ex pluribus Theologis firmatur. *Inst. Eccl.* 48. n. 10.

Si quis pluries intra eandem diem Ecclesiam aliquam visiterit, in qua est indulgentia, non ideo pluries indulgentiam acquirit, juxta Decr. S. C. sub Innoc. XI, die 7. Mart. 1678, in declaratione Quæst. pro Jub. Aquisit. *Inter præteritos*, Bull. Tom. III. num. 21.

Indulgentiæ concessæ Fratribus et Sororibus Tertii Ordinis Secularis de Pœnitentia S. Francisci, sive collegialiter viventibus, sive in domibus privatis, reformavit Pontifex, et singulas numeravit, cæteris omnibus revocatis in Bulla de nova concessione ejusmodi indulgentiarum. Bull. Tom. III. n. 41. *Ad Rom. Pontif.* Sant autem ejusmodi Indulgentia plenaria confessis, et sacra Eucharistia refectis ea die, qua Ordinem ingrediuntur.

Item plenaria confessis, et communione refectis die-Festo S. Francisci, die 4 Octobris, S. Claræ, Sancti titularis Ecclesiæ, Oratorii, vel Capellæ ejusdem Tertii Ordinis, die dedicationis S. Mariæ Angelorum de Portiuncula, dummodo Ecclesiam ipsam, etc. devotè visitaverint, et de more oraverint.

Indulgentia plenaria in articulo mortis constitutis confessis, et communione refectis, et ore, vel si non potuerint ore, saltem corde nomen Jesu invocantibus.

Visitantibus Ecclesiam Tertii Ordinis, seu Oratorium sive Capellam diebus stationum in Missali Romano descriptis, ibique orantibus de more, indulgentiæ illæ conceduntur, quas prædictis diebus visitantes Ecclesias Urbis, et extra eam, consequuntur.

Confessis, et sacra communione refectis in festo Stigmatum S. Francisci, S. Ludovici Galliarum Regis, S. Elisabeth Reginæ Portugalliæ, itemque S. Elisabeth Hungariæ Reginæ, S. Margaritæ de Cortona, atque duodecim aliis anni feriatis, vel Dominicis diebus ad libitum eligendis, et à Superioribus ordinis approbandis, et visitantibus ac orantibus, ut supra, qualibet earum dierum septem annorum, et totidem quadragenarum indulgentiæ.

Item centum dies indulgentiarum lucrantur toties quoties interfuerint Missis, aut divinis Officiis in Ecclesia, ut supra celebrandis, seu congregationibus publicis, vel privatis Tertii ejusdem Ordinis ubivis faciendis; cum pauperes hospitio susceperint.

pacem composuerint, vel procuraverint, corpora defunctorum quorumcumque ad sepulturam associaverint, aut Processiones de licentia Ordinarii faciendas, SS. Eucharistiæ Sacramentum tam in Processionibus, quàm cum ad infirmos deferitur, vel saltem, si sint impediti, ad signum campanæ orationem Dominicam et salutationem Angelicam recitaverint. Item si quinquies Orationem Dominicam, et Salutationem Angelicam, sive pro Ecclesiæ necessitatibus, sive pro defunctis fratribus et sororibus recitaverint. Item si peccantem ad pœnitentiam redegerint, doctrinam Christianam rudes docuerint. Tandem quoties opus aliud pietatis vel charitatis exercuerint.

Indulgentiæ pro fratribus Tertii Ordinis S. Francisci de Paula conceduntur à Pontifice instar fere indulgentiarum pro illis, qui Tertium Ordinem S. Francisci de Assisio profitentur, excepto quòd indulgentiam plenariam consequantur in festo S. Francisci de Paula, S. Francisci Salesii, Dedicacionis S. Michaelis Archangeli, et in festo omnium Sanctorum, si visitaverint Ecclesiam aliquam Ordinis, si ibi sit, et in defectu unam aliquam Civitatis, vel loci ubi degunt. Cæteræ indulgentiæ eadem omnino sunt ac superiores pro Tertiariis S. Francisci Assisiensis. Quoad Cordigeros Sancti Francisci de Paula cingulum tantummodo benedictum ab aliquo fratre ejus Ordinis, vel ab alio deputato à Superioribus ejusdem Ordinis deferentes, die, qua cingulum assumunt confessi, et sacra communione refecti plenariam indulgentiam consequuntur, sicut et plenariam in Festo S. Francisci de Paula, visitantes ut supra; ac denique plenariam in articulo mortis, eo modo, quo Tertiarii S. Francisci Assisiensis. Quotidianam etiam indulgentiam centum dierum consequuntur, si in honorem Domini Jesu Christi, et SS. Apostolorum preces effuderint. Denique Cordigeri illi, sicut et Tertiarii pro quolibet bono opere sexaginta dierum indulgentiam consequuntur, in quo differunt à Tertiariis S. Francisci Assisiensis, qui centum dies lucrantur. Easdem omnes indulgentias applicare pro defunctis possunt. Bulla pro indulgentiis Tertiariorum Sancti Francisci de Paula *Inexhausti*, Bull. Tom. III. n. 56.

Indulgentiæ plenariæ in articulo mortis ab Episcopis per benedictionem impertiendæ. V. *Episcopus*.

Docentes rudes homines publicè, vel privatim orationis mentalis regulas, et modum itemque qui publicè docentes auscultaverint, dummodo verè pœnitentes, ac sacra communione refecti, toties quoties lucrantur septem annos, et totidem quadragenas de vera indulgentia. Item si assiduè eò convenerint; semel in mense, verè pœnitentes, et sacra communione refecti, orantesque pro more indulgentiis consueto, indulgentiam plenariam, defunctis etiam applicandam, lucrantur, quam pariter ita obtinent ii, qui toto mense, unico saltem horæ quadrante singulis diebus orationi mentali dant operam, dummodo verè pœnitentes et confessi Eucharistiam sumpserint, et orent pro concordia etc. Concedente hæc omnia Pontifice in Bulla *Quemadmodum*, Bull. Tom. II. n. 23.

De validitate indulgentiæ Portiunculæ, ejusque extensione ad omnes alias Ecclesias Ordinis S. Francisci ambigi non potest; nullo licet extante authentico documento, scientibus, et non contradicentibus Romanis Pontificibus. De Synod. Diœc. l. 13. c. 18. n. 5.

Item nec de Indulgentiis Ecclesiæ Lateranensis, quas approbavit, ex integro concessit Benedictus XIV in Bulla (Bullar. Tom. III. N. 75.) *Assidua sollicitudinis*. ib.

Indulgentias *in forma Jubilæi* concessas abrogavit Clemens VIII, aliique quidam Pontifices, quare si fortè agatur de aliqua ejusdem tenoris indulgentia, videndum erit, num post ea Decreta concessa fuerit, ut ex Tractatu de indulgentiis P. Theodori, part. 2. c. 4. §. 2. ib. n. 9.

Clemens XII in suo Brevi dato die 14 Aug. 1736, Indulgentiam plenariam, die ad libitum quotannis eligendo, concessit iis, qui anno integro ad pulsum campanæ sub horam noctis recitaverint Ps. *De Profundis*, vel semel Orationem Dominicam, et Salutationem Angelicam, cum versiculo *Requiem* in suffragium, defunctorum; dummodo ea die confessi, et communione refecti preces pias effuderint pro consueto more. Singulis verò diebus toties quoties easdem orationes ad signum campanulæ recitantes centum indulgentiarum dies consequuntur. Instit. Eccles. 61. n. 5.

INFIDELITAS.

Signa protestativa infidelitatis hæc indicat Pontifex in suis Decretis pro incolis Regni Serviæ, incipientibus *Inter omnigenas*, Bull. Tom. I. n. 89. Nomina Turcica assumere, infidelium templa, scilicet Moschæas frequentare, Jejuniarum dies per carniarum esum profanare ad effectum, ut Mahumetani credantur. Damnat etiam peccati illos qui ex hac vita migraturi cadavera sua Turcarum sepulturæ demandarent, cum istorum assistentia, et Mahumeticis adhibitis ritibus.

INTERDICTI.

Interdicti ab ingressu Ecclesiæ assistere non possunt Missæ, et divinis Officiis; neque coram illis potest Missa celebrari in Ecclesia. Spectat verò ad ministros Ecclesiæ illos ejicere; si tamen vis adhibenda sit cum scandalo, vel etiam frustra, tunc ex Suarez docemur Missam jam inceptam non esse omittendam. Inst. Eccl. 55. n. 11.

Interdicti ab ingressu Ecclesiæ, utrùm eam ingredi possint ad orandum tantummodo, quæstio est anceps inter DD. *ibid.*

Interdicti ab ingressu Ecclesiæ ob transgressionem præcepti de communione Paschali, si contumaces se præbuerint, ab Episcopo excommunicatione plecti possunt, ut ex DD. firmatur. Instit. Eccles. 55. n. 11.

IRREGULARITAS.

Major Pœnitentiarius in casibus occultis, et pro foro conscientie tantum dispensat in irregularitate ex quocumque delicto, vel defectu proveniente, tam cum laicis, quam cum Ecclesiasticis, vel Secularibus, vel Regularibus ad hoc ut possint initiari Ordinibus, vel in susceptis ministrare, ad superiores gradus ascendere, ac dignitates, etiam Cathedralis, et quæcumque beneficia Ecclesiastica quandocumque ante dispensationes alioquin canonicè obtentas retinere; nec non ut hujusmodi beneficia et dignitates (exceptis quando agitur de homicidio voluntario, vel alio gravissimo excessu, Ecclesiis Cathedralibus et Metropolitanis) etiam post delictum assequi valeant. Bulla *Pastor bonus*, Bullar. Tom. I. n. 95. §. 15.

Ubi additur, in irregularitatibus quoad Regulares ita dispensari posse, ut ad quæcumque officia et beneficia regularia ascendere valeant, excepto tamen Ordinis *Generalatu* in irregularitate ex defectu natalium. *ibid.* §. 31. Ea verò dispensatio conceditur tantum in foro conscientie, in casibus occultis, in publicis verò in utroque foro, auditis tamen Superioribus. *ib.* §. 32.

Clericus militie nomen dans ipso facto privatur beneficio et pensione, ut ex Decis. Rotæ Romanæ. Inst. Eccl. 101. n. 18. Quoad hanc irregularitatem hæc accipe. Clericum in sacris constitutum militantem, et arma ferentem in servitium alicujus laici Principis, si expeditionibus bellicis interfuerit, in quibus homicidia, furta, rapinæ, incendia secuta fuerint, multò probabilius est incidisse in irregularitatem, licet moraliter certus sit, se neminem mutilasse, vel occidisse, ut ex Decr. S. C. in Ipren. *Irregularitas* erui posse videtur. *ib.* n. 10.

Idem fortè affirmari potest de Clerico in minoribus beneficiato, cum ea, quæ vetantur ordinatis in sacris etiam beneficiatos Clericos comprehendant. *ib.* n. 23.

Clerici in minoribus, si militaverint in bello injusto, etsi ipsi neminem occiderint, vel mutilaverint, si tamen ala, in qua militant, homicidia commiserint, seu mutilaverint, inducit in eos Clericos irregularitatem; in eo enim casu Clericus facit unum corpus cum sociis, et ulterius dat operam rei illicitæ. *ib.* n. 8.

Porro si ille militaverit sub suo Principe, nec certò sciverit, bellum esse injustum, non tenetur per se indagare, num justum sit, necne, sed potest credere bellum esse justum. *ib.* n. 17. Idem probabiliter dici potest de Clerico militante sub alieno Principe, quia impossibile esset illi indagare, num sit bellum istud justum, injustumve. *ibid.* num. 17.

Si verò bellum esset justum, Clericus militans si certus sit moraliter se neminem occidisse, vel mutilasse, etiamsi hoc factum fuerit à sociis, non incidit in irregularitatem, ut ex cap. *Petitio de homicidio voluntaria*. *ib.* n. 10.

Demum si bellum sit justum et defensivum, si Clericus jussus

est arma capere, nec sufficient ad defensionem laici, non incidit in irregularitatem, etiamsi occiderit. ib. n. 9.

Illegitimi sunt irregulares ex defectu, adeoque Ordinum et beneficii incapaces; attamen pro minoribus Ordinibus, et beneficiis non habentibus annexam animarum curam, potest Episcopus cum illis dispensare; nonnisi verò Romanus Pontifex in aliis omnibus, ut ex cap. *Is qui*, de filiis Presbyter. in 6. De Syn. Diœc. l. 13. c. 24. n. 11.

Filii illegitimi Clericorum consequi non possunt beneficia, et pensiones in Ecclesiis, in quibus parentes eorum obtinuerunt aliquod beneficium, licet dissimile, neque in eisdem Ecclesiis ministrare; neque tandem pensionem ullam habere super fructibus beneficiorum, quæ ab eorum parentibus possessa sunt, ex Tridentino Sess. 25. cap. 15. *de Ref.* Sicut et nullæ sunt reciprocae resignationes à parentibus Clericis in favorem filiorum suorum factæ, ita ut ipsis filiis minimè suffragentur. De Syn. Diœc. l. 13. c. 24. n. 13. Quin nec filius illegitimus Parochi jam defuncti munus Confessarii obire potest in ea Ecclesia, quam pater Parochus obtinuit, ut ex verbis Congregationis vetantis, ne filii illi in ea Ecclesia *quoquo modo ministrent*, et ex responso S. Cong. habetur. ib. n. 14.

Vicissim autem, si pater in aliqua Ecclesia munus gessit Cappellani ad nutum amovibilis, potest ejus filius illegitimus idem munus ibidem obire; non enim est hoc beneficium seu pensio, ut ex responsione S. C. ibid.

Si verò pater dignitatem in Ecclesia aliqua obtinuit, filius titulo Missæ semper in eadem celebratæ non potest fieri particeps emolumentorum quæ Sacerdotes post certum servitii tempus obtinere ibi consueverant, ut ex responso S. Congreg. ib.

Si Patronus beneficii Rectorem interfecerit, ejus filii et descendentes usque ad quartum gradum fiunt irregulares, ex cap. *In quibusdam de pœnis*: intellige tamen de filiis natis post homicidium, non verò ante; quæ est interpretatio ab ipsa etiam S. Congregatione admissa ib. n. 21. et ipse, ac reliqui ad patronatum vocati ab eo jure cadant. ibid.

Si pater in hæresim inciderit, etiam filius erit irregularis, ex Cap. *Quicumque*, et Cap. *Statuit* de Hæretic. in 6. At relicta à patre hæresi, non quidem ejus, sed filii irregularitas solvitur, ut ex responsis S. C. ibid.

In dispensationibus, quæ dantur pro irregularitate filiorum illegitimè natorum, apponi solet clausula: *dummodo paternæ incontinentiæ imitator non sit*; ex quo fit, ut Episcopus debeat inquirere in illum, et quærere, numquid per decennium moribus integrum se præbuerit, et si toto decennio nihil indignum admisisse compertus sit, potest cum illo executioni mandare dispensationem, etiamsi ante decennium incontinentiæ nomine suspectus fuisset, ut ex Decretis S. C. De Synod. Diœces. lib. 13. cap. 24. num. 22.

JUBILÆUM.

In Jubilæo anni 1750, Benedictus XIV suspendit toto eo anno indulgentias omnes, etiam non plenarias; exceptis indulgentiis aliis concessis in articulo mortis, tam illis quas ex concessione Apostolica impertiuntur Episcopi, quàm aliis quibuscumque communiter, aut personaliter concessis pro eodem articulo: item illis, quas lucrantur fideles recitantes salutationem Angelicam ad sonum campanæ. Item excepta indulgentia septem annorum, et totidem quadragenarum toties quoties, quas lucrantur ex concessione Bened. XIII durante præterito anno Jubilæi, qui sacramentaliter confessi, et sacra communione refecti, vel saltem verè contriti, visitaverint Ecclesias, in quibus expositum est Sacramentum Eucharisticum, et oraverint de more. Item illis, quas concessit Innocentius XII comitantibus, seu mittentibus facem cum Sacramentum Eucharistiæ ad infirmos deferretur. Illis quoque, quas concedunt Legati de latere, et Nuncii Apostolici, ac Episcopi in usu Pontificalium, aut in benedictione impertienda. Item perseverare concedit indulgentias altarium privilegiatorum pro defunctis, pro quibus etiam valere statuit alias quascumque indulgentias pro vivis concessas, adeo ut pro defunctis acquiri possint, etiamsi in brevibus earum extensio ad defunctos expressa non fuerit.

Suspendit etiam toto eo anno facultates omnes absolvendi à casibus Apostolicæ Sedi reservatis, relaxandi censuras, commutandi vota, et in eis dispensandi, et tollendi irregularitates alias concessas Ecclesiis, Monasteriis etc. piis locis, magistris, Superioribus, tam sæcularibus quàm mendicantibus, adeo ut etiam toto eo anno nec valeant largiri indulgentias quas solebant coronis, granis, imaginibus et numismatibus ex metallo etc. Vide Bullam *Cum nos*, Bull. Tom. III. n. 18. Excipit tamen facultates Episcoporum, et cæterorum supremorum Antistitum quoad Diœcesanos in iis quæ obtinent ex vi Tridentini et Pontificum concessione in ordine ad dispensandum et absolvendum, quod etiam extendit ad Prælatos regulares erga Regulares subditos.

Quoad opera præscripta in hoc Jubilæo, mentem suam ita exponit Pontifex in sua Encyclica *Inter præteritos*, §. 2, Bull. Tom. III. n. 21. Pro sacra communione accipere se dicit non sacramentalem tantummodo, sed sacramentalem simul et spiritualem.

Confessionem sacramentalem inter opera injuncta reponit, adeo ut necessaria prorsus sit, etiamsi peccato gravi quis careat.

Diem, intra quem Basilicarum visitatio compleri debet, liberum est incipere, sive à vespere diei præcedentis usque ad vespertina crepuscula sequentis diei, sive à media nocte ad mediam noctem.

Qui iter Romanum susceperunt, vel qui pervenerunt Romam, et subita impedimenti, vel mortis incursione opera injuncta

præstare non valuerant; confessione expiati, et sacra communi-
one refecti Jubilæum lucrantur.

Facultates absolvendi à reservatis, et dispensandi, omnes se
suspendisse declarat, sive quæ quarumdam indulgentiarum oc-
casione conceduntur, sive quæ alia de causâ collatæ sunt.

Regularium Confessiones excipere possunt Romæ Pœnitenti-
tarii Basilicarum, licet aliàs obstant eorumdem Regularium
Constitutiones, vel Privilegia à S. Sede approbata.

Minores Pœnitentarii Romæ commutare possunt dispen-
sando, non solùm vota nuda, sed et quæ confirmata sunt jura-
mento.

Item absolvere possunt Sacerdotes reos censurarum, et dis-
pensare in irregularitate contracta ob violationem censurarum
tantummodo; quod et præstare possunt cum aliis etiam Clericis
non Sacerdotibus.

Si quis est dispensatus à visitatione Basilicarum, non continuo
est dispensatus ab aliis operibus injunctis, neque etiam à preci-
bus; quæ à Basilicarum visitatione separari possunt. Nec suffi-
ciunt ea opera injuncta, quæ quis ex alio titulo præstare aliàs
tenetur, puta, titulo justitiæ.

Confessarius neque in Jubilæo potest absolvere illum, qui se-
cum fuit reus criminis in re venerea.

Concessis sibi facultatibus uti nequeunt Pœnitentarii extra
Basilicas, seu Ecclesias sibi assignatas, nec nisi in Actu Confes-
sionis, neque cum iis, quibus sincera voluntas Jubilæi acqui-
rendi deest. Quos tamen absolvunt, illis pœnitentiam sacramenta-
lem imponere debent diversam ab operibus pro lucrando Jubi-
læo.

In censuris absolvendis præmitti, vel saltem promitti cum ju-
ramento debet satisfactio parti læsæ. Læsa verò pars non est
judex, sed ille, qui damnum passus est.

In constitutionibus Jubilæi alia opera præscribuntur Roma-
nis, vel Urbis incolis; alia peregrinis. Priori nomine designan-
tur illi, qui intra quintum ab Urbe lapidem habitant: sicut et
incolæ Urbis dicuntur, qui Romam advenerunt animo ibi ma-
jorem anni partem transigendi; sicut et intra eorum numerum
comprehendi vult Pontifex, qui alia, quàm Jubilæi consequendi
causa, Romam advenerint. Cæteri omnes peregrini, aut exteri
ad hunc effectum vocantur.

Censet Pontifex, valere communem opinionem Theologorum,
quæ non obligat præmitti confessionem ad opera præscripta;
sufficere enim ad lucrandam indulgentiam credit, si postremum
opus fiat in gratia.

Si quis confiteatur, deinde ante completa opera recidat in le-
thale peccatum, non sufficere illi vult si conteratur, et sic contri-
tus opera perficiat. Vult igitur, ut quamvis non teneatur præ-
stitas visitationes repetere, debeat iterare confessionem, idemque
ab eo præstandum esse dicit, qui in priori confessione invinci-
biliter oblitus sit subjicere clavibus peccatum aliquod mortale.

Puberes qui de jurē incapaces censentur communionis, dispensari permittit, commutatione facta in aliud opus.

Ad indulgentiam lucranda non requiritur, ut per Portam sanctam quis ingrediatur et egrediatur. Si quis visitationes aliquas Basilicarum præmisit, dein per indultum, quod emitti solet intra spatium Anni sancti, quo visitationes ad minorem numerum rediguntur, potest computare visitationes præcedentes, et indulto uti; sicut etiam eadem indulgentia utendum cum illis, qui ante indultum, numerum totum impressent visitationum ab indulto dein emanato præscriptarum.

Mentem esse suam dicit, ut vocalis fiat oratio in Basilicis, nec sufficere si mente tantum oretur.

Si quis intra annum pluries opera injuncta repetierit, acquirere denuo potest indulgentiam; sed alios favores et gratias, quibus prima vice factus est particeps, iterum consequi minimè potest, putà iterum absolvi à reservatis, aut novorum votorum commutationem obtinere.

Quamquam concessa sit Pœnitentiariis minoribus et Confessariis, à Cardinali Vicario Romæ deputatis, facultas absolvendi à peccatis reservatis in Bulla *Cœnæ*, non ideo tamen ea facultate generali data est facultas absolvendi ab hæresi externa.

Declaravit insuper in sua Constitutione, quæ incipit *Convocatis*, Bull. Tom. III. n. 20. ib. §. 54, illum, qui ex intentione recipiendi Jubilæum, absolutionem à censuris et votorum commutationem obtinuit, si postea mutata intentione, Jubilæum non recipit, non ideo incurrere iterum censuram, et votis prioribus obstringi; sed inclinatur in sententiam, ut reus habeatur peccati mortalis qui ita voluntatem suam mutat, censet enim, hic quemdam tacitum contractum celebrari, ut Confessarium ex sua parte illum participem reddat gratiarum Jubilæi, et ex parte altera pœnitens se obliget ad reliqua opera præstanda.

Præter Pœnitentiarios Basilicarum, et alios à Cardinali Vicario deputatos pro Anno sancto, sunt etiam Romæ alii Confessarii ordinarii, ex quibus alii Regulares sunt; et ex Regularibus alii à suis Superioribus destinantur ad suos conregulares auscultandos in Confessione; alii verò Regulares à Cardinali Vicario pro excipiendis sæcularium Confessionibus approbantur. His postremò à Cardinali Vicario approbatis respectu suorum conregularium concessæ sunt facultates, quæ dantur Confessariis secularium, adjecta insuper illis facultate dispensandi ab irregularitate ob violationem censurarum incursum, dummodo sit occulta; quæ tamen facultas non suppetit illis Regularibus, qui tantum à Superiore suo deputati sunt.

Qui verò à Cardinali Vicario consuetam facultatem habent audiendi Confessionem, nec sunt specialiter deputati pro anno sancto; illis eadem facultas quoad sæculares remanet, quam prius obtinebant, neque enim suspensio facultatum, quæ fit in anno Jubilæi, Confessarios Urbis Romæ comprehendit: quod habet locum etiam in Regularibus.

Hæc omnia Pontifex latè explicat, et exponit in sua Encyclica ad Pœnitentiarios et Confessarios Urbis *Inter præteritas*, Bull. Tom. III. n. 21. Ad hanc Encyclicam recurrendum edicit Pontifex in altera Encyclica *Celebrationem magni* pro extensione Jubilæi ad universum Orbem. Bull. Tom. III. n. 28.

In altera Bulla, quæ continetur in Bull. Tom. III. n. 24. conceditur infirmis utriusque sexûs, Monialibus, Oblatis, Tertiariis in communitate viventibus, novitiis, et educandis in eisdem communitatibus degentibus; item anachoretis et eremitis, viventibus cum clausura et solitudine sub regimine saltem Ordinariorum; item captivis et carceratis quocumque in carcere; denique infirmis tam secularibus, quam regularibus, quam senibus ultra septuagesimum annum, ut possint bis lucrari indulgentiam, dummodo Episcopi, et Superiores commutent illis opera injuncta. Insuper concedit Monialibus, etiam novitiis, ut possint pro prima vice duntaxat ad effectus Jubilæi consequendi eligere sibi Confessarios, seu Regulares, seu Presbyteros seculares ex approbatis ab Ordinariis ad audiendas Moniales. Anachoretis verò, Oblatis, Tertiariis, mulieribus etiam in Conservatoriis degentibus, captivis in carcere detentis, infirmitate ac senectute impeditis, omnibus etiam Regularibus facultas datur ad hunc effectum, ut possint sibi eligere in Confessarium, sive Presbyteros seculares sive regulares cujuscumque Ordinis ad Confessiones secularium audiendas approbatos; à quibus absolvi possunt à reservatis etiam Apostolicæ Sedi, et in Bulla *Cænæ*. Vult tamen, ut in carcere detenti, quorum criminales causæ nondum conclusæ sunt, moneantur de obligatione, qua tenentur, Judicibus secularibus juridicè interrogantibus veritatem aperire.

Vult etiam, ut Confessarii illi à Monialibus, Oblatis, aliisque puellis supradictis electi, possint dispensare in votis à Monialibus emissis post professionem, quorum observantia cum professione religiosa componi potest. Quoad verò novitias educandas, sicut et quoad tertiarias, et in conservatoriis degentes, concedit, ut possint Confessarii dispensare quoad vota, etiam jurata, exceptis Apostolicæ Sedi reservatis.

Alia etiam Bulla, quæ incipit *Pastoris æterni*, Bull. Tom. III. n. 24. concedit apostatis et fugitivis cujuscumque Ordinis, qui citra montes intra quatuor, et ultra montes intra octo menses à publicatione (publicata est die 19 Januarii 1750.) ejusdem Bullæ redierint ad suam Religionem, remissionem omnium pœnarum propter apostasiam incursum et infligendarum, et insuper impunitatem, dummodo coram Superiore suo culpam deprecentur, et ab eo absolutionem obtineant.

Jubilæi extensio per universum Orbem ita facta est. Intra sex menses à publicatione Bullæ suæ incipientis *Benedictus Deus*, Bull. Tom. III. n. 17, à publicatione, inquam, in qualibet Ecclesia facienda concedit Pontifex Jubilæum instar Romani, quod obtineri etiam ab iis possit, qui anno præcedenti jam Romæ illud lucrati fuerant.

Deputandam verò edicit ab Ordinariis locorum Ecclesiam Cathedralē, seu majorem ejusdem civitatis cum aliis tribus ejusdem civitatis, seu loci, sive suburbiorum, quas teneantur fideles semel saltem in die per quindecim dies continuos, vel interpolatos visitare, die incepta à primis vespers diei præcedentis usque ad vespertinum crepusculum diei sequentis, ubi orent modo consueto.

Navigantes, et iter agentes, etsi redierint elapso Jubilæi termino ad sua domicilia, seu aliò diverterint ad certam stationem, si visitaverint assignatis vicibus Ecclesiam Cathedralē, vel majorem, et confessionem ac sacram communionem exceperint, eandem indulgentiam consequantur.

Concedit etiam impeditis, ut pro visitationibus alia opera præstanda designentur à Superioribus suis per se, vel per prudentes Confessarios. Communionem etiam Sacramentalem permittit commutari cum pueris nondum admissis ad communionem.

Cum Communitatibus verò tam Regularium, quàm secularium, Capitulis, Congregationibus, Sodalitatibus, Universitatibus, Collegiis processionaliter visitantibus Ecclesiam, visitationum hujusmodi numerum restringi permittit.

Quoad Moniales et novitias, concedit, ut eligere sibi possint ad hunc effectum Confessarium quemcumque ex approbatis ad Moniales ab Ordinario actuali loci.

Quoad cæteros omnes etiam Regulares, concedit, ut possint sibi eligere quemcumque Confessarium tam regularem quàm secularem ab actuali Ordinario loci approbatum, à quo absolvi possint in foro conscientie ab omnibus censuris à jure, vel ab homine latis, etiam Apostolicæ Sedi reservatis, etiam in Bulla *Cænæ*, et commutari eorum vota etiam jurata, et Apostolicæ Sedi reservata, excepto voto Castitatis et Religionis, et iis, quibus jus tertio acquisitum est, et dispensare quoad irregularitatem, eam solummodo, quæ contracta est ob censurarum violationem. Reservat verò de more absolutionem complicitis in re venerea. Ac tandem declarat eum, qui prædictis facultatibus compos voti factus fuerit, si dein mutet voluntatem lucrandi Jubilæum, non ideo incidere in priores censuras, seu votis astringi, quanquam à peccati reatu *vix immunem censi posse* judicat. Tandem eos, qui morte præventi visitationum numerum complere nequiverint, confessos et sacra Communione refectos indulgentia eadem donat.

Absolutio ab hæresi, etiamsi expressè non reservetur in Bulla Jubilæi, adhuc tamen non censetur permissa, etiamsi Bulla absolutionem à criminibus in Bulla *Cænæ*, expressis in genere permittat, ut decrevit sacra Congregatio S. Officii die 23 martii 1656. sub Alexandro VII. Institut. Eccles. 48. num. 15.

In Jubilæo Confessarii ab Ordinario alterius loci approbati nullam habent facultatem absolvendi. Sicut nec habent illi, qui ab Ordinario loci semel quidem illam obtinuerunt; sed modò cessavit. Ita ex pluribus Decr. Sacr. Cong. Instit. Eccles. 84. n. 27. Ubi tamen ex sensu ejusdem Congregationis additur, fideles

sic bona fide ab ejusmodi Confessariis absolutos non esse inquietandos. *ibid.* n. 27.

JUDÆI.

Si Judæus conjugatus ad fidem venerit, uxore in infidelitate perseverante, non potest illi libellum repudii mittere, etiam extra Judæorum domicilium, et coram Notario, testibusque Christianis. Sanctioni huic contravenientes si fortè repudium confecerint intra Judæorum domicilium, et ritibus superstitionis adhibitis, subjacent eisdem pœnis ac Judaizantes, mitioribus tamen puniendus est qui id confecerit extra Judæorum domicilium. Puniuntur pœna pecuniaria Notarii Christiani. Ita in *Constitutione Apostolici ministerii*, Bull. Tom. II. n. 38, ubi edicatur etiam, ne uxor Hebræa ad fidem conversa libellum repudii mittat viro in Judaismo perseveranti.

Christianis vetitum est sub excommunicatione cum Hebræis cohabitare, ex Cap. 5. *de Judæis*. De Syn. Diœc. lib. 6. cap. 4. n. 2. sicut nec accepta mercede servitium illis assiduum impendere. *ib.*

Hebræi ad fidem conversi suis bonis privandi non sunt, nec à successione, et parentum hæreditate excludendi, ut ex Bulla Clementis XI. *Propagandæ*. *ib.*

Descendentes à Judæis, nisi aliter cautum fuerit in beneficiorum fundatione, vel nisi aliter Summus Pontifex statuerit, arceri non possunt etiam ex Constitutionibus privatarum Ecclesiarum, à consecutione beneficiorum, ut ex Cap. *Eam te*, de rescriptis. Idem pariter dicendum de illis, qui ex infidelibus descendunt. De Synod. Diœc. lib. 12. cap. 1. n. 4 et 5. Idem etiam dicendum de ordinibus sacris *ib.* n. 5.

JUDICES SYNODALES.

Synodales Judices, quibus à Romana Curia committuntur judicandæ causæ in partibus à Curia remotis, designari debent personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ, quæ sive Personatum, sive Canonicatum in aliqua Cathedrali ecclesia obtineant. Hi verò designandi sunt ab Episcopis in Synodis; et si aliqui ante novarum Synodorum celebrationem obierint, substitui alii possunt etiam extra Synodum ab Episcopo cum consensu Capituli usque ad novam Synodum perseveraturi. Designatorum verò sive in Synodis sive extra nomina Secretario supplicum Libellorum Pontificis deferantur. Designentur verò saltem quatuor in quacumque Diœcesi, vel plures si amplitudo ejusdem postulet. *Const. Quamvis paternæ*, Bull. Tom. I. *Const.* 28.

JURISDICTIO.

Inferior Prælati ad hoc, ut territorium separatum, et jurisdictionem ordinariam, et quasi Episcopalem in Clerum et populum obtineat, cum ipsius Episcopi exclusione, non juratur per

quadragenariam præscriptionem cum titulo colorato, sed requiritur clarum et subsistens Apostolicum privilegium, aut consuetudo immemorabilis ritè probata, per quam privilegium illud de jure valeat præsumi, quæ fuit olim decisio S. Congreg. Conc. die 7 Januarii 1721, dein approbata à Clemente XI die 14 Januarii, et confirmata à Benedict. XIV in suo Bull. Tom. II. Const. 33. Tunc autem dicetur consuetudo ritè inducta, dum in aliquo loco ab immemorabili tempore inferior Prælati omni omnino jurisdictionalium actuum speciem ita solus exhibuerit, ut Episcopus, in cujus Diœcesi locus situs est, toto eo tempore nullam in his partem habuerit, nec in iis se unquam miscuerit. De Syn. Diœc. lib. 13. cap. 8. n. 18 et 21.

Episcopi, licèt habeant Capitula quantumcumque exempta, possunt per seipos sine adjunctis de Capitulo visitare Ecclesiam, Canonicos et Beneficiatos, ut decisum à S. Congregatione Concilii in quadam causa Zamorensi, quamvis non possint committere hoc munus alteri. De Synod. Diœc. l. 13. c. 9. n. 6

Si tamen extra visitationem velint contra Canonicum procedere, tenentur duos ex Capitulo Canonicos adjunctos habere, à Capitulo anno quolibet ineunte designandos, qui tamen duo Canonici constituant unum tantummodo suffragium; et si ambo conveniant in sententiam Episcopo contrariam, tunc ad tertii electionem procedendum est, juxta formulam à Trid. Sess. 25. c. 6. *de Ref.* præscriptam. Ita ex pluribus Decretis S. Congregationis Concilii, et ex collatione duorum locorum Tridentini, altero in Sess. 6. c. 4, altero in Sess. 25. c. 6. De Synod. Diœc. lib. 13. c. 9. n. 7 et seq.

LEGITIMATIO.

Per sequens Matrimonium non legitimari prolem, quando copula habita est inter impeditos, et proles nata est eodem impedimento perseverante, communis est sententia. Si verò constet, prolem natam esse sublato impedimento, dubitetur verò num concepta sit eodem impedimento perseverante, tunc in favorem prolis judicium ferendum est. Epistola ad Archiepiscopum Hispaniolæ, Bull. Tom. I. n. 113. *Redditus nobis.*

LEX ECCLESIASTICA.

Lege Episcopali vel Synodali non tenentur illi qui in Diœcesi quidem degunt, sed extra Diœcesim abeunt mox redituri, si interim extra fines Diœceseos aliquid agant contra illam legem, quia lex per se et immediatè territorium respicit. Verùm si quis è Diœcesi se absentet animo declinandi synodale statutum, fraudem illi patrocinium præstare non est æquum; quare tunc peccat contra eandem legem. Ita Clemens X in Constit. *Superna* edixit, pœnitentes recedentes à territorio in fraudem non esse absolvendos à reservatis sui territorii. De Syn. Diœc. Lib. 13. Cap. 4. n. 9 et 10.

Lex ab Episcopo lata extra Synodum, audito tamen consilio Capitali longè probabilius perseverat etiam post obitum ejusdem Episcopi, neque enim habet quid diversum à lege in Synodo lata, quam etiam defuncto Episcopo perseverare satis constat. De Syn. Diœc. l. 13. c. 5. n. 1.

Lex Synodalis si non acceptetur à populo, quamvis peccent non acceptantes, tamen si id sciat Superior post paucos actus ab eo neglectos, et non punitos, ligare desinit ex quadam ejus conniventia. De Syn. Diœc. Lib. 13. Cap. 5. n. 3. Si verò id nesciat Episcopus, tunc decennium sufficere censetur. Hoc enim sufficit, ut consuetudo longi temporis dicatur. ib. Lib. 13. Cap. 5. n. 3.

Si verò jam acceptata sit, præscriptio contra illam inducitur per decennium: neque enim agitur de præscriptione, qua ali-quod jus proprietatis ab Ecclesia auferatur, quæ præscriptio annos quadraginta exigit. Requiritur tamen, ut à majori communitatis parte liberè sit inducta, continuis actibus frequentata, animo legem tollendi, et adsit consensus legislatoris juridicus saltem, et legalis, qualem scilicet leges requirunt. De Synod. Diœces. lib. 13. cap. 5. n. 5.

Lex Synodi Diœcesanæ obligans totam Provinciam, si obtinuerit confirmationem à Sede Apostolica in forma communi, ut plerumque fit, quæque his verbis concipi solet: « Si justè, cano-nicè ac providè facta sunt, et dummodo sacris Canonibus, » Concilii Tridentini Decretis, et Constitutionibus Apostolicis » non adversentur: » tunc utique abrogari ab Episcopo potest, cum maneat lex ejusdem tantummodo. Si verò confirmatio fiat in forma specifica cum causæ cognitione, singulis statutis expensis, et in confirmatione addatur *ex motu proprio, atque ex certa scientia*, tunc utique fit lex Pontificis, in qua Episcopus dispensare non potest. De Synod. Diœces. lib. 13. cap. 5. num. 11.

MATRES.

An mater teneatur lactare proprium filium sub gravi culpa? Theologi quidam affirmarunt, cum onus istud impositum ipsis à natura animadvertant, nec ulla sint bruta quæ natis suis id non præsentent; alii tamen melius culpam ea in re levem agnos-cunt. Occurrere tamen plures legitimas causas eximendi ab hoc onere matres ultro fatendum. De Syn. Diœces. lib. 11. cap. 7. n. 10 et 11.

MATRIMONIUM.

Parochus per se assistere Matrimonio tenetur, nisi legitima, gravissimaque de causa impeditus. In Encyclica ad Episcopos Poloniæ *Nimiam licentiam*, Bull. Tom. I. n. 85.

Abstinentum Pontifex ea censet quæstione inter Theologos agitata, num Parochus sit hujus Sacramenti Minister, seu potius ipsi contrahentes simul materia, forma, et ministri hujus

Sacramenti habeantur. Utriusque sententiæ fundamenta latè exposita videnda sunt in Synodo Diœcesana libro 8. capite 13. n. 1. et seq. quanquam non obscure inclinare visus est in sententiam, quæ contractûs, et Sacramenti totum quiddid est contrahentibus vindicat. Meritò tamen reprehendendi sunt illi, qui à contracturis Matrimonium non exigunt scientiam doctrinæ Christianæ, saltem eorum, quæ ad salutem necessaria sunt. Mandavit enim Clemens XI, et ipse etiam Benedictus XIV. in quadam Encyclica, quæ est in ejus Bullario Tom. I. num. 42, ut Parochus ab inituris Matrimonium exquirat interrogando, quæ ad salutem necessaria sunt, et si deprehenderit ignorasse, Matrimonio jungendi non sunt. Monet insuper cum Giribaldo, illos, qui præcipua fidei mysteria sciunt, ea verò, quæ sunt de necessitate præcepti rudi solùm modo tenent, illos quidem posse aliquandiu retineri à Matrimonio celebrando, atque interim Parochus illos diligenter doceat, et si deprehenderit vadios esse ingenio, et exilis memoriæ, ut doctiores effici non valeant, teneatur tandem conjungere. De Syn. Diœc. lib. 8. cap. 14. num. 1 et seqq.

« Matrimonium coram Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi, seu Ordinarii licentia, et duobus vel tribus testibus » celebrari debet; quæ verba sunt Tridentini *de Ref. Matrim.* Sess. 24. Cap. 1. Reprehendam verò censet Pontifex Episcoporum quorundam oscitantiam, qui in synodis suis edixerunt, celebrandum esse *coram legitimo ministro*, ex quo ansa data est Theologis nonnullis opinandi, sententiamque suam ex eorum mente, ut hi quidem arbitrantur, firmandi, Parochum esse legitimum Sacramenti Matrimonii ministrum.

Si Episcopus generatim interdicit Parocho, ne Matrimonii assistet, adhuc tamen Matrimonium valere definit. Sac. Congr. Conc. et firmat Pontifex in Tr. De Syn. Diœc. lib. 12. cap. 5. n. 2.

Si verò interdictum istud venerit à Pontifice cum Decreto irritante, tunc utique non valet conjugium, cùm Pontifex jure suo possit impedimenta constituere. Nisi tamen adsit huic interdicto Decretum irritans, matrimonium valet; cùm impedimentum illud impediens, non irritans censendum sit. *ibid.* num. 3.

Parochus, coram quo celebrari potest Matrimonium, est Parochus domicilii, non originis, ut ex consensu auctorum, et sensu S. Congreg. constat. *Instit. Eccles.* 33. n. 6. Quare si quis habeat duo domicilia in duplici Parœcia, in alterutra Matrimonio jungi potest: attamen ad habendum duplex domicilium requiritur, ut in utraque æqualem moraliter habitationem habeat. *Instit. Eccles.* 33. n. 6. Parochus ruralis, quò quis pergit ad rusticandum, non est aptus Matrimonio illius, qui ibi moratur causa recreationis, et ad rusticana negotia; ita enim perpetuò censuit S. Congreg. *ib.* n. 7.

Nullum est Matrimonium ejus, qui è loco propriæ habitatio-

nis, non tamen deserto ibi domicilio pergīt ad alium locum animo se conjungendi in Matrimonio, non adepto novo domicilio, seu quasi domicilio; ita ex sensu perpetuo S. Congreg. *ibid.* n. 8.

Vagorum Parochus quoad Matrimonium, est Parochus loci, ubi tunc versantur, ut ex sensu plurium Theologorum. *ibid.* n. 10.

Diligenter tamen distinguendi sunt vagi à peregrinis. Vagi sunt enim illi, qui relicto proprio domicilio, aliud quæsitari vagantur; peregrini verò qui non relicto domicilio, peregrinantur alicubi. *ib.* num. 10.

Scholares, Judices, Medici, etc. qui alicubi conducti habitant, in loco ejusdem habitationis contrahunt quasi domicilium, si ibi permaneant aliquo idoneo tempore. Ita ex DD. et Decr. S. Congr. *ib.* n. 11.

Quoad Matrimonia eorum, qui in carcere adstricti detinentur, si delineantur in carcere ex sententia Judicis, sive deputati in perpetuum, sive ad certum tempus, respectu illorum, Parochus loci ubi carcer situs est, est Parochus Matrimonii. Si verò detineantur in carcere donec causa eorum expediatur, tunc Parochus eorum est ille, ubi habent domicilium. Ita est sensus S. Congregationis, et DD. *ibid.* n. 12.

Parochus eorum, qui expositi sunt, et in hospitali aluntur, quoad Matrimonium non est capellanus ejusdem Hospitalis, sed Parochus, ubi situm est hospitale. Ut ex Decretis S. Congregationis. *ib.* n. 14.

Educandæ in Monasterio degentes habent pro Parocho matrimonii illum, in cujus loco est domicilium paternum, maternum, vel fraternum, ut ex multis Theologis. *ibid.* n. 16. Si eo careant est Parochus loci, ubi est Monasterium.

Famuli habentes domum et familiam in alia Parœcia, diversa ab ea quam habet domus heri, Parochum matrimonii habent illum, in qua est domus et familia. Ita ex statutis Cleri Romani, *ib.* n. 20. disponitur. Si verò domicilium familiæ habeant extra Urbem, et in Urbe famulatum, tunc coram Parocho urbano contrahunt. *Inst. Eccl.* 88. n. 5.

Si Episcopus mandet alicui Parocho, ut assistat matrimonio, reputans hunc esse verum parochum alterutrius ex contrahentibus, et si postea reperiatur, verè non esse Parochum illorum, adhuc tamen mandatum Episcopi valet, ut consensus iste sustineatur, ut semel et iterum decisum à S. Congreg. refertur. *Instit. Eccles.* 88. n. 4.

Matrimonium etiam bona fide contractum coram Parocho et unico teste non valet, ut ex responso S. Congregationis Concilii constat. *De Syn.* l. 12. c. 5. n. 5. Vicissim valet contractum coram duobus testibus sine Parocho in loco, ubi non est nisi hæreticus, vel si est, illum adeundi libera potestas deest. *ibid.*

Parocho præsentē, ita tamen ut neque videat contrahentes, neque auribus verba eorum percipiat, Matrimonium est nullum, uti definitum est à S. Congregatione Concilii post diligens

examen in causa Romana die 7 martii 1700. At si Parochus affectaverit non intelligere verba contrahentium, Matrimonium valere respondit alio decreto anni 1593, in causa Ulyssiponensi, S. Congregatio. De Syn. Diœc. l. 13. c. 23. n. 5.

Tunc verò non audire affectat Parochus, si invitus adhibeatur ad contractûs celebrationem, et data opera neque videre vult, neque percipere cum tamen facile posset, et testes audierint, et viderint, quæ sanè ratio fuit Decreti S. Congregationis in Carthagin. Matrim. ann. 1753, lati pro similis Matrimonii validitate. *ibid.* n. 11.

Parochus, cui interdictum est ab Episcopo, ne interveniat Matrimonio contrahendo, adhuc tamen non reddit Matrimonium invalidum. Ita ex Decis. S. Congreg. De Syn. Diœc. l. 13. c. 23. n. 1. Idem dicas, si Ordinarius tantum vetet Vicario Parochi, ne assistat, ille contra mandatum assistat. Item pariter judicandum est, si vel Parochus, vel ejus Vicarius prohibiti ab Episcopo, nolentes et inviti assistere cogantur. *ibid.* ex eodem Decreto.

Matrimonio jungendi non sunt sponsi à Parocho, si comperiat illos ignorare necessaria ad salutem. Encyclica *Etsi minimè*, Bull. Tom. I. n. 42.

In impedimento disparitatis cultûs animadvertendum est, conjugem, qui ad fidem transiit, altero in infidelitate relicto, teneri quidem admonere infidelem, num velit cohabitare absque contumelia Creatoris, et sine ista admonitione fidelis non potest ad secunda vota transire. Verùm Pontifex cum neophytis baptizatis pii loci catechumenorum Venetiis dispensat, ut possint contrahere, etiam consensu alterius conjugis infidelis non requisito, dummodo constet summarie et extrajudicialiter, illum moneri minimè posse, quamvis postea compertum sit, infideles illos tempore secundi Matrimonii fidelis baptizati ad fidem fuisse conversos. Constit. *In suprema*. Bull. Tom. 1. num. 117.

Si infidelis conjux veniat ad fidem, et alter consentiat habitare cum illo absque injuria Creatoris, quamvis in infidelitate perseverare velit (quod judicandum pertinet ad Episcopum) tunc decrevit S. Congregatio, non posse conversum ad fidem aliam sibi conjugem adsciscere. At eo ipso, quod alter velit in infidelitate perseverare, censent Theologi plures satis esse periculi in neophyto. Verùm hujus dubii solutionem rectè monet Cabassutius ex moribus regionum et casuum circumstantiis pendere. De Syn. Diœc. l. 13. c. 21. n. 1.

Accidit, ut infidelis plures uxores in infidelitate accipiat, tum veniat ad fidem, et fidem pariter una ex his uxoribus recipere sit parata, non tamen illa quæ prior ducta est, quæ propter distantiam locorum, vel ignorando ubinam sit requiri judicialiter non possit. Demum post renovatum cum illa quæ venit ad fidem, Matrimonium (quod fieri non potest absque renovatione consensûs coram Parocho et testibus, eò quod prior consensus in infidelitate datus fuisset nullus propter Matrimonium prius

cum altera celebratum), comparat uxor prior, et probat se non fuisse præmonitam, vel fuisse impeditam, ut suam voluntatem manifestaret, nunc verò paratam se dicit ad fidem amplectendam, vel jam fuisse amplexam antequam conjugium neophyti cum neophyta celebraretur. In hoc rerum eventu S. Pius V concessit Missionariis, ut cum Judæis baptizatis dispensare possent, ad effectum remanendi tanquam cum uxore legitima, cum ea uxore quæ fuerit pariter baptizata. Eandem dispensandi facultatem concessit Gregorius XIII Episcopis, Parochis et à Societate Jesu Presbyteris, ad sacramentales confessiones in iis Regionibus approbatis, quoad eos qui ab Anglia, Æthiopia ac Brasilia, in captivitatem adducti, et in remotas regiones delati fuerant, ut non expectato, nec requisito consensu conjugis in infidelitate ducti, Matrimonium inire possint cum quocumque fideli, etiamsi conjuges infideles declarare possent se justè fuisse impeditos, ad manifestandam suam voluntatem, vel etiamsi probarent se fuisse conversos ad fidem tempore secundi Matrimonii. Has Constitutiones certè emanare potuisse ab iis Pontificibus fusè demonstratur; sed eas extendi non posse ad alias Regiones, quantumvis similes rationes suppetant, clarè constat: quare si fortè casus accidat, petenda est facultas dispensandi à SS. Pontificibus. De Syn. Diœc. l. 13. c. 21. n. 3 et seq.

Si infidelis unam conjugem infidelem duxerit, ita Matrimonium valet, ut si ea vivente alteram superinducat, secundum Matrimonium nullum sit, cum Matrimonium institutum sit, ut unicam habeat. ib. n. 8.

Si matrimonium ineatur inter duos, qui pravum habent errorem substantiæ Matrimonii repugnantem, ut inter Græcos, qui censent conjugii vinculum dissolvi per alterutrius conjugis adulterium, prava hæc opinio non officit validitati Matrimonii. Ita resolvit S. C. Concilii die 15 Januarii 1724. De Syn. Diœc. l. 13. c. 22. n. 4.

Verùm si hæc opinio deducatur in pactum tanquam conditio in actu ineundi Matrimonii, tunc Matrimonium nullum est, uti semper accidit cum Matrimonio est apposita conditio substantiæ Matrimonii repugnans, ex Decretali Gregorii IX, cap. *De Appositis*, ib. num. 5. Hinc, quem subdo, casus resolutus est à S. C. die 20 Maii anni 1754.

In formula, quam Calvinistæ in conjugii ineundis adhibent, minister sponsum interrogat, *accipisne illam in uxorem?* respondet ille: *accipio*. Eadem verba interroganti ministro repetit sponsa. Tum minister iterum ad sponsum: Personam, quam manutenes, amas, et accipis eam in perpetuum uxorem, nec in ulla illius ærumna deseres, *quoadusque in sua honestate et puritate permanserit?* Tantumdem dicit sponsæ. Porro illud, *quoadusque in sua honestate et puritate permanserit*, in sensu Calvinistarum denotat virum accipere sponsam in uxorem quoadusque adulterium non contraxerit, etque commisso, vinculum conjugii solvi. Celebrant igitur hæc conjugia cum conditione op-

posita perpetuitati Matrimonii, quæ sanè perpetuitas essentiæ conjugii annexa est, ut ex Conc. Florentino in Decreto de unione Armenorum, et instructione Clementis VIII pro Italo-Græcis, confirmata à Benedicto XIV, sua Constitutione *Etsi Pastoralis*, quæ est 57 Bull. Tom. I. Constat. Quare optimè definitum in Congreg. S. Officii die 20 Maii 1754, conjugium illud nullum extitisse, adeoque integrum fuisse alterutri sponso ad alia vota transire. De Syn. Diœc. l. 13. c. 22. n. 9. Neque ob stare judicatum est, priùs dixisse utrumque Sponsum, accipio hunc in conjugem, deinde ad novam interrogationem utrumque conditionem subdidisse, quia et prior et secunda interrogatio unus idemque actus iudicatus est.

Ex his etiã resolutus est à S. Congregatione casus alter die 8 Julii 1724. Vir et fœmina convenerunt ad celebrandum Matrimonium coram Ecclesia, ut illud nequaquam consummare deberent, sed post quindecim dies mulier Monasterium ingrederetur, et post probationis annum profiteretur; interim verò omni juri renuntiabat, quod in mariti personam ex Matrimonio sibi acquirere potuisset consenseratque, ut si ab his pactis defecisset, Matrimonium nullum, irritumque declararetur. Ita conventum inter illos, pactaque hæc scriptis consignata sunt, ac significata testibus et Parocho, coram quibus ineundæ erant nuptiæ. Hoc Matrimonium nullum esse declaravit S. C. ex Cap. *Si conditiones*, de condit. Apposit. ; nam abdicatio facta ab utroque de potestate in corpus alterius, apertè contraria est substantiæ Matrimonii. Quamvis enim in ipsa Matrimonii celebratione actu expressæ non essent pactiones istæ, constabat tamen ex antecedentibus et sequentibus simul junctis, conjuges ab iis non recessisse. ib. n. 10.

Matrimonium infidelis in infidelitate contractum non statim resolvitur, ex quo alteruter conjugum baptizatur, et alter renuit, sed tunc cum baptizatus ad altera vota transit. Epistola ad Vices-gerentem de Baptismo Hebræorum etc. *Postremo Mense* etc. Bull. Tom. II. n. 28. Vide et De Syn. Diœc. l. 6. c. 4. n. 4.

Hebræi cum hæretica non valet, obstante cultûs disparitate. Epistola ad Cardinalem Ducem Eboracensem data die 9 Febr. 1749. §. 11 et seq. Bullar. Tom. III. n. 2.

Num in casu, quo alteruter ex conjugibus ad fidem venerit, relicto altero, qui non vult cohabitare sine injuria Creatoris, dein verò et ipse ad fidem conversus sit, atque interim postquam secundus, licèt ad fidem conversus est, prior conjux secundas nuptias iniverit, in eo casu suadendum sit Pontifici, ut Matrimonium in infidelitate consummatum dissolvat in favorem secundi conjugii? ambigit meritò Pontifex, et censet id fieri non debere, nisi adsint causæ gravissimæ. De Syn. Diœc. lib. 6. c. 4.

Catholici, qui cum hæretico Matrimonium celebrant etiam in locis hæreticorum, gravissimè peccant, quia hoc agendo cum illis in divinis communicant, quod, nisi fortè cum gravissima

causa, illicitum est. Si verò postquam sic contraxerint coram Parocho Catholico, possint iterum coram ministro Protestante conjungi ad evitanda gravia damna, quæstio est; ad quam S. Congreg. respondit, minister hæreticus si assistat hisce Matrimonii, ut minister politicus, tunc à Catholicis peccatum non committitur; secus verò si assistat ut minister sacris addictus. Ita censet Pontifex in Syn. Diœc. l. 6. c. 5. n. 4 et 5.

Conjugia hæretici protestantis cum fœmina hæretica coram Parocho non Catholico in Belgio confœderato celebrata valida habenda sunt. Decretum à Pontifice approbatum die 4 Nov. 1741, Bull. T. I. n. 34. Item valet ita, et in iis Regionibus celebratum, si hæreticus Catholicam ducat, quanquam postremum hoc illicitum haberi debet. ib. Idipsum reperitur in epistola ad Cardinalem Ducem Eboracensem data die 9 Febr. 1749. Bullar. Tom. III. num. 2. Vide Tr. De Synod. Diœc. l. 6. c. 6. n. 12.

Nuptiæ inter Catholicum et hæreticum conjugem multò rectius non sunt benedicendæ, neque Missa in præsentia hæretici celebranda, nec tandem connubii ritus inter Ecclesiæ ambitum peragenda, quod et vetitum fuisse à Clem. VIII circa benedictiones quidam referunt. De Syn. Diœc. l. 6. c. 5. n. 5.

Matrimonia inita à Græcis Catholicis in Ecclesia Orientali post susceptum sacrum ordinem, dubium est num valeant, an tantummodo illicita habenda sint; quare si fortè id accidat, petenda est dispensatio à Sede Apostolica, sed in dispensatione non exprimitur conditio, ut consensus inter conjugatos repetatur.

Quoad Italo-Græcos Matrimonia post Ordinem sacrum inita, nulla sunt. Constit. *Etsi pastoralis*, Bull. Tom. I. n. 7.

Impedimentum ex adoptione proveniens ita explicatur à Pontifice in Tract. de Syn. Diœc. l. 9. c. 10. n. 4: connubium iniri non potest inter adoptantem et adoptatum, atque ab isto descendentes; quod impedimenti genus semper durat quoad adoptantem tantum et adoptatum. Secundò inter adoptatum et filios naturales adoptantis. Sed impedimentum istud tandiu durat, quandiu perseverat adoptio, seu filii remanent sub patria potestate; nam ea soluta, sive per mortem adoptantis, sive per emancipationem filii, sive adoptivi; sive naturalis, cessat impedimentum. Tertio inter adoptantem et uxorem adoptati, seu vicissim inter adoptatum et uxorem adoptantis, idque semper durat. An verò hæc impedimenta obtineant tam in adoptione perfecta, quam imperfecta, lis est inter Doctores. Porro adoptio perfecta tunc fit, cum persona extranea sui juris ex Principis rescripto, ita transit in potestatem et familiam adoptantis, ut perinde ac filius legitimus fiat ejus hæres necessarius tam ab intestato, quam extra. Adoptio imperfecta dicitur, cum persona extranea constituta sub patris, seu avi potestate, solius magistratûs, alteriusve Judicis competentis auctoritate in filium, aut nepotem adsciscitur; non tamen in familiam et potestatem adoptantis transit, et succedit solum ab intestato. De Syn. Diœc. lib. 9. cap. 10. n. 4.

Matrimonia filiorum-familiâs sine parentum consensu con-

tracta, etiamsi in Galliis habeantur invalida quoad effectus civiles, ut de dotis invaliditate et communitate inter virum et uxorem; valida tamen habenda esse in ratione Sacramenti censet Pontifex, et oppositum sentientes rejiciendos omnino judicat. De Syn. Diœces. l. 9. c. 11. n. 2.

In Matrimonio puberis cum impubere, malitia ætatem sup-
plente, Episcopus potest jure suo licentiam contrahendi largiri. Encyclica ad Episcopos Poloniæ, Bull. Tom. II. num. 51. *Magna nobis*. Ad pronuntiandum in ea causa cumulativum jus est inter Sedem Apostolicam et judices ordinarios. ib.

Quoad Matrimonia inter impuberes nondum conjugio aptos, solus Romanus Pontifex dispensat. ib.

Impedimenta Matrimonium impediunt ab Episcopo relaxari possunt, si excipias impedimentum ortum ex sponsalibus cum altero prius initis, et illud, quod ex voto perpetuæ castitatis, et ingrediendi Religionem, nisi fuerint conditionata, ortum duxit. Cætera verò Matrimonium irritantia tollere, nisi Romanus Pontifex, nemo potest. Excipitur tamen casus quem statim subdo.

Si fortè accidat ut matrimonium jam fuerit contractum in facie Ecclesiæ cum omnibus solemnitatibus, inicumque fuerit bona fide ex ignorantia impedimenti juris et facti, et sit consummatum, occultum sit tamen impedimentum, et adiri non possit Pontifex, seu ab eo dispensatio obtineri ob conjugum paupertatem, rusticitatem, locorum distantiam etc., nec possit separatio fieri sine scandalo; dum simul omnes istæ circumstantiæ adfuerint, tunc ab Episcopo ea dispensatio tutò conceditur, quam potest major Pœnitentiarius Papæ, in foro tamen conscientiarum tantum. Quare si impedimentum illud postea detegatur, et deducatur ad forum contentiosum, impetranda est à Summo Pontifice dispensatio. De Synod. Diœc. lib. 9. cap. 2. n. 1.

Fortè etiam Episcopus dispensare poterit in impedimento dirimente occulto, cum Matrimonium proximè contrahendum est, in casu quo tales urgeant rerum circumstantiæ, ut nec S. Pontifex consuli possit, nec Matrimonium differri sine scandalo, aut infamia contrahentium. Tunc censendus est S. Pontifex tacite delegare Episcopo potestatem dispensandi. ibid. n. 2.

His præcisus rerum circumstantiis, nemini fas est Episcopo dispensare in impedimentis publicis Matrimonium dirimentibus. Neque enim verum est et sanum, Axioma illud à nonnullis adoptatum: « Quidquid potest Pontifex in universo Orbe, si excipias »
» pias, quæ totius Ecclesiæ statum respiciunt, velut fidei articu-
» lum definire, potest Episcopus in sua Diœcesi, nisi Papa sibi
» illud reservaverit. » Non enim potest inferior legem à Superiore latam relaxare. Sunt qui consuetudinem prætendant; at considerent attentè, cum res sit de minuendis juribus Roman. Pontif. unicè competentibus, num 100 ad minùs annorum spatium sine ulla interruptione perseveraverit. Considerandum in super et potissimum, num per eam consuetudinem *dirumpatur nervus Ecclesiasticæ Disciplinæ*: tunc enim nunquam contra le-

gem præscribitur. Cap. *Cum inter*, de Consuet. Tract. de Syn. Diœc. l. 9. c. 2. n. 3.

In contractis Matrimonii pro eorum revalidatione non dispensat S. Pœnitentiaria in gradibus primo et secundo consanguinitatis vel affinitatis ex copula licita, nisi fortè in secundo gradu per decennium duraverit occultum impedimentum, et conjuges ut legitimi reputati fuerint. In reliquis verò dispensat, sicut in gradibus et tertio, et quarto publicis revalidat Matrimonia ex causa occulta subreptionis et obreptionis litterarum Apostolicarum nulliter contracta, nisi si falsitas consistat in narratione falsa præcedentis copulæ. Bulla *Pastor bonus*. Bull. Tom. I. n. 95. §. 40. Vide inst. Eccles. 87.

Si in dispensatione à Dataria obtenta quoad gradus prohibitos reticeatur copula ex causa infamiæ, tunc sacra Pœnitentiaria dispensat in Matrimonio contrahendo, et etiam contracto, at cum agitur de primo in secundum gradum, exigit compositionem 50 Ducatorum auri de camera, nisi gratia prior fuerit expedita in forma pauperum. *ibid.* §. 41.

Si in dispensatione à Dataria petita in impedimentis graduum expressa fuerit copula, tacita tamen mala intentione facilius obtinendæ dispensationis, tunc si mala intentio sit occulta, dispensat S. Pœnitentiaria cum miserabilibus personis absolutè, cum reliquis taxa definita. Si verò copula habita fuerit affinitate, seu consanguinitate non agnita, tunc pro dispensationibus non est necessariò exprimenda. Inst. Eccl. 87. n. 23.

In impedimentis occultis affinitatis ex copula illicita, absente etiam periculo scandalorum in contracto, et contrahendo Matrimonio, in foro conscientiæ dispensat.

Dispensat etiam in impedimento criminis tam pro contracto, quam pro contrahendo, ubi nulla adest machinatio. Potest etiam dispensare, quando agitur de machinatione ex parte tantum alterutrius; id tamen rariùs præstat. *ib.* n. 44.

In impedimentis dispensat etiam si fuerint multiplicia, sicut et dispensat in foro Conscientiæ pro legitimatione prolis, nisi illa concepta fuerit in adulterio. *ib.* n. 45.

In dispensationibus pro impedimentis Matrimonii super gradibus vetitis impetrandis, si taceatur copula antecedens, sicut (si adfuerit) intentio facilius obtinendæ dispensationis, rescriptum vitiatur, ut DD. Instit. Eccles. 87. n. 13. In contractis tamen Matrimonii, si hoc vitium occultum perseveret, dispensat Pœnitentiaria. *ib.* n. 14.

Clausula illa in dispensationibus Matrimonialibus, *absolutio et dispensatio in foro judicario nullatenus suffragetur*, eam vim habet, ut si impedimentum ex occulto fiat publicum, possit Ordinarius conjuges separare à toro. Si tamen illi occultè sine scandalo debitum invicem reddant, non peccant, ita sentiente Navar. *ib.* n. 50.

Si ordinarius subodorans impedimentum velit procedere in cognitionem delicti, id potest, imò debet facere, etiamsi reus

protestetur de obtenta dispensatione. Si verò certioretur ea de re ab aliquo fide digno, ut à Confessario, seu Parocho, qui possunt id clam testificari Episcopo, tunc debet Episcopus acquiescere, nec debet ad delictum puniendum procedere, ut ex Clericato monet Auctor, ib. num. 50.

Postrema clausula sic enunciatur: *Dicta muliere de nullitate prioris consensûs certiorata, sed ita cautè etc.* Rejicitur sententia opinantium hanc non esse conditionem; sed ut Confessarius instruat, quo certior sit contractus; ac veram esse conditionem ex *ablative absoluto*, quo enunciatur, ut est Juristarum sensus, demonstratur. Instit Eccles. 87. num. 68.

Nec admittitur sententia asserens, quando fieri non possit revelatio impedimenti, sufficere, ut pars illud sciens habeat copulam cum parte ignorante affectu maritali, cum prior consensus partis insciæ fuerit nullus, adeoque ex parte illius nullus sit, unde debet innovari. Aliorum sententia pariter rejecta est, eorum nempe, qui suadent, ut sciens impedimentum proponat alteri, se adeo illam amare ut denao cum illa velit ligari, si alter respondeat affirmativè, consensus censetur innovatus. Hæc tamen opinio rejicitur, eò quòd consensus præstitus à partè inscia sit consensus junctus cum errore, quare non adimpletur conditio, *dicta muliere certiorata.*

Præfertur cæteris quarta ratio certiozem reddendi partem ignaram, et tunc fit, cum parti ignaræ dicitur, in priori Matrimonio defuisse consensum validum; adeoque suasu Confessoris se proponere, ut iterum innovetur ex parte utriusque. ib. n. 78.

Sed quid si timor occurrat, ne parte ignara certiorata, de nullitate consensûs, futurum sit, ut illa renuat novam celebrationem, adeoque sic soluto Matrimonio, timeatur, ne nata antecedenter proles declaratur illegitima? Tunc utique de prole non est cur dubitetur, nam semper habetur ut legitima cum impedimentum est occultum, et unus saltem ex conjugibus in bona fide versatur. Verùm si adhuc perseveret metus scandalorum ex resolutione hujus matrimonii, suadet Auctor, ut per novas litteras exponatur S. Pœnitentiariæ casus, vel recurratur ad Episcopum, qui id suadebit quod erit opportunum. ib. n. 80. Causæ Matrimoniales à Curia Romana commissæ in partibus, non delegantur nisi Episcopis, vel si nullus sit in Diocesi, saltem vicinioribus; et si vel illi abfuerint, Judicibus Synodalibus. Cons. *Dei miseratione.* Bull. Tom. I. n. 83. Mandat insuper Pontifex, ut in singulis Diocesisibus defensor Matrimoniorum designetur; qui semper adsit in judicio, et citetur in omnibus actibus. Si verò Judex in partibus pro validitate Matrimonii sententiam ferat, ab ea sententia appellatio nulla intercedat. Setus si pro invaliditate, defensor appellare debet intra tempus legitimum, sive pars instet, sive non. Pendente verò appellatione ad novas nuptias transire conjuges vetantur sub pœnis contra polygamios constitutis.

Post duas conformes sententias latas de nullitate Matrimonii,

licitum est conjugibus transire ad alias nuptias, dummodo pars, seu defensor pro sua conscientia non crediderit appellandum. *ib.* Pacta prævia inita inter conjuges de non appellando à sententia de nullitate Matrimonii irrita declarat Pontifex in Encycl. ad Polonos. Bull. Tom. I. num. 85.

Matrimonia inter hæreticos sine præsentia Parochi in Provinciis fœderati Belgii, cùm non sit ibi receptum Concilium Tridentinum, tenent; quemadmodum etiam Matrimonia inter hæreticam et catholicam ab incolis illorum locorum sustinentur. Idem statuitur si uterque contrahens pertineat ad militias Ordinum fœderati Belgii addictas muniendis arcibus vulgò dicti *di Barriera*. Extenditur ad contrahentes in civitate Mosæ Trajectensis. Sed si contrahentes habentes domicilium in Provinciis fœderatis velint contrahere in regionibus Catholicis, seu vicissim velint contrahere in Provinciis fœderatis, cùm habeant domicilium in regionibus Catholicis, nihil de illis decernitur. Const. *Matrimonia*. Bull. Tom. I. n. 34.

Denunciationes Matrimoniales non sine gravi causa dispensentur ab Episcopo, mandat Pontifex Constit. *Satis vobis*. Bull. Tom. I. n. 55. In eo verò casu, quo fiat dispensatio, jubet nomina contrahentium, et fides celebrati Matrimonii à Ministro deputato facta in libro secreto adnotetur, quem sigillis clausum servandum esse in Episcopali Cancellaria edicit. Si proles nascatur, ejus parentes, et fides collati illi Baptismatis in eodem libro adnotanda est, quapropter moneri jubet contrahentes in actu contrahendi matrimonii, ut intra triginta dies à nativitate numerandos, moneant de his omnibus Episcopum, et si secus fecerint, sciant occultum Matrimonium fore revelandum ab Episcopo.

Matrimonio celebrato non præmissis denunciationibus, nec obtenta ea de re ab Episcopo facultate, si assistat Parochus, suspensione ad triennium plectendus est ex Cap. *Cùm inhibitio §. final.* à qua suspensione toto eo triennio absolvi ab Episcopo nequit, ut ex Sanchez firmatur. In Tract. de Syn. Diœc. l. 12. c. 6. n. 2.

Diebus, quibus interdicuntur matrimonia, non quidem absolute illa vetantur, præcisa consuetudine, sed solemnitas tantummodo et pompa nuptiarum, ut ex Cap. *Capellanus de Feriis* monet Theologi, et notatur Instit. Eccles. 70. n. 5.

Nomine verò solemnitatis nuptiarum censentur, et quidem potissimum, benedictiones in Missali Romano expressæ. Vetentur verò illæ sub peccato gravi, ut ex Sanchez, aliisque notatur Instit. Eccles. 80. n. 7. Quare cùm temporibus feriatis celebrari nuptias permittit Episcopus, nunquam licet benedictiones illas conferre. *ibid.* n. 2.

Imò, et tota Missa pro sponso et sponsa omittenda est, cùm benedictiones illæ pars ejusdem habeantur. Tunc igitur celebranda est Missa de tempore. *ib.* n. 11.

Ideo verò requiritur facultas Episcopi ad celebrandum matrimonia diebus feriatis (quanquam illa sint de se licita), quia in

Synodis, vel ex consuetudine introducta vetita illa habentur; quare requiritur ut Episcopi facultas intercedat. ib. n. 4.

Semel tamen inita matrimonia diebus feriatis, consummari possunt, ut ex sensu DD. Theologorum statuitur. ibid. n. 17 et 18.

Quare licita est traductio sponsæ ad domum viri, ut ex Congregat. firmatur. ib. n. 21.

Matrimonia per Procuratorem contracta valent, ut communis est Theologorum, etiam post Tridentinum scribentium, sententia. Quanquam cautius est, ut quæ sic conciliata sunt, iterum præsentibus conjugibus coram Parocho renoventur: quæ tamen dicta sunt ad cautelam, non autem ad necessitatem. De Synod. Diæc lib. 13. c. 23. num. 9.

Matrimonia occulta antequam ab Episcopo permittantur, debet ille exquirere qualitatem, gradum, et conditionem petentium, an sint sui vel alieni juris, an sint filii familiæ, et num illæ nuptiæ sint tales, ut pater justè illis possit dissentiri. Cùm verò omnia repererit ad formam, debet deputari ad assistendum eisdem nuptiis Parochus alterutrius ex contrahentibus, nec, nisi ex gravi causa, id muneris demandari debet Sacerdoti à Parocho diverso; qui Sacerdos vel Parochus debet exhibere Episcopo documentum celebrati matrimonii cum nota loci et temporis et testium, qui interfuerunt. Id verò documentum transcribatur in libro diverso ab illo, in quo reliqua publica matrimonia annotantur, idemque liber clausus et sigillis obsignatus in Episcopali Canc. cautè servetur, non aperiendus, nisi cùm alia similia matrimonia annotanda sunt. Mandat Pontifex, ut proles inde nata denunciatur Episcopo vel per litteras parentum manu propria signatas, vel per personam fide dignam a parentibus designatam, eademque attestatio scribatur in libro diverso ab eo, in quo matrimonia occulta describuntur: utriusque parentis nominibus appositis. Qui liber custodiendus est ea diligentia, qua liber matrimoniorum occultorum. Verùm in celebratione matrimonii hujusmodi, ille qui Parochi nomen et vices gerit, debet monere conjuges, ut prolem ex eo conjugio natam denuncient Episcopo, eo modo, quo supra; alioquin, si hæc omittantur, denunciaret Episcopum, secreti fide neglecta, matrimonium illud occultum revelaturum, ne filii natis jactura inferatur. Ita in Bulla *Satis vobis*, Bullar. Tom. I. num. 35.

Cùm petita fuisset à Pontifice dispensatio de tertio in quartum consanguinitatis, et contracto matrimonio non jam consummato, repertum fuerit inter conjuges intercedere non unum, sed duplex impedimentum itidem de tertio in quartum; ideo supplicatum fuit pro dispensatione in eodem secundo impedimento, et vir, cujus nomine oblata est supplicatio, significavit uxorem suam esse insciam novi hujus impedimenti, quia si hoc scivisset, institisset pro nullitate matrimonii, et si hoc dissolveretur, magna scandala oritura essent; Pontifex concessit novum Breve. in quo dispensavit in radice matrimonii. Uxor in nova supplicatione

demonstravit se consciam fuisse secundi hujus impedimenti ante concessionem secundæ hujus dispensationis, et dum parabat se opponere huic matrimonio ratificando, obtentam fuisse à viro, se inscia, dispensationem. S. Congregatio resolvit pro invaliditate ejusdem matrimonii : cujus resolutionem Benedictus XIV. confirmavit in sua Bulla *Etsi matrimonialis*. Bull. Tom. IV. num. 5o.

MATUTINUM.

Matutinum non est segregandum à Laudibus sine causa, qua optima supplet Ecclesiæ, sejungendi Matutinum à Laudibus nocte Natalis Domini. Inst. Eccles. 24. n. 9.

Peccat etiam, venialiter, qui sine ulla legitima causa horam non servat, ut ex D. Thoma. ib. n. 9.

Hora recitandi Matutini die præcedenti incipit, post exactas tres quartas partes diei, ut in Calendario Romano annotatum est. ibid. n. 10.

MEDICUS.

Medici tenentur sub gravi monere infirmum, cum vocantur ad eum curandum, ut vocet Confessarium, ut provideat de salute animæ suæ, ita præcipiente Concilio Lateranensi in Cap. *Cum infirmitas* De Pœnit. et Remiss. S. Pius V in sua Constitutione 3, in Bullario Romano, jubet Medicum ante omnia id monere; neque tertio die ulterius illum visitare, si vocare Confessarium recusaverit: Transgressores Medicos incurrere pœnam infamiæ et privationem omnium privilegiorum ejus Professionis. Mandat insuper, ut nemo deinceps Lauream Medicinæ obtineat, nisi prius juret coram publico Notario et testibus ejus Bullæ observantiam. Neque ab his servandis excusantur Medici de consuetudine jam per longum tempus introducta, cum ob singulorum juramentum consuetudo ista induci non potuerit. Sufficit tamen si medicus id moneat per alium virum gravem. Inst. Eccl. 22. n. 16.

Non tamen tenentur sub gravi monere ægrotum in quocumque morbo, sed quando ita aliquo morbo corripitur, ut attentis omnibus judicari possit, periculum esse, ut evadat mortalis. ib. n. 18. Consultius est tamen, ut moneatur ægrotus, etiamsi non timeatur periculum illud. ib. n. 22.

Si tamen ægrotus renuat confessionem, et morbus sit adeo periculosus, ut desertus à Medico timendum sit, ne moriatur; docent tunc Theologi deserendum à Medico non esse, ne ægrotus amittat spem sanitatis recuperandæ, adeoque resipiscendi. ibid. n. 17.

Laici artem medicam, vel chirurgicam exercentes ex præscripto suæ artis, etiamsi aliquis ægrotus obierit, non tamen incurrunt irregularitatem; attamen *ad cautelam* petunt, et obtinent dispensationem si promoveri ad Ordines sacros postulant,

attamen ejusmodi Brevia non conceduntur, nisi prius audito Episcopo; cui inungitur, ut distinctè referat casus omnes animadversione dignos, eorumque peculiare circumstantias, simulque exponat, cujus rei gratia orator ad Ordines sacros promoveri poscat. De Syn. Diœc. l. 13. c. 10. n. 4.

Sacros verò Ordines jam obtinentes, vel etiam minores cum ecclésiastico Beneficio, ex præscripto sacrorum Canonum necessario debent petere indultum, si medendi artem velint exercere. Hoc verò indultum non obtinetur, nisi exposita causa, nempe quòd locus, in quo Orator degit, et profiteri cupit, vel sit pene destitutus, vel non satis illi provisum sit ex Medico laico, vel denique ejus familia tantæ sit egestatis, ut providendum illi sit ex honesto lucro ex arte medica percipiendo. *ibid.* num. 6.

Regulares verò in Missionibus agentes privilegio donantur, ex Bulla potissimum Clementis XII. *Cum sicut*, ut possint exercere artem medicam. Hoc tamen privilegio frui non possunt, nisi in ea arte sint periti, et gratis remedia præscribant, ac tandem abstineant ab incisione et adustione. Denique requiritur, ut non adsint Medici laici, vel sint quidem, at hæretici, vel hebræi, ut ex Decreto Congr. de Propaganda fide. *ibid.* n. 7.

Regulares ex instituti sui ratione Hospitalium curam et administrationem obtinentes, medicam artem exercere non possunt extra illa hospitalia. *ib.*

In prædictis indultis Apostolicis, Monachis, vel Clericis concessis semper apponitur hæc limitatio, *absque incisione et adustione.* *ib.* n. 8.

Clericis Secularibus sacris Ordinibus insignitis si concessum fuerit indultum, ut provideant familiæ indigenti, illud durat, quoadusque Orator certos Ecclesiasticos redditus, vel residentiale beneficium obtinuerit.

Insuper affertur limitatio, ne quid exposcat ab ægrotis, neque enim Ecclesiastico sæculari Medico vetatur, ut sponte oblata recipiat, præterquam à veris egenis, à quibus nihil penitus potest accipere. *ibid.* Regularibus verò indultariis semper datur cum modificativa, ut nihil penitus ab ægrotis recipiant. *ibid.*

Porro indulta illa ecclésiasticis vel Regularibus concedi non solent, nisi prius audito Episcopo testante de viri peritia in ea arte, et de indigentia medici in ea civitate, vel oppido. Præterea exquiritur etiam pro Regularibus testimonium Superioris regularis circa mores illius, qui indultum petit. Si verò non præmittatur testimonium Episcopi, adhuc tamen Pontificii Brevis executio Episcopo committetur, qui commissum munus impleturus de his omnibus certiore se reddere tenetur. *ib.* num. 9.

Chirurgiam verò exercere ecclésiasticis secularibus et regularibus longè difficilius conceditur, et tunc solùm cum omnis omnino chirurgus laicus deest; quin et tunc sine adustione et sectione. *ib.* n. 11.

MEDITATIO. Vide ORATIO.

MISSA.

Missæ Sacrificium est Latreuticum et Eucharisticum, id est laudis, et gratiarum actionis pro beneficiis acceptis, est propitiatorium, quo expiantur peccata, non eo tamen modo, quo Baptismus et pœnitentia, peccata remittentes per gratiæ infusionem; sed Deus intuitu hujus Sacrificii pœnitentiæ donum largitur, seu peculiarem gratiam donat, qua quis excitetur ad contritionem, vel ad absolutionem in Sacramento pœnitentiæ utiliter consequendam. Quoad remissionem tamen Pœnæ, abolita jam culpa, immediatè illam remittit; remittit, inquam, illi pro quo offertur, ea tamen mensura, quæ Deo placuerit. De Sacrif. Miss. l. 2. c. 13. n. 17. Est denique impetratorium spiritualium et temporalium bonorum. ib. n. 19.

An ejusdem sit efficaciz sive à bono, sive à malo Sacerdote Missa celebretur? Respondendum est, fructum proveniente ex opere operato nunquam minui, et si applicetur semper operari, dummodo impedimentum nullum obstet. ib. n. 20.

Alius est fructus, qui oritur ex universa Ecclesia offerente Sacerdotum suorum ministerio. Ecclesia verò est semper sancta, pulchra, sine ulla ruga, aut macula.

Tertius tandem est fructus ex ipso celebrante veniens, diciturque pariter *ex opere operantis*, atque iste ex majori vel minori Sacerdotis sanctimonia minuitur, augeturve. *ibid.*

Missæ fructus triplex est: *Generalissimus*, cujus fideles omnes sunt participes; *Specialissimus*, quo Sacerdos fruitur: *Medius*, quem Sacerdos applicat pro iis, pro quibus Sacrificium offert. De Sacr. Miss. l. 3. c. 8. n. 1.

Materia Sacrificii Missæ est panis triticeus, et vinum ex uvis. Si verò magna esset permixtio farinæ ex aliis frugibus, et permixtio aquæ vinum superaret, hæc materia inepta esset consecrationi. De Sacrif. Miss. l. 3. c. 10. n. 15. Nec post consecrationem novus liquor, et præsertim aqua in Calicem infundendus est. *ibid.* n. 16. Alioqui cõset S. Thomas, corruptionem Sacramenti sequi potuisse pro aliqua parte, nisi fortè quantitas novi liquoris tantilla esset, ut non posset in omnes partes diffundi. Hæc tamen sententia non æquè à Scholasticis omnibus probatur.

Ad essentiam Sacrificii necessaria est utriusque speciei consecratio, quod etiam in prima sua institutione à Christo Domino servatum est; ex quo fit, ut nemini permitti unquam possit consecratio sub unica tantum specie, quanquam si hoc fieret à Sacerdote, consecratio quidem valeret, sed ille gravi se crimine obstringeret, et Sacramentum quidem, non verò Sacrificium conficeret; deesset enim tunc mystica victimæ mactatio. *ib.* n. 19.

Sacerdos verba Consecrationis proferens super panem et vinum, sed extra Missam, validè quidem, sed illicitè consecrat,

nam tota vis consecrationis in verbis Christi consistit. De Sacrif. Miss. l. 3. cap. 11. num. 11.

In forma Consecrationis defectus accidere possunt, qui invalidam, et defectus, qui illicitam tantum illam reddant. Illicitam dicas, si omittatur vox *enim*, et verbum *est*. Item si loco vocis *hoc* dicatur *istud*. Invalidum si pro *hoc* substituatur *illud*, vel *hic* pro adverbio sumptum. Dubium est, an invalida sit consecratio Caiicis, illis tantummodo verbis prolatis: *Hic est Calix Sanguinis mei*, cæteris omissis; ideoque si id fortè contigerit, repetenda sunt sub conditione verba consecrationis vini. *ibid.* cap. 15. num. 15.

Sacerdos validè consecrat, etsi lethali crimine sit infectus, excommunicatus, hæreticus, degradatus. Licetè tamen ut celebret, debet esse in statu gratiæ, et à lethali peccato liber. *ib.* c. 11 n. 1.

Alioqui duplicis culpæ reum se constituit, conficiendo scilicet vel suscipiendo indignè Sacramentum, et infideliter sibi ipsi ministrando. *ib.* n. 2.

Vetat Tridentinum Sess. 13. c. 7. *de Eucharistia*, ne Sacerdos peccati mortalis reus, quantumvis contritus, nisi prius Sacramentali Confessione expiatus, ad celebrandum accedat. *ib.* n. 3. Permittit tamen Sacerdotibus celebrationem prævio tantum actu contritionis, dummodo gravis necessitas urgeat, nec sit copia Confessarii; simul verò in eo rerum eventu mandat, ut qui ita celebraverit quamprimum confiteatur. *ibid.* num. 4. Atque ita explicat præceptum divinum ab Apostolo traditum: *probet autem seipsum homo*. In casu verò urgentis necessitatis non sufficit attritio, sed omnino contritio requiritur, vel saltem attritio quam Sacerdos sine culpa contritionem existimaverit. Illud verò præceptum, *at quamprimum confiteatur*, verum est præceptum, et non consilium; nec ita intelligendum est, ut Sacerdos non teneatur crimen suum confiteri, nisi quando rursus est celebraturus. Hæc omnia ex variis damnatis propositionibus eruta latius explicantur. *ibid.* num. 5.

Urgens necessitas, de qua hîc, ea censetur, si Sacerdos eo die non celebrans offensionem esset, et scandalo. Item si Parochus celebrandum est ad ministrandum Viaticum. Sunt qui addant, sufficere ad celebrationem in eo rerum statu, si nuper decessit anima probabiliter Sacrificio indigens; quod tamen ab aliis, et meritò, minus probatur, cum omnes animæ in Purgatorio Sacrificio indigeant. *ib.* n. 6.

Sed quia, si Sacerdos cœpta Missa recordetur peccati lethalis non expositi in Confessione, vel se obstringi aliqua censura, vel jejuniû non servasse? Profectò si ante consecrationem peccati, seu jejunii non servati recordatur, Missam deserere tenetur, nisi aliud suadeat justus de gravi scandalo timor. Si verò post consecrationem, perficiat, et sumat Sacramentum præmissa contritione, si occurrat grave peccatum nondum pœnitentia delictum, et (elicito proposito) satisfaciendi postmodum præcepto Confes-

sionis et absolutionis. Si verò nequeat conteri, satius est scandalum potius permittere, quàm Sacramentum conficere, et indignè recipere.

Scandalum verò an causaret recedendo ab Altari ille, qui in loco privato celebrans cum unico ministro, peccati gravis, inchoata Missa, recordetur, quæstio est anceps; sunt enim qui minimum esse scandalum censent, si adsit tantummodo Minister puer, vel celebrantis servus, aut amicus. *ib. n. 9.*

Si ea die, tempore Missam præcedente, grave peccatum commissum à Sacerdote fuerit, de quo tamen doluit, et confessus est, non decet Sacerdotem eadem ipsa die celebrare, quia tollitur quidem reatus culpæ, sed non continuo immundities corporis adimitur. *ib. n. 11.* Idem dicas de eo, qui pollutionem proprii corporis sensit, nec tamen consensum apposuit. Quamvis nulla sit in eo culpa, indecens est tamen ad Sacrificium accedere; præsertim si menti tenaciùs inhæreant prævæ cogitationes. *ib. num. 12.*

Quid statuendum, si contingat defectum aliquem deprehendi vel in pane, vel in vino consecrationis, ex Rubrica repetatur, quæ mandat; si fortè accidat, ut post sumptionem sanguinis animadvertatur primò hostia inepta Sacrificio, resumendum esse novum panem, et vinum cum aqua, et verba consecrationis super utrumque repetenda, sumpto initio ab illis verbis: *Qui pridie quàm pateretur*, facta tamen priùs utriusque oblatione. Sunt quidem qui putant sufficere hostiæ tantummodo consecrationem; at tunc *debitus ordo non seroaretur*; quæ altera est ex duabus causis, ex quibus Rubrica utriusque consecrationem mandat. Quare Rubricæ parendum. *ib. cap. 15. n. 2.*

Si verò post Consecrationem sumpta jam hostia cognoscat vinum ineptum fuisse ad consecrationem: tuncne nova hostia, novumque vinum apponendum est, novaque utriusque consecratio faciendâ? Id utique censent S. Thomas, ejusque discipuli. Sed post reformatas sub Clemente VIII Rubricas Missalis legitur in illis expressum: si Missa celebretur in loco publico coram multis, ad scandalum evitandum sufficere, si tantummodo apponatur novum vinum cum aqua, et facta oblatione consecretur statimque sumatur. *ib. n. 3. 4. etc.*

Defectus si occurrat in pane et vino, deprehendaturque ante consecrationem, nova materia apta apponatur; si post consecrationem, Missa omitti tutò potest; si post sumptionem, necessario omittitur, nisi fortè multitudo adesset Missæ audiendæ, quo in casu posset Sacerdos submissa voce preces aliquas recitare, quæ ad illam partem Missæ non pertinerent, et benedictionem populo impertiri *ib. cap. 15. num. 9.*

Si aqua infusa Calici non sit, idque ante consecrationem agnoscat, infundatur statim; si post consecrationem, Missa peragenda est. *ib. n. 10.*

Si Musca, vel aranea in calicem ante consecrationem ceciderit, effundatur vinum, et novum apponatur. Si post consecratio-

nem, illud, quidquid est, extrahatur, lavetur, et comburatur, et ablutio cum cineribus in sacrario reponatur. Ita S. Thomas. ib. n. 11.

Si venenum immixtum deprehendatur ante consecrationem, idem, quod prius, servandum est, si post consecrationem, in aliud vasculum transfundatur, et tandiu servetur, donec species vini fuerint exsiccatae, et aliud vinum consecretur; ut ex S. Thoma. ib.

Vinum acescens non est adhibendum in Missa; Si tamen id fiat, conficitur Sacramentum; nec peccant Regulares, qui celebrare debent, nec habent auctoritatem vinum commutandi, id enim peccati ligat eorum Superiores, ut ex Quarto et Merato adnotatur. Institution. Eccles. 77. n. 2. Vinum quod ex aqua conficitur botris superinjecta, quale à Latinis priscis lora, seu lorea dicebatur, ineptum est ad Sacrificium, ut ex Theologis firmatur. ib. n. 4.

Vetitum est sub peccato gravi adhibere vinum illud dilutum, quod ex musto et aqua æquali, vel fere æquali, quantitate conficitur, ut ex Theologis. Inst. Eccl. 77. n. 6.

Licitum est tamen adhibere in eam rem vinum, quod ex modo illud conficiendi in regionibus aliquibus habet aliquid aquæ admixtum, est enim vinum usuale. ib. n. 7.

Si guttæ vini reperiantur extrinsecus in cuppa calicis, censeantur non consecratae et abstergantur purificatorio. Si interius, tutius censeantur consecratae, et per secundam purificationem assumantur. Sac. Miss. l. 3. c. 17. n. 7.

Generatim monet S. Thomas in dubiis, num aliquid omissum in Missa sit, vel si certè constet omissum, nec illud sit de necessitate Sacramenti negligendum esse, si sit verò de necessitate Sacramenti, illud iteretur, et reliqua omnia ex ordine deducantur. ib. cap. 15. n. 16.

Cum novi Sacerdotes cum Episcopo celebrant, non debent intentionem suam ita conformare, ut intelligant se consecratos eodem momento, quo Episcopus extrema verba protulerit, sive ipsi ante sive postea formam compleverint. Tunc enim effectus Formæ remaneret in suspenso; sed debent esse ita animo comparati, ut omne studium ponant proferendi ultima verba cum Episcopo, atque ita unà cum eo consecrent; ex quo fit, ut si non ita jungant sua verba cum Episcopo, non consecrent, cum non habuerint intentionem consecrandi. ib. c. 16. n. 6.

Sacerdotes Missam cum Episcopo celebrantes eleemosynam pro Sacrificio illo accipere minimè valent. quia dans Eleemosynam petit Missam modo consueto. De Sac. Miss. l. 3. c. 16. n. 10.

Intentio applicationis Missæ sufficit si habitualis fuerit: est enim veluti quædam donatio, quæ semper valet, etiamsi multò ante intercesserit. ib. n. 8. Tempus applicationis num sit sufficiens post consecrationem, ambiguum est. Præstat, ut Sacerdos Missam applicet cum se ad eam præparat. ib. num. 9.

Beneficiatus, cui injungitur a testatore celebratio Missæ certis diebus, non explicata applicatione pro se, vel pro aliis, debet illis diebus Missam applicare pro Fundatore ejusdem Beneficii; ut S. Cong. Conc. sæpius respondit. De Sacrif. Miss. l. 3. c. 9. n. 2.

Idem dicas, si Fundator mandaverit, ut oraretur pro se in Missa, nam præsumitur nomine orationis applicationem designasse; nisi tamen ex aliis conjecturis deducatur, aliam fuisse ejusdem Fundatoris voluntatem; ut si pluribus capellanis fundatis, in aliis mandaverit applicationem, in aliis orationem, ut ex resolutionibus S. C. ib. n. 3.

Si Superior Sacerdoti præcipiat, ut Missam certo alicui applicet, at ille pro alio offerat, reus est quidem Sacerdos inobedientiæ, sed applicatio à Sacerdotis voluntate pendet, cum ille sit minister et dispensator sui Sacrificii. ib. n. 4.

Missæ applicatio quoad Parochos. Vide *Parochus*.

Missæ Conventualis in Collegiatis quotidie celebranda est, et applicanda pro benefactoribus in genere; nec sufficit si pro uno benefactore applicetur, neque satisfacit si beneficiatus, seu Canonicus teneatur aliunde ex alio debito illam applicare. Si verò præbenda beneficii tenuis sit, nihilo tamen secius supplendum est ex distributionibus: quòd si et distributiones et præbenda tenuissimæ sint simul sumptæ, tunc recurrendum est ad Congregationem Concilii. Ita Pontifex in Encyclica ad Episcopos Italiæ, incipiente *Cum semper*, Bull. Tom. I. num. 103. Sufficit tamen prioris Missæ applicatio etiamsi plures cantentur in Collegiata ib. n. 22.

Si Sacerdos sumpta purificatione animadvertat, remansisse in corporali, vel patena fragmenta, sive illa magna sint, sive parva illa absumantur sicut et absumenda sunt fragmenta, si quæ remanserint, post distributionem Eucharistiæ in adstantes peracta Missa. De Sacrif. Miss. l. 3. cap. 17. n. 3.

Si tamen quod remanet, non fragmentum, sed integra est hostia, magna, seu parva, hæc post sumptam purificationem non est absumenda, sed vel recondenda in tabernaculo, vel ponenda in patena, ut alteri Sacerdoti mox celebraturo reservetur: quòd si fieri non potest, absumatur. Ita ex Rubricis. ib. n. 4.

Particula illa hostiæ, quæ separatur in inferiori parte hostiæ in duas partes fractæ, si cum vino non diffluat in os, sed remaneat in calice, potius quàm digito redigatur ad oram calicis, præstat, ut mediante novo vino hauriatur. ib. l. 3. c. 17. n. 1.

Sacerdoti in sacristiam jam restituto post Missam, et nondum sacris vestibus exuto, absumenda sunt fragmenta, si quæ adverterit remansisse in patena. Si verò sacras vestes exuit, quidquid superfuerit è sacrificio, reponendum est in tabernaculo, si adsit: sin minus, vel non liceat sine aliqua admiratione populi, absumendum est. Ita ex S. Thoma. ib. n. 5.

Peccaret graviter Sacerdos, si hostiam in Missa consecratam reponeret in tabernaculo, et ejus loco sueretur hostiam quæ in eq-

dem tabernaculo antea continebatur. Ita ex *Canone Relato, de Consecr. distinct.* II. ib. n. 8.

Sacerdos celebrans, si habeat hostiam parvi moduli, meliùs faceret, si populum doceret, ne miraretur, si illam adhibet pro majori, quæ tunc non suppetit; potiùs quàm utatur sententia aliorum, qui censent posse tunc extrahere è tabernaculo hostiam majorem, quæ fortè ibi adest, et adhibere illam ad elevationem. ib. n. 9.

Si pyxis hostiis parvis plena sit præsens moraliter Sacerdoti, sed non fuerit aperta ante oblationem et consecrationem, illicitè quidem id fieret, sed cum moraliter præsens esset Sacerdoti, valida esset consecratio; quod verum est, etiamsi, quando consecravit, actu de particulis non cogitaret. Moraliter verò præsentia ea dicitur, cum ita præsens est ut verificari censeantur illa verba formæ *hoc vel hic*. Ib. cap. 18. n. 2 et 3.

Si particulæ afferantur ad altare post peractam oblationem, non debet Sacerdos illas consecrare sine legitima causa, ut si magna multitudo populi, parata ad recipiendam Eucharistiam, aliàs careret Sacramento; tunc verò Sacerdos deberet priùs illas ante consecrationem mente offerre. Cœpto jam Canone, si afferatur particula, non est consecranda, neque pro dando Viatico infirmo, tunc enim sufficeret, si sacerdos ex sua hostia parvam portionem separaret. ib. n. 5.

Si fortè contingat, ut pyxis deferatur ad altare, nec Sacerdos illam advertat, adeoque proferens verba consecrationis nihil cogitet de pyxide, tunc utique si pyxis non sit supra petram sacram, non censetur voluisse Sacerdos consecrare; alioqui enim censeretur voluisse istud, quod sibi illicitum est. Quamvis verò sint DD. qui contrarium censent, cum tamen in Sacramentis conferendis sequi teneamur opinionem tutiorem, relicta probabili, ideo in eo casu particulas illas non esse populo distribuendas, sed asservandas, ut in alia Missa sub conditione consecrentur, satis constat. ib. n. 6.

Si celebranti sint præsentés undecim hostiæ, et ille habeat intentionem consecrandi solum decem, nec determinet quales, nulla ex illis esset consecrata, ut ex Rubricis discimus. Quare debet Sacerdos intentionem suam ita dirigere, ut velit omne consecrare quidquid ante se positum est. Ex quo intelligitur Sacerdotem, qui cum hac intentione habet in manu duas hostias, unam se tenere putans, utramque revera consecrare. ib. n. 7.

Missam bis eodem die celebrare, quamvis adsit causa necessitatis, nemo potest etiamsi Parochus sit, nisi saltem Episcopi licentia accedat; quæ tamen datur ob causas singulares, non tanquam privilegium. Ita Pontifex in Bulla *Declarasti*, Bull. Tom. II. n. 3.

Sacerdos, qui Sacrum facere quotidie per seipsum debet, potest aliquando illud omittere, tum quia ea præsumitur voluntas fundatoris, tum ad majorem pietatem sibi comparandam, ut ex Cap. *Significatum de Præbendis*; non tamen potest, qua die

vacat, sacrum agere, et alicui attribuere, percepta elemosyna. De Sacrif. Miss. lib. 3. cap. 22. num. 3.

Sicut nec potest duplicatum stipendium pro eadem Missa accipere, applicando uni fructum medium, alteri specialissimum; et contrariam sententiam proscripsit Congregatio S. Officii, ac dein Alexander VII, Proposit. IX inter damnatas. ibid. num. 5.

Sacerdos, qui Beneficium possidet, in cuius fundatione expressè cautum est, non teneri celebrantem ad applicationem Sacrificii, num possit pro applicatione novam stipendium exigere? non vetatur; sed neque reprobatur contraria sententia id negans, et Decreta S. Congregationis Concilii non apparent. ib. c. 22. n. 7.

Si tamen nihil expressum sit in fundatione ejusdem Beneficii, quod demonstrat, testatorem remittere applicationem sacrificii arbitrio Sacerdotis, tunc semper standum est pro obligatione applicationis pro testatore, ut ex Decretis S. Congregationis. ibid.

Missæ in altari privilegiato celebrandæ semper debent esse de *Requiem*, nisi cum aliud Festum duplex, vel Dominica dies occurrerit; tunc enim acquiritur indulgentia, etiamsi Missæ de Festo agantur. Perinde est autem sive altare istud privilegium habeat perpetuum, sive ad septennium, vel certis solum diebus in hebdomada. Si igitur testator jusserit celebrari sibi Missas certis hebdomadæ diebus ad altare privilegiatum, et in dies istos incidat aliquod festum duplex, satisfit testatori cum Missa de festo. Idem dicas de diebus, in quibus duplex quidem non currit, sed Missæ pro defunctis vetantur. Hæc omnia ex Decretis variorum Pontificum, quorum postremus est Clemens XI. De Sacrif. Miss. l. 3. c. 23. n. 8.

Missæ altaris privilegiati debent esse de *Requiem*, nisi cum incidant in diem, in qua Missæ illæ celebrari non possunt, sive ratione Festi duplicis, sive alia quacumque. Ita ex plurimis Pontificum Decretis. Inst. Eccl. 34. n. 27.

Missæ privatæ de *Requiem* celebrandæ non sunt in Festis duplicibus et Dominicis diebus, sicut nec infra Octavas Epiphaniæ, Paschæ et Pentecostes, prima die Quadragesimæ, tota Hebdomada sancta, in Vigiliis Nativitatis Domini, Epiphaniæ, et Pentecostes; denique ex Decretis S. C. infra Octavam Corporis Christi et Natalis Domini, sicut nec cum expositum est Vener. Sacram. ib. n. 28.

Solemnes et cantatæ pro Defunctis Missæ qua die à testatore præscriptæ sunt, et illa sit verè annua illius obitûs, celebrari possunt, etiamsi Officium sit de duplici majori, vel minori. Ita ex Decreto S. C. De Sacrif. Missæ l. 3. c. 23. n. 5. Non verò in Dominicis et Festis de præcepto, nec in iis, in quibus nec de duplici agi potest. Inst. Eccl. n. 5. n. 24 et seq.

Præsente corpore canitur quidem Missa pro defunctis, exceptis tamen duplicibus primæ classis. Quæ verba sunt Decreti S. C. Rituum die 5 Julii 1698. Attamen non satis constat, an id vetitum sit in omnibus duplicibus primæ classis, et non tantum in magis solemnibus. De Sacrif. Miss. l. 3. cap. 23. num. 5.

Dies tertia, septima et trigesima, quæ habent Missam cum oratione propria in Missali, nihil habent privilegii supra reliquas privatas. *ib.*

Si Parochus duas regat Parœcias, nec populi unius possint in templum alterius convenire, ac desit alius sacerdos, potest duas Missas eodem die celebrare. De Sacr. Miss. l. 3. c. 5. n. 1. Debet tamen Episcopus saltem cognoscere, num revera sit tanta necessitas, ut bis celebrari opus sit.

Hic verò unicus est casus, in quo bis celebrare liceat; neque enim fas est Sacrificium repetere sive propter adventum hospitum etiam nobilium, etiam Principum, aut Episcopi, qui die Festo Missam non audierint, nec alius adsit Sacerdos; neque enim hæc est tanta necessitas, quanta requiritur in Cap. *Consulisti* de Celebrat. Missarum. Item ex eadem ratione non licet ob benedicendas nuptias, quæ differri in aliam diem non possint. Tunc enim celebrari possunt nuptiæ sine Missa, et benedictiones in sequentem diem transferri. *ib.* l. 3. c. 5. n. 3.

Sed quid si ministrandum sit Viaticum infirmo? Profectò si Sacerdos jam Missam absolvit, tunc utpote non jejuno non licet ei rursus celebrare. Si Missam non absolvit, potest necessitati illi providere, dando partem hostiæ suæ. Si verò Sacerdos Eucharistia quidem, non verò absolute percipere moneatur de Viatico infirmo ministrando, tunc utique potest aliam missam celebrare. *ib.*

Cùm in alicujus fortè Ecclesiæ capella tam multas Missarum ibidem celebrandarum eleemosynas receperit, ut non possit, infra hebdomadam illis satisfieri, mandavit S. C. Concilii, ut quæ supersunt in aliis altaribus ejusdem Ecclesiæ celebrentur, injunctaque simul, ut deinceps fideles eleemosynas oblaturi ea de re moneantur, scripta tabella in loco visibili ecclesiæ exposita. De Syn. Diœc. lib. 12. cap. 7. num. 5.

Quamvis à Sacra Congregatione sæpius decisum fuit in Oratoris publicis sitis intra fines Parochiæ juris non esse Parochos prohibere, ne Missæ celebrentur ante Missam Parochialem; si tamen Episcopus in Synodo id prohibeat, ne populus retrahatur à Missa Parochiali et concione, constitutio illa valet, et Episcopo parendum est. De Syn. l. 12. c. 7. n. 7.

Missæ celebranda est ab aurora usque ad meridiem; toleratur tamen anticipatio tertiæ horæ partis, sicut et prorogatio tertiæ horæ partis post meridiem, ut ex edicto Benedicti XIII. Inst. Eccl. 12. n. 4. Jus habet Episcopus vetandi etiam sub pœnis canonicis, ne Regulares ultra consuetas horas celebrent, ut ex Decretis S. C. firmatur. Inst. Eccl. 68. num. 12.

Nemo ignotus, sive sæcularis, sive regularis, admittendus est ad celebrandam Missam, nisi adductis testimonialibus, iisque visis et approbatis ab Episcopo; idque præcipi posse ab eodem Episcopo, saltem quoad Sacerdotes regulares exteros, etiam Regularibus censuit S. Congreg. Instit. Eccles. 34. num. 4. et De Syn. Diœces. lib. 9. cap. 15. num. 5.

Tridentinum. Sess. 23. cap. 4., monet Episcopos, curent, ut Sacerdotes non habentes animarum curam, diebus saltem Dominicis, vel Festis solemnioribus Missam celebrent. An committant peccatum grave Sacerdotes illi, si monito Tridentini non se submiserint, quæstio est anceps. Profectò peccaret graviter, qui nunquam per annum Sacrificium offerret; esset enim hoc indicium vitæ corruptæ, et pareret scandalum. De Miss. Sac. l. 3. c. 1. n. 10. Teneretur etiam celebrare, ut ægroto Viaticum deferretur, si alio modo fieri non posset. ib.

Missam quotidie celebrare meliùs est, quàm ab ea abstinere; negandum tamen non est, quin optimè præstet Sacerdos si aliquando abstineat ex reverentia, seu ad hoc, ut ferventiùs celebret. Id verò eruitur ex eo, quòd ad spiritum Ecclesiæ propiùs accedit qui quotidie Sacramentum recipit. Addendum, quòd munus Sacerdotis est non privatum, sed publicum, estque ejus opus Ecclesiæ utile; et ex assidua celebratione validius auxilium obtinebit à Deo, ut digniùs celebret. Quare statuendum Sacerdoti, ut plurimùm, quotidie celebrandum esse, si discussa conscientia sua persuadere sibi moraliter possit, se esse in statu gratiæ. Nec obstat minor fervor; cum illum persæpe patiamur inviti. De Sac. Miss. l. 3. c. 2.

In Oratoriis privatis, in quibus pro infirmo conceditur unica Missæ celebratio, die Natalis Domini fas est tres Missas ab eodem sacerdote celebrari, ut ex Decretis S. Congreg. De Sacrif. Miss. lib. 3. c. 4. num. 8.

Episcopi quanquam non habeant ampliùs facultatem concedendi licentiam, ut in Oratoriis privatis celebretur, adhuc tamen possunt in suis domibus privatum Oratorium habere et permittere aliis Sacerdotibus, ut in eo celebrent; ut ex Decretis Sac. Congregationis. De Sacrif. Miss. l. 5. c. 6. n. 1.

Hæc etiam celebratio præstari ritè ibidem potest, etiam absente Episcopo; atque ibi audientes Missam quicumque fideles præcepto ecclesiastico satisfaciunt. Denique quod hæc dicitur de episcopis, valet etiam pro Cardinalibus non episcopis. Animadvertendum est tamen, valere hæc pro Oratoriis episcopi in suis domibus, in quibus certus fixusque locus est assignatus. ibid. l. 3. cap. 6. n. 6.

Si Missa omnino celebranda sit, nec possit in templis, vel etiam in Oratoriis privatis, licet illam celebrare in loco non indecenti, quicumque tandem ille sit, ut planum fit exemplo Capellanorum in Castris; eorum etiam, qui per infidelium regiones iter faciunt, et etiam in littore maris respectu navigantium. De Sac. Miss. l. 3. c. 6. num. 7.

Ut celebretur Missa in mari peculiare privilegium requiritur, nec sufficit clausula generalis, qua facultas fit celebrandi *in loco honesto ac tuto*. Non conceditur autem, nisi cum conditione, ut tutum sit navigium, longè absit à littore, tranquillum sit mare, ac tandem assistat celebranti alter, vel Sacerdos, vel Diaconus. ibid.

Sacerdos Missam celebrans etiam in necessitate dandi Viatici infirmo absque uno è sacris indumentis, peccat graviter ex irreverentia; neque enim urget Viatici præceptum, si ministrari non possit eo modo, quo decet. *ib. lib. 3. cap. 7. n. 1.*

Idem dicas, si absque luminibus, quæ sint oportet sive ex cera, sive ex oleo, et si desint, in necessitate saltem è sebo; sufficit tamen, si necessitas urgeat, unicum lumen. Idem dicas, si celebret absque Missali Libro, in quo sit saltem Canon. Hæc ex DD. *ibid. n. 2.*

Peccat etiam Sacerdos celebrans sine ministro, ut eruitur ex cap. *Proposuisti*, de Filiis Presbyterorum. Si tamen sit ministrandum Viaticum, potest Sacerdos sine ministro Missam celebrare, et sibi ipsi respondere. Aliàs præstat omittere Missam, quamvis si hoc agat, sunt qui negent illum peccare. *ibid. num. 3.*

In templo polluto celebrans Sacerdos, quamvis peccet graviter, ut ex Cap. *Is qui de sent. excomm. in 6*, nullam tamen pœnam incurrit, cum nulla sit in jure expressa; quin nec desunt, qui credant eum minimè peccare si adsit Episcopi consensus.

Vicissim autem irregularitatem Summo Pontifici reservatam incurrit, qui in loco interdicto celebrat, ut ex eodem Cap. *Is qui ibid. n. 4.*

Sacerdos ratione beneficii obstrictus bis vel ter singulis hebdomadibus celebrare, potest anticipare tempus, nisi appareat testatorem voluisse in qualibet hebdomada bis vel ter celebrari, ne pagus, aut altaria quædam singulis hebdomadibus Missa carent. De Sac. Miss. 1. 3. c. 9. n. 8.

Si conferens eleemosynam Missæ tempus præscripserit ob causam, quæ differri non possit, Sacerdos non servans illud tempus deest obligationi suæ, ac tenetur eleemosynam restituere. *ib. n. 6.*

Sacerdos onus habens Missæ quotidianæ, unicam tantum Missam applicare cogitur in Festo Natali Domini. An verò Parochus itidem teneatur tres ejus diei Missas pro populo applicare, nunquam decisum à S. Congregatione reperitur, tenetur tamen, ut obviet scandalo, tres ea die Missas celebrare. *ib. n. 9.*

Sunt qui doceant, die Commemorationis Defunctorum cessare onus Capellanæ quotidianæ, adeoque integrum esse capellano ea die vel pro defunctis omnibus, quod esset optimum, vel pro privato quodam defuncto applicare. *ibid. n. 9.*

Canonici in Cathedralibus et Collegiatis, qui juxta præscriptum Rubricæ certis quibusdam diebus plures Missas canere tenentur, an omnes debeant applicare pro benefactoribus nunquam à S. Congreg. decisum est. *ib. n. 9.*

Eleemosyna pro Missis à Regularibus celebrandis in eorum Ecclesiis, taxanda est ab Ordinario loci; ut ex Decreto S. Congreg. Inst. Eccl. 56. n. 10.

Missarum eleemosynam ultra quantitatem ab Episcopo taxatam exigere non possunt Sacerdotes tam Seculares, quàm Regulares; nam debet dari quædam proportio inter id quod datur, et quod accipitur, hanc autem proportionem definire ad Episcopum spectat; quare justitiam commutativam lædit ille Sacerdos, qui plus exigeret. Potest tamen dans ultro plus dare, et petens minus accipere, quanquam fieri possit, ut aliquando prohibeatur Sacerdos minus accipere, ne hinc consuetudo introducatur minus dandi in præjudicium aliorum. Hæc omnia latè in Synod. Diœc. l. 5. c. 2. et id quod postremo dixi, confirmatur ex Decreto Congregationis Concilii lato in una S. Severini die 16 Julii 1689.

Missarum stipendia, si quæ accepta sunt pro curanda celebratione Missarum, retineri non possunt, parte eorundem tradita Sacerdoti celebranti, etiamsi pars illa contineat consuetam eleemosynam. Secus qui fecerit, et laicus colligat Missas in loco ubi datur majus stipendium ac committat easdem Missas celebrandas alteri Sacerdoti minori stipendio, retenta sibi parte earundem eleemosynarum seu stipendiorum acceptorum, incidit in excommunicationem; Sacerdos verò seu Clericus in suspensionem ipso facto; quæ excommunicatio et suspensio Pontifici Romano est reservata. Constit. *Quanta cura*. Bull. Tom. I. n. 22. vide Inst. Eccl. 56. n. 4.

Vetitum est accipere novas Missarum eleemosynas iis, qui veteres habent satisfaciendas, *dummodo*, ut legitur, in Decreto Urbani VIII, *infra modicum tempus non possit omnibus satisfieri*. Modicum tempus definivit S. C. Concilii esse unum mensem. De Sacrif. Miss. l. 3. c. 24. n. 14.

Si Ecclesia et loca pia careant redditibus, adeo ut non possint licitè illos erogare in expensas pro Missarum celebratione, fas ejus administratoribus est aliquid subtrahere de consueta eleemosyna, quantum necesse est pro celebratione illius Missæ, ut ex Decr. Urbani VIII, *Certum est*. Sed ex pluribus Decretis Sacræ Congr. eruitur, detrahi in eo casu aliquid posse ex eleemosyna in Missis perpetuis; tunc autem videndum est, num adsit aliquis, qui sit obligatus supplere, et num potiùs supplendum sit recurrendo pro diminutione numeri Missarum.

Sive autem Ecclesia sit paupercula, sive non, non potest aliquid exigi ab iis Sacerdotibus, qui sponte religione ducti veniunt in aliquam Ecclesiam celebraturi, sicut etiam ab iis, qui ab administratoribus Ecclesiæ eleemosynam nullam recipiunt.

Jure tamen exigitur hæc detractio ab iis, qui omnino ibi celebrare volunt, nec Ecclesia habet de suo quomodo utensilibus provideat, nec de suo providet ille, qui eleemosynam suppeditavit. Hæc omnia De Sacrif. Miss. l. 2. c. 24. n. 13.

Eleemosynas receptas pro Missis Sacristæ regulares tenentur ponere in arca duabus clavibus obserata, quarum alteram tenere debet Superior localis, alteram unus ex Regularibus à Capitulo deputatus, ac dein de satisfactione earundem Missarum tenentur

reddere rationem coram Patribus discretis, ut ex Decreto Urbani VIII ab Innocentio XII confirmato constat. Instit. Eccl.

72. n. 29.

Missæ nec ita breves esse debent, ut saltem horæ tertiam partem non attingant, neque ita longæ, ut horæ dimidium excedant. De Sacrif. Miss. l. 3. c. 24. n. 2. Vide Inst. Eccl. 34. n. 19.

In Missæ celebratione ne quis Episcopus concedat licentiam tegendi caput coma fictitia, vetuit Innoc. XI in sua Encyclica apud La Croix l. 6. p. 2. n. 401, idque pariter locum habere in parvo pileolo ex Theologis docetur, Inst. Eccl. 34. n. 14. Gyro tamen capillitio, vulgò, *girello*, ut passim etiam Romæ Sacerdotes ibidem notatur. Eadem Inst. Eccl. n. 4.

Annulum etiam in digito gerere dum Missa celebratur cujuscumque dignitatis nemo potest, vetante S. Rituum Congregatione. ib. n. 15.

Nec licet etiam Protonotariis non participantibus adhibere in Missa instrumentum argenteum cum candela ut ex Decreto apud Monacellum. ib. n. 17, quod etiam Superioribus Ordinum Mendicantium, et Parochis vetuit S. C. cujus litteræ hîc referuntur num. 16. Quin et juxta Decreta Alexandri VII Abbatibus Regularibus consecratis id non licet, nisi in Missa solemnî, cum Pontificalibus utuntur, ut ex Decretis S. C. ib.

Pari passu cum hoc argenteo instrumento procedendum, est cum assistenti ibid. num 18, ut ex Decreto S. C. Rituum. ibid.

Missæ privatæ feria V in Cœna Domini et Sabbato sancto prohibentur non Decretis tantummodo S. C. Rit. sed etiam edicto Clementis XI die 15 Maii 1712. Eccl. 38. n. 9.

Novus Sacerdos in celebratione primæ Missæ vetatur Ecclesiam circuire sacris vestibus indutus, ut recipiat oblationes; potest tamen se vertere ad altare, et ibi eas accipere ex Decreto S. C. Inst. Eccl. 56. n. 7.

Sacerdos in alia Diœcesi celebrans Missam, non potest nomen Episcopi sui nomini Episcopi illius Diœcesis substituere ex Pouget et Merato. De Sacrif. miss. lib. 2. cap. 17. num. 4.

Sacerdos die Natali Domini non tenetur ex præcepto tres Missas celebrare, sed potest unicam. De Sacr. Miss. lib. 3. cap. 4. num. 5.

Missa cantata in eo distinguitur à solemnî, quòd cantata fiat cum cantu chori, sed unico Ministro assistente; solemnî verò habet adjunctum Diaconum cum Subdiacono; idcirco si testator mandat cantari sibi aliquam Missam, non requiritur Diaconus et Subdiaconus. Instit. Eccl. 105. n. 119.

Commentitia est distinctio inter Rubricas præceptivas et instructivas. de Sacr. Missæ cap. 11. n. 3, sed omnes sunt præceptivæ, sed aliquæ ex materiæ parvitate sub veniali tantummodo obligant. ib.

Nulla urgente causa leve peccatum est celebrare Missam privatam non recitatis Matutino et Laudibus. At si de Missa Con-

ventuali agatur, mortalis criminis reus videri posset ille, qui ante Matutinum et Laudes eam celebraret (nempe ante eam partem Officii in Choro celebratam.) Sicut et peccato gravi se obstringeret, qui perpetuò et quasi animo statuisset nunquam Missam celebrare Matutino cum Laudibus recitato. ib. n. 4.

Nemini licet ab altari recedere cœpta Missa, relicto alio Sacerdote, ut reliqua suppleat, ut statuitur in Canone *Nullus Episcopus* de Cons. diss. I. Quod ibi vetatur sub pœna suspensionis, quæ tamen est ferendæ, non latæ sententiæ; nec locum habet, si Sacerdos ante consecrationem ab altari sine causa recesserit. ib. c. 14 n. 2. ubi id definitum à S. Congr. affertur.

Si contingat, ut Sacerdos, dum Missam celebrat, subito morbo corripiatur, vel mortuus concidat, vel hoc accidit ante consecrationem, nec tunc opus est Missam ab alio continuari; si verò post consecrationem unius, vel utriusque speciei, tunc supplenda est Missa, et quidem ex præcepto, à Sacerdote initio inde sumpto, ubi alter sacerdos desierit; et si prior ille Sacerdos adhuc vivat, et capax sit Sacramenti, nec alia præsto sit hostia consecrata, ex hostia Sacerdotis secundi pars infirmo ministranda est, ut in Rubricis Missalis. ib. n. 4 et 5.

Sacerdos Missam suppleturus præstare id potest, si alius non adsit, etiamsi non sit jejunos, quin etiam si in statu gratiæ non versetur; tunc enim quærendus ab illo est Confessarius, et si non reperiatur, eliciendus actus contritionis, atque ita comparatus Missam perficiat. At si neque conteri posset, neque Missa ab altero perfici ante meridiem, tunc hostia et calix recondendi sunt in tabernaculo, ut ad alteram diem reserventur. Hæc omnia ex Rubricis et DD. ib. n. 7 et 8. Ex hoc conficitur, quòd laico, si fuerit præsens, hostia illa et calix dari non possit. ib. n. 6.

Si Sacerdote Missam celebrante violetur, vel polluat subitò templum ante inceptum Canonem, Missa intermittenda est; eo verò incepto perficienda, ut ex Rubricis. ib. num. 12.

Si dum celebratur incidat subita irruptio hostium, vel imminens alluvio, aut ruina templi, ante consecrationem deserenda est Missa, post consecrationem sumendum statim Sacramentum, omissis aliis cæremoniis. Si verò casus isti incidant, hostia quidem, sed nondum sanguine consecratò, potest Sacerdos hostiam statim sumere, et abire, nisi fortè in casu, quo Christianæ Religionis hostes in contemptum ejusdem Religionis minitentur Sacerdoti mortem, nisi sacrificium imperfectum relinquat. ib. n. 13.

Superveniente excommunicato non tolerato, Missa, si nondum perventum est ad Canonem, vel, ut quidam volunt, ad consecrationem, nec ille possit abigi, deserenda est; post consecrationem perficienda. Sed sumpta communione reliqua perficienda sunt, vel in Sacristia, vel in alio loco decenti. *ibid.* 8. 14.

Ritè pariter interrumpitur Missa, etiam interruptione longa, vel ad baptizandum infantem moriturum, qui alioqui sine Bap-

tismo moreretur, vel ad audiendam confessionem infirmi, qui alioqui non confessus obiret vel etiam ad Extremam Unctionem administrandam. Curandum tamen tunc esset à Sacerdote, ut Sacramentum interim diligenter custodiatur, et cum redierit resumpta Missa est ex eo loco, ubi fuerit intermissa. *ib. n. 15.*

Si recitatis jam Evangelio et Symbolo superveniat vir Princeps, laicus, seu ecclesiasticus, qui Missam die Festo non audierit, negant plures DD. posse ex integro Missam resumiri. *ibid. n. 16.*

Bened. XIII in Romano Concilio, uti Pontifex Innocentius XIII Præfectis Regularium ante præscripserat, monuit, ne in taxanda pecuniæ summa pro Missis perpetuis sexaginta scuta Romana definirent non excedendo, nec minuendo. De Sacrific. Miss. l. 3. c. 22. n. 9.

Missæ S. Gregorii, quæ à S. C. olim prohibitæ sunt, erant quædam Missæ peculiare, ineptiis refertæ. Cæterum triginta Missas continuatas juxta consuetudinem à S. Gregorio inductam non vetuit, quas tamen celebrare debet Sacerdos juxta ritum Ecclesiæ, quare tribus diebus Majoris Hebdomadis intermittendæ sunt. *ib. cap. 25. n. 3. Instit. Eccles. 34. n. 22.*

Episcopus potest quidem visitare Parochiales Ecclesias Regularium, sed num possit etiam recognoscere de oneribus Missarum, an sint impleta, requisita fuit S. Congregatio, et nondum prodiit responsum. Potest tamen Episcopus inquirere, num Parochus regularis singulis diebus festis pro populo celebraverit, cum id concernat curam animarum, de qua jus est inquirendi Episcopo in Visitatione. De Synod. Diœc. Lib. 13. Cap. ult. n. 5. Fas est tamen Episcopo visitare Confraternitates Laicorum in Ecclesiis Regularium erectas, et altare, si illis incumbit onus manutenendi, et onera Missarum, ad quæ Confraternitates illæ tenentur, ut ex Decreto S. Congregationis. *ibid. n. 6.*

Si testator Missas reliquerit quotannis celebrandas in Ecclesiis Regularium, et hæredi suo permiserit, ut designet Sacerdotem, per quem celebrari debeant, non possunt Regulares exigere, ut unus ex suis designetur, quin et præstare debent patientiam, ut ab eo, quem hæres designarit, in suis Ecclesiis celebrentur, dummodo tamen dentur frustatoriæ, ut ex responso S. Congr. *ib. n. 7.*

An mandatis et monitoriis etc. per quæ retardetur executio provisionum et statutorum pro divino cultu conservando et augendo, præsertim circa Missæ celebrationem, ad executionem Decretorum Trid. Sess. 21. de Ref. Cap. 8. et Sess. 22. in Decret. de observand. et evitand. in celeb. miss. ne recipiantur in Tribunali actus Judiciales, per quos eorum executio impediatur, sancitum est à Pontifice in Bulla *Ad militantis*, Bullar. T. I. n. 48. §. 6.

Eucharistiam fidelibus administrare infra actionem Missæ, non sunt obligandi Sacerdotes, si Parochi, seu Episcopi censuerint præstare, ut hæc administratio fiat in altari, ubi SS. Eucharistia asservatur extra Missam. Encyclica ad Episcopos Italiæ *Certiores effecti*, Bull. Tom. I. n. 64.

Missam auscultare diebus festis in quacumque Ecclesia, etiamsi non sit propria Parochialis, cuicumque fidei, ut præcepto satisfaciat, fas est, ut consuetudo ubique obtinens, quæ proinde induit rationem juris communis, demonstrat. De Synod. Dicec. l. 11. Cap. 14. n. 10.

Sacerdotes seculares in Ecclesiis Regularium illorum Missam legere vetantur, sed utendum est illis Romano Missali, ita tamen, ut possint de Sancto, de quo Regulares illi agunt officium, Missam recitare; eam desumendo ex Communi Missalis Romani, ut pro Capellanis, et Confessariis Monialium decrevit S. Congregatio, Clemente XI Decretum approbante. De Sacrif. Miss. l. 3. Cap. 23. n. 1. Inst. Eccl. 34. n. 20.

Missarum onera à Fundatore Beneficii præscripta non licet Episcopo diminuerè, quoties fructus relictæ decrementum subierint; non enim posse ab Episcopo reduci Missas semper renuit sacra Congregatio Concilii, facultas verò ad hoc data in Concilio Trid. Sess. 25. de Ref. Cap. 4. ut Episcopi possent Missas in testamento, vel dispositione inter vivos assignatas reducere in Synodo Diœcesana, et Generales Ordinum in suis Capitulis Generalibus, intelligitur tantummodo de oneribus Missarum impositis ante Concilium Tridentinum, et de reductione faciendâ in Diœcesana Synodo, vel Capitulo proximè post expletum Concilium Tridentinum habendis, ut exposuit S. C. De Synod. Diœces. Lib. 13. Cap. ult. n. 18.

Modò insuper non licet Episcopis etc. id præstare in suis Synodis etc., quia id vetuit Urb. VIII, et Innoc. XII in sua Constitut. de qua ib. ex vi quorum neque licet Episcopo reducere eadem onera, antequam acceptentur ab iis, ad quos pertinent, uti definitum est à S. Congregatione. ib. n. 19.

Cùm datur Episcopis facultas reducendi *pia legata et Missarum onera*, adhuc tamen ex contextu totius Dispensationis constat, nihil illis concessum esse quoad reliqua legata, sed tantum quoad onera Missarum. ib. n. 22.

Si aliqua dispositio Missarum onera, et alia pia opera comprehendat, et ob tenuitatem reddituum reductio aliqua faciendâ sit, reducenda esse priùs reliqua opera, quam numerum Missarum censuit sacra Congregatio. ib. n. 23. Quanquam hæc vera sunt, nisi ex toto contextu dispositionis aliam fuisse mentem Fundatoris deprehenderetur. ib. At si Episcoporum auctoritas quoad hanc reductionem profluxerit ex ampliatione Indulti Concilii Romani sub Benedicto XIII, vel ex instructione quadam tradita à S. C. et res fuerit, vel ut numerus Missarum, vel alia opera pia sint imminuenda, tunc præstat recurrere ad S. Congregationem Concilii. ib. n. 34.

Insuper ex vi concessionis prædictæ non possunt redigi Missæ, quarum celebrationi Ecclesia etc. per contractum sese obstrinxit, hoc enim cavetur expressis verbis in præmemorata Constitutione, ibid. num. 25.

Si testator Missas aliquot annuas pro se reliquerit celebrandas,

et in eum finem hunc vel illum fundum addixerit, et fundus ille diminuatur, ut non sufficiat ad consuetam Missæ eleemosynam, non est locus reductioni, sed cogendus est hæres, ut suppleat quod deest: præsumitur enim testator semper voluisse hunc Missarum numerum in favorem animæ suæ. Porro si verba dispositionis incipiant ab impositione oneris, et postea descendant ad assignandum fundum, tunc utique cum particula ista sit demonstrativa, fundus si deficiat, supplendus est ab hærede. Si verò dispositio illa incipiat à designatione fundi, et subinde descendat ad onera Missarum, tunc utique impetranda est *taxatio*, adeoque locus est reductioni, nec cogendus est hæres, ut suppleat. Quæ omnia exprimi solent in Instructione, de qua supra. ib. n. 32.

Si testator mandet hæredi, dare fundum legatario, ut ex ejus redditibus celebrentur Missæ; hæres facta fundi assignatione ad nihil aliud tenetur, ut ex DD. et Decisione Rotæ coram Cerro, ib. n. 33. Si verò testator mandasset hæredi, ut tot præstaret fructus sufficientes ad injunctam Missæ celebrationem, et ipse fundum idoneum dedisset, si fructus ille dein non sufficiat, supplendus est ab hærede. *ibid.*

In reductione Missarum perpetuarum per ampliationem Concilii Romani facienda, stabiliri solet eleemosyna sexaginta scutorum monetæ Romanæ: quoad Missas verò cantatas assignanda est eleemosyna consueta pro iis Missis in qualibet Diœcesi vigens, ut ex Decreto S. Congregationis. *ibid.* n. 34. At si celebrandæ sint simul aliquot Missæ cantatæ, et aliquot privatæ, nec sufficienter reductus, erogandi sunt illi in celebratione Missarum privatarum, deleto onere Missæ cantatæ, ut ex Decreto S. C. *ib.*

At si reductio fiat ab Episcopo vigore facultatis in Instructione contentæ, statuendum est, ut Missæ celebrentur, non quidem ea eleemosyna, quæ ex Indulto Concilii Romani præfixa est, sed ad rationem eleemosynæ manualis in Diœcesi obtinentis; ita enim constat ex verbis ipsius instructionis. *ib.* num. 35.

Si Episcopus ab Apostolica Sede obtinuit facultatem reducendi Missas in sua Diœcesi, potest etiam reducere pro Regularibus, ut Delegatus Sedis Apostolicæ, si ad illum recurrant. *ibid.*

Ne novæ aut inusitatæ orationes in Missa recitentur, vetitum est in Bulla *Quemadmodum preces*, Bull. Tom. I. n. 82.

Non promoti ad Presbyteratum, si Missam celebrent, tradendi sunt à Judicibus S. Inquisitionis Curie seculari puniendi ex Constitutionibus Pauli IV, Sixti V et Clementis VIII. Item Urb. VIII, in Constitut. *Apostolatûs officium*, iis pœnis subjicit etiam minores annis 25, dummodo 20 expleverint. Has constitutiones innovat Bened. XIV in Bulla *Sacerdos in æternum*. Bull. Tom. I. n. 97, et addit, singulas testium depositiones, nempe quando testes in suis depositionibus sunt singulares, valere ad reorum torturam. Valere autem ad pœnam, si Ordinarius declaraverit per simplices litteras, reum à se non esse promotum. In eadem Bulla iisdem Constitutionibus subjicit hos reos celebrantes

unam tantum Missæ partem, dummodo elevationem peregerint. Si reus has exceptiones, sic à Pontifice sublatas, prætenderit, sive illæ conjunctim considerentur, sive singulatim, non tamen satis est hoc, quominus tradantur brachio seculari si sint laici, et si clerici quominus procedatur ad degradationem et traditionem brachio seculari. Declarat insuper Pontifex, eisdem pœnis submitti quoscumque non Sacerdotes Sacramentalem confessionem audientes et absolutionem impertientes. Si tamen non sit prolata absolutio, tunc à Judice ecclesiastico minor pœna est injungenda. *ibid.* §. 8.

Benedictus XIV concedit Presbyteris Latini ritûs in Russia Polonica degentibus Missas celebrantibus in Ecclesiis Ruthenorum unitorum, ut deficientibus altaribus seu lapidibus consecratis, et calicibus aureis vel argenteis, Missam celebrare possint super antimensia eorumdem Ruthenorum, Latino tamen ritu. *Bulla Imposito nobis.* Bull. Tom. III. n. 93.

MONIALES.

Monialium professio religiosa ante decimum sextum ætatis annum expletum, et exactum annum novitiatûs emissa irrita est ex *Trid. Sess. 25. c. 15. De Syn. Diœc. l. 13. c. 12. n. 1.* Excipiuntur tamen mulieres, quæ Pœnitentes, aut Convertitæ appellantur; cum quibus constitutiones earum circa probationem servandæ sunt, non obstante Conciliari Decreto de Monialium professione, ut ex Decreto S. C. Concilii. *De Syn. Diœc. lib. 13 cap. 12. n. 1.*

Hæc Conciliaris sanctio de anno probationis valet etiam pro illa, quæ, usa Privilegio bimestris post conjugium, Religionem ingreditur, et quanquam id cedat in incommodum illius, qui in sæculo remanet, ut non possit transire ad alias nuptias, nisi postquam conjux Religiosa anno probationis exacto professionem emittit. *ib. n. 2.* Quin et accidere potest, ut biennium expectandum illi sit, si conjux Religiosa anno probationis fere exacto Religionem mutaverit, et in ea novam probationem instituerit.

Si novitia ordinis Prædicatorum in mortis articulo professionem emiserit ante expletum annum probationis, quod ex *Bulla S. Pii V* illis concessum est, nec facile derogatum illi est ex posteriori *Bulla Gregorii XIII* qua professio ante expletum annum probationis irritatur, ea quidem professio valet ad spirituales gratias lucrandas, non verò ad vindicandum Monasterio dotem, et reliqua bona professæ, ut ex sæpius decisis à S. Congr. Concilii. *ib. num. 6.*

Sponsa per verba de futuro alteri oppignorata, addito utrimque juramento de contrahendo et consummando Matrimonio, potest ante initum conjugium Religionem ingredi, juxta illud, *Promissum non infringitur ab eo, qui in melius illud commutat, Cap. Peruenit de Jurejur.* Et definitur in *Cap. Commissum de Sponsal.* quamvis ibi dicatur, tutius esse si ineat Matrimonium, tum Religionem ingrediatur, quod tamen vel est de consilio tantum;

modo, vel sponsalia tunc non inferebant aliam promissionem, nisi de conjugio celebrando; non verò de celebrando et consummando, uti nunc ferunt. *ib. n. 8.*

Matrimonio rato, non consummato, integrum est mulieri Religionem approbatam ingredi, et per professionem in ea conjugii vinculum dissolvitur. Hæc tamen valent pro veris et approbatis Religionibus, in quibus tria vota substantialia emittuntur, ut est etiam Ordo Equestris Hierosolymitanus, non verò cæteri Equestres Ordines, ut ex *Trid. Sess. 24. de Matrim. can. 6. et traditis à DD. ib. n. 9.*

Consummato jam conjugio, si liber utriusque conjugis consensus intercesserit, potest utique mulier Religionem ingredi (idem de viro dixeris), et in ea profiteri; si tamen et alter conjux consentiat in Religionem ingredi, si junior est, vel si senex extiterit, emittat votum simplex castitatis. Si verò ab alterutro, vel revocetur consensus liberè præstitus ante alterius professionem, vel etiam post professionem validè emissam; si non adimpletæ fuerint conditiones superius expressæ, conjux religiosus eo petente egredi è Religione tenetur, ut definitum in *Cap. Præterea de Convers. Conjug. Can. Quia Agatho, 27. Qu. 2. Cap. Cum sis, de Convers. Conjug. ib. n. 10. 11.*

Non verò sufficit, si muliere Religionem ingressa, alter conjux non senex sacros Ordines suscipiat, ex *Constitut. Joannis XXII. Antiquæ, tit. De Voti redemptione. ib. n. 14.*

Si verò legitimè probatum fuerit adulterium uxoris, quæ dein transit ad Religionem, tunc integrum viro est in sæculo manere, dummodo tamen castitatis votum emittat. Ita ex *Decis. à S. Congr. ib. n. 15.*

Quin et in eo casu, si ex Episcopi testimonio constet, virum in sæculo manentem vitæ esse probatæ, conceditur illi per indultum, ut nullo se castitatis voto obliget, adeo ut post uxoris mortem possit ad alias nuptias transire. Ita ex *resolutis à Cong. ib. n. 16.*

Concessum est etiam aliquando indultum viro sexagenario majori, ut Sacerdotio initiari posset, dummodo uxor fere sexagenaria perpetuam castitatem voveret. *ib. Concessum est etiam, ut vir septuagenarius de consensu uxoris acciperet sacros Ordines, et uxor paris ætatis Tertiariæ habitum indueret, dummodo diversas omnino ædes incoherent.*

In ingressu Monialium in Monasterium dotis solutio approbatur ea, quæ datur non ad ingressum in Religionem, sed pro contractu, quem facit Religio cum illa, quæ ingreditur, obligans sese ad ejus sustentationem. Si verò Monasterium per se sit dives, ut sufficere ex suis possit Monialium sustentationi, tunc utique præstaret dotem imminuere, quin etiam penitus remittere, quanquam id agendum non est, nisi prius consultà *S. Congreg. Concilii. De Synod. Diœc. l. 11. c. 6. n. 6.*

Quoad prandia, cœnas et munera, quæ ab ingrediente Moniales exigunt, perseverare censet Pontifex prohibitionem fac-

tam ab Urbano V. *Extrav. I. De Simonia inter Comm. De Synod. Diœc. l. 11. c. 6. n. 9.*

Modum tamen imponendum sumptibus apparatusum, et commessationum ac pomparum, quæ fiunt in ingressu Monialium, censet Pontifex, usus opportunè hac in re doctrina Navarri in *Tr. de Redd. Eccl. in fin. pr. q. ib. n. 7.*

Moniales Regularibus subjectæ ex Trident. Sess. 25. *de Regul. c. 5.* Ordinario loci tanquam Delegato subjiciuntur quoad clausuram. Id verò declarans Gregorius XV in Constitutione sua n. 18. statuit, Confessarios earum regulares ab ipsis suis Superioribus deputatos pro confessionibus Monialium ab Episcopo approbandos esse. Eidem etiam Episcopo reddendam esse rationem ab iis qui bona illarum administrant, accitis tamen tunc etiam Superioribus Regularium, qui si renuerint, tunc id præstet per se Episcopus. Datur etiam Episcopo auctoritas præsidendi unà cum Superiore regulari, cum Antistites Monasterii eliguntur. Denique conceditur Episcopo, ut si Regulares fortè in ordine ad clausuram deliquerint, puniat illos, et corrigat usque ad censuras. Alex. VII. in sua Const. 153, concedit Superioribus regularibus jus ingrediendi septa Monasterii earumdem Monialium semel quotannis occasione visitationis. Sæpius verò ex causa urgenti vetuit, ne ingrederentur, nisi præsentè Episcopo, vel alio Ecclesiastico, ab eodem deputato. Inst. Eccl. 29. n. 4. 5. Contraria quoad hæc omnia consuetudo etiam immemorialis à S. C. sæpius reprobata est. ib. n. 7. etc.

In visitationibus Monasteriorum Sanctimonialium, non tenetur Episcopus denunciare illis diem et horam visitationis, sicut nec tenetur ducere secum Superiorem regularem ejusdem Ordinis. ib. n. 18; potest etiam Episcopus Monialibus Regularibus subjectis sacram Eucharistiam ministrare, si ipsæ velint. ib. n. 9.

In Monasteria Monialium introduci pueros, et puellas tenellæ ætatis vetandum est, ex more Romæ obtinente. ib. num. 24.

In electione Abbatissarum, quæ præsent Monasteriis Regularibus subjectis, tenentur Regulares monere Episcopum, si velit interesse vel per se, vel per alium, ut ex Cons. Gregorii XV, n. 18, quibus debet Episcopus manifestare suam voluntatem. At potest Episcopus in Synodo generaliter edicere, velle se interesse omnibus istis electionibus, ex quo satis manifestat suam voluntatem. De Syn. Diœc. lib. 5. c. 12. n. 4.

Monialium transitum de uno ad aliud Monasterium, cum Monialibus ultra montes concedit Summus Pœnitentiarius; qui tamen facultatis hujus executionem Ordinarii arbitrio committit. Bulla *Pastor bonus*, Bull. T. I. n. 95 et 96.

Translatio Monialium ab uno ad aliud monasterium fieri jure nequit, nisi de licentia Romani Pontificis, nisi exigente aliquo repentino casu, in quo rei necessitas exigit repentinum egressum; tunc enim etiam pro Monialibus Regularibus subjectis, præter facultatem Prælati regularis, Episcopi licentia in scriptis requiritur. Bulla S. Pii. V *Decori et honestati*.

Casus repentini indicantur in eadem Bulla, magnum incendium, infirmitas lepræ, ac epidemiæ, sive pestis. De Syn. Dioc. l. 9. c. 15. n. 8.

Non licet autem absque facultate Sedis Apostolicæ egressum hunc permittere, etiamsi possint occurrere Casus alii, qui videantur æquipollere iis, quos S. Pius V in sua Constitutione expressit, ut si ex. gr. sit aliqua Monialis, ex qua prudenter timeri possit periculum scandali et perversionis aliarum. ib.

Superiores Monialium tenentur bis, aut ter singulis annis exhibere Confessarios extraordinarios Monasteriis sibi subjectis, quibus tamen sic oblati non tenentur Moniales confiteri peccata sua, sed solummodo se præsentare, ut saltem accipiant ab illis monita salutaria.

Si verò aliqua Monialis graviter ægrotat, ut sit in mortis periculo, petatque alium Sacerdotem, qui non sit ordinarius Monasterii confessor, huic à respectivo Superiore annuendum est. Si verò Superior regularis illum concedere noluerit, potest id præstari ab Episcopo. Quin etiam si aliqua Monialis etiam extra prædictum casum postulet sibi per aliquod tempus alium Confessarium ab ordinario diversum, debet illi dari à suo Superiore. Quòd si Superior Regularis id renuerit, tunc potest Episcopus satisfacere ejus petitioni, etiamsi requirat alterius Ordinis Regularem, vel etiam Sacerdotem secularem ex approbatis à Superiore ad Confessiones Monialium. Demum suadentur Superiores earumdem Monialium, ut si aliqua ex illis petat pro majori animi sui quiete, et ulteriori progressu in via Dei, ut aliquando liceat sibi confiteri Sacerdoti ad excipiendas Monialium Confessiones jam approbato, etiamsi sit alterius Ordinis Regularis, vel Sacerdos secularis, non sint difficiles ad præbendum assensum. Requiritur tamen semper, ut Confessarius iste extraordinarius sit ex approbatis ab Ordinario ad Confessiones Monialium audiendas. Postremò si Superiores regulares non saltem semel in anno elegerint in Confessarium extraordinarium, vel Sacerdotem secularem, vel regularem alterius Ordinis, in eo casu devolvitur hæc electio ad Episcopum. Hæc oblatio Confessarii extraordinarii bis vel ter in anno, sicut et cætera omnia, quæ superius præscripta sunt, præstari debent etiam cum aliis mulieribus, sive regularibus, sive secularibus collegialiter degentibus, quæ unicuique habent Confessarium. Hæc omnia ex variis S. C. Decretis olim stabilita confirmat Pontifex in Bulla *Pastoralis curæ*. Bull. Tom. II. n. 56.

Durante munere confessarii extraordinarii pro tota Communitate, non licet Confessario ordinario audire confessiones alicujus ejusdem monasterii monialis, neque alterius cujuscumque intra septa monasterii aut piæ domus commorantis. ib.

Quoad censuras, seu pœnas in casibus occultis etiam violatæ clausuræ, vel in dispensando ab aliquo occulto defectu Major Pœnitentiarius Confessarium Monialibus concedit. In casibus publicis clausuræ, à Monialibus, vel ab aliis quibuscumque ad

malum finem delinquentibus non absolvit nisi prius Ordinarius supplicarit, et casus à Cong. super Episcopos et Regulares ad Pœnitentiarium delatus fuerit. Bulla *Pastor bonus*, Bull. Tom. I. num. 95. §. 37 et 38.

Annuae præstationes, quas consanguinei solvunt designatis Monialibus, vitæ communi minimè repugnant; sed requiritur, ut omnia in manibus Præpositæ consignentur, quæ prius consu- lere debet indigentis illius Monialis. in cujus gratiam collatæ sunt; et si quid reliquum, in cæterarum levamen erroretur. Ita ex pluribus Decretis. De Syn. Diœc. l. 13. c. 12. n. 19.

Ingressus in Monasteria Monialium, quæ Regularibus sub- duntur, fieri debet de licentia Episcopi, nulla obstante con- suedine in contrarium, ut post diligens examen decretum est, approbante Urbano VIII. ibid. n. 23, in quo etiam decreto statuitur, licentias Moniales illas alloquendi petendas esse ab Episcopo, non verò à Superiore regulari.

MONS PIETATIS.

In Montibus pietatis de novo erigendis nihil ultra sortem exigi potest ab iis, qui mutuum ab eo accipiunt, etiam titulo expensarum, nisi *Apostolicæ Sedis dispensatione*, ut ex Decreto S. Congreg. Concilii in Causa Neapolitana die 7 Februarii 1737. De Syn. Diœc. l. 10. cap. 5. n. 2. Sicut neque absque beneficio ejusdem Sedis plus exigi potest, quàm antea fuerit consuetum, etiamsi hoc augmentum necessarium censeatur pro sustentatione ministrorum, ut ex alio Decreto S. Congr. ib. n. 2. Si verò plus exigatur, quàm opus sit ad expensas necessarias, tenetur Episcopus moderari istas usuras; tutius est autem quòd consulat de hac re sacram Congr. ib. n. 3.

MULCTA.

Mulctas pecuniarias Episcopus sibi addicere non potest, quan- tumvis pauper sit, sine licentia Sedis Apostolicæ, ut ex pluribus argumentis S. Congregat. evincitur in Tract. De Syn. Diœc. l. 10. c. 10. n. 2. Sed debent in usus pios expendi. Multo magis non possunt nisi in pios usus applicari illæ mulctæ, quas Tridentinum inflixit Clericis non residentibus, aut concubinariis. ib.

Si quas verò mulctas Diœcesana Synodus alicui certo loco pio applicaverit, Episcopi non possunt illas sibi obtinere ab Aposto- lica Sede, etiamsi sint pauperes, quia Sedes Apostolica juri alteri quæsito præjudicium non infert. ib. n. 3.

Has verò mulctas antequam applicentur suæ destinationi, deponendas esse penes administratorem fidelem jussit S. C. in sua Encyclica ad omnes Episcopos, die 5 Februarii 1670. ib. n. 4.

NEGOTIATIO.

Constitutiones adversùs Clericos negotiatores innovantur, et

extenduntur ad Clericos sub laici nomine quomodolibet negotiantes.

Extenduntur item ad negotia à laicis inchoata, dein ad Clericos devoluta, sive hæreditario jure, sive quocumque alio titulo, sive singulariter, sive communiter, sive separatim, sive conjunctim cum aliis bonis, cohæredibus, vel sociis laicis existentibus.

Comprehendi etiam censentur illi Clerici, qui per seipso suoque nomine proprio, vel per alios, aut alieno nomine etiam per suos cohæredes, ac socios negotium exercent.

Hos omnes subjicit Pontifex quoad bona sic ab eis acquisita pœnis in Constitutione Pii IV, quæ incipit *Decens esse*, quæ est 19 inter Bullas ejusdem Pontificis. Pœnæ illæ sunt, ut bona sic acquisita sub spoliis debitis Camerae Apostolicæ comprehendantur.

Si qui verò exempti sunt à pœna spoliolum ex Constitutionibus Pii IV, *Romanus Pontifex*, et Pauli V, *In eminentis*, illos pariter non exemptos quoad bona ex negotiatione provenientia decernit, atque declarat in Constit. *Apostolicæ Servitutis*, quæ est XIII Tom. I. Bullarii.

Negotiatio tamen impropria non est Clericis interdicta, ut v. gr. manuum suarum labore, et honesto artificio victum sibi comparare, quod et Apostolus Paulus suo exemplo docuit, et à SS. etiam Monachis præstitum est. De Synod. Diœc. l. 10. c. 6. n. 2.

Licitum est etiam Clericis vendere res collectas ex propriis prædiis, sicut et eas, quas coemerunt ad familiæ suæ sustentationem, quæ si superfuerint possunt vendere cariùs, quàm emerint, intra limites tamen justi pretii. ib.

NUNDINÆ.

Nundinæ à mercatis sedulò distinguendæ sunt; nam ille semel in anno fiunt, vel rarò in eodem loco, et de longinquo eò conveniunt populi; Mercatus verò est, quo exponuntur venales res ad quotidianos usus necessariæ, et fiunt singulis hebdomadis, currentibus populis è viciniis. Posteriores isti si incidant in festum de præcepto, transferendi sunt. Priores verò non sunt; quamvis apothecæ ea die claudendæ, sicut nec contractus fieri oportet, Matutinis et Vespertinis horis quibus divina Officia in Ecclesia celebrantur. Ita pro Ditione Ecclesiastica jussit Benedictus XIV in Constit. *Ab eo tempore*. Bull. Tom. I. n. 144.

OBLATI MONASTERIORUM.

Oblati, et qui Donati appellantur, quamvis non sint Religiosi, si tamen bona sua, ne minima quidem parte excepta quoad proprietatem, et usumfructum sibi non retinuerint, sed transtulerint in Monasterium, sunt personæ ecclesiasticæ, gaudent privilegio Fori, et immunitate ab exactionibus secularibus. Verum ut

subtrahantur à jurisdictione Episcopi, requiritur, ut actu inser-
viant suæ Religioni, ut latè docet Pontifex. De Synod. Diœces.
Lib. 6. Cap. 3. n. 4.

OBSTETRIX.

Debent obstetrices diligentius examinari à Parocho, num sciant
ea, quæ necessaria sunt ad S. Baptismum conferendum. Tunc au-
tem si baptizaverint, in templo supplendæ sunt cæremoniæ; non
tamen sub conditione iterandus est Baptismus indiscriminatim
ex eo, quòd ab obstetrice, aliisve similibus tinctus sit puer, sed
inquirendum numquid aliquid necessarium omiserint. Institut.
Eccl. 8. n. 6.

OFFICIUM DIVINUM.

In recitatione divini Officii pro aliqua morali difficultate dis-
pensando commutare potest major Pœnitentiarius. Bulla *Pastor
bonus*. Bull. T. I. n. 95. §. 3o.

ORATIO.

Indulgentiæ jam concessæ pro orationibus seu vocaliter, seu
mentaliter, confirmantur in Bull. *Quemadmodum*. Bull. T. II.
n. 23.

Qui rudes homines piè orandi, seu meditandi exercitationem
docuerint, quique institutionibus hisce interfuerint, toties quo-
ties lucrantur indulgentiam septem annorum, et totidem quadra-
genas, dummodo verè pœnitentes sint, ac sacra Communione
refecti: Const. *Quemadmodum*. Bull. T. II. n. 23. Item qui id
præstiterint assiduè, semel singulis mensibus, verè Pœnitentes,
et sacra Communione refecti, et pro consueto Indulgentiarum
more orantes, plenariam Indulgentiam animabus etiam Purga-
torii applicabilem consequi possunt. Quod itidem obtineri ab iis
potest, qui quotidie toto mense uno saltem horæ quadrante ora-
tioni mentali operam dederunt, dummodo sint verè pœnitentes
et confessi, ac sacra Communione refecti, et oraverint pro con-
cordia etc. Quapropter suadet Pontifex, ut Episcopi injungant
singulis præcipuarum Ecclesiarum Præpositis in Civitatibus, et
singulis Parochis in oppidis, ut certa diei hora ad campanæ so-
num invitent fideles, sive ut in Ecclesiam ad hoc exercitium con-
veniant, sive ut id privatim in domibus præstent.

Peccatorum orantium tria sunt genera. Alii scilicet in statu
peccati mortalis degunt et se credunt contritos, quamvis non
sint. Eorum oratio ritè instituta à Deo exauditur. Alii dolent qui-
dem de peccato, sed non ita ut ab eo se expediant; hi verò,
ut eniti, ac se liberare valeant, si ideo Deum deprecantur, ea
saltem impetrabunt, quæ ad æternam suam salutem pertinent.
Sunt tandem qui nec dolent de peccato, nec enituntur ut è statu
illo exeant, imò nec volunt; si quid illi petierint à Deo vel spi-
rituale, vel temporale, rarò exaudiuntur. Ita ex Suarez. Instit.
Eccles. 62. num. 10.

ORATORIUM PRIVATUM.

Non obstante Decreto Clementis XI, fas est Episcopis altaria erigere, ibique celebrare, vel celebrari facere extra suas domos in domibus laicorum, quando ibi agunt per modum habitationis, veluti si ibi sunt occasione visitationis, vel itineris, vel hospitio ibidem recepti. Const. *Magno cum animi* Bull. Tom. III. n. 48. §. 7.

Indultarii, coram quibus celebrari potest Missa in Oratoriis privatis, sunt illi, qui nominantur in fronte, seu in inscriptione Brevis; illis non præsentibus, Missa celebrari non potest. ibid. §. 14. 15.

Si tamen in corpore Brevis nominatur aliquis, coram quo Missa celebrari possit, etiamsi ille non veniat in fronte seu inscriptione Brevis, adhuc tamen eo præsentibus Missa celebrari potest. ib. §. 16.

Sacramentum Pœnitentiæ vetitum est ibi administrari, vel ab ipsis pariter Regularibus. ibid. §. 20. Communio sacra non potest hæc administrari, nisi accedat Episcopi licentia. §. 23.

ORATORIA PUBLICA.

Nullum jus assistit Parocho, ne in Oratoriis publicis intra suam Parœciam Missa celebretur ante absolutam Missam Parochialem, ex Decretis S. C. Inst. Eccl. 44. n. 11. Potest tamen id vetare Ordinarius, dummodo tamen Missa in Ecclesia Parochiali hora opportuna celebretur. Quæ verba sunt Decreti S. C. ibid. n. 12.

In Archiepiscopatu tamen Bononiensi, si Oratorium publicum distet à Parochiali unum milliare, permittitur hæc anticipatio, onere tamen injuncto Capellano annunciandi Festa de præcepto, Evangelium explicandi, sicut et Catechismum, ac Doctrinam Christianam habendi, quod etiam mandatur à Clemente XII in Encyclica ad Episcopos Italiæ data anno 1735, ibid. n. 15.

ORDINES.

Ordinem verum esse novæ legis Sacramentum ex consensu Theologorum omnium et Concilii Trid. definitione Sess. 23. can. 3. certum est. Id verò Sacerdotio convenire una est omnium Theologorum Catholicorum vox, nec sine periculo gravis erroris id negaretur de Episcopatu, quamvis diversum non esse Ordinem à Sacerdotio, sed ejus extensionem, perfectionem, et complementum teneretur. De diaconatu quanquam certum non sit de fide ex sensu quorundam Theologorum, attamen ex Tridentini definitione inferri posse videtur.

De cæteris singularibus Ordinibus disceptant Theologi, quamvis de Subdiaconatu aliquando minor sit quæstio præ cæteris inferioribus. Hanc definiendam Pontifex nequaquam se assump-

sisse profitetur. Quæ et vetat Episcopis, ne Sacrilegii crimine in suis Synodis eos damnent, qui cum conscientia peccati lethalis Ordines Diaconatu inferiores susciperent. Quamvis alio nomine se sacrilegii gravis reos statuerent, cum sacra Ordinatio fieri plerumque non soleat, nec possit extra Missarum solemniam, in quibus recens initiati sacra Eucharistia participant, cui irreverentiam gravem irrogaret ille, qui cum conscientia gravis peccati ad eam suscipiendam accederet. De Synod. Diœc. l. 8. c. 9. per totum.

De materia hujus Sacramenti dubietas intercedit (de Sacerdotio, Episcopatu, et Diaconatu res est) num in Instrumentorum traditione, num verò in impositione manuum, num tandem in utraque simul consistat? Quin et de impositione manuum dubii hæremus; trina est enim. Ex quo fit, ut si in aliquo rerum articulo omitti aliquid contigerit, ex responso S. C. censeat Pontifex, ut simul tota Ordinatio sub conditione iteretur. De Syn. Diœces. lib. 8. cap. 10.

In denuntiationibus, quas plerique Episcopi Ordinationes sacras inituri per Archidiaconum suum præmittunt, suæ scilicet non esse intentionis, illos ordinare, qui irregularitate, cæterisque Canonicis impedimentis tenentur; unicus plerumque est scopus, ut sic vitiatos deterreant; seriò tamen volunt quemlibet sibi propositum consecrare. Neque enim censendi sunt vel gravis peccati se reos statuere, plane contrariæ voluntati insistendo. Commisuros enim gravem culpam, si id voluerint, omnes fatentur. Censet tamen Pontifex præstare, ut ea denuntiatio omittatur, atque intra fines edicti, quod in Pontificali Romano habetur, Episcopi sese contineant. In eo enim edicto sub excommunicationis pœna præcipitur, ne quis Canonico detentus impedimento accedere audeat. ib. c. 11. Vide etiam de hac quæstione. De Sacrif. Miss. l. 3. cap. 10.

Sacri verò Ordines intra Missarum solemniam nec ab alio, quam ab Episcopo ordinante celebranda, conferendi sunt, ut reum se gravis culpæ Episcopus constitueret, qui alio Sacerdote celebrante ipse interim sacre Ordinationis ministerium præstaret. Valeret tamen Ordinatio. De Syn. Diœc. l. 8. c. 11. n. 5 et 6.

Beneficium, ad cuius titulum Ordines conferuntur, debet tantum ex redditibus ferre, quantum sufficit ad Clerici sustentationem honestam, juxta taxam ab Episcopo definiendam; detractis tamen oneribus, non tamen Missarum, saltem nisi aliter Episcopus statuerit. Si verò Clericus ordinetur in loco domicilii, et beneficium obtineat in alia Diœcesi, tunc si beneficium poscit perpetuam residentiam, sustentatio ista dirigenda est juxta taxam Synodalem loci, ubi est beneficium; secus verò statuendum est, si residentiam non exposcat juxta ac statuit Innoc. XIII in sua Constit. *Apostolici Ministerii*. Hæc omnia de Syn. Diœc. l. 12. c. 9. n. 2.

Ordines sacri conferendi sunt primario titulo Beneficii Ecclesiastici; nec nisi in subsidium pro necessitate, vel commoditate Ecclesiarum conferri possunt ab Episcopo ad titulum Pensionis, vel Patrimonii ex Trid. Sess. 21. c. 2. *de Refom.* Nec, nisi con-

currat necessitas, vel commoditas Ecclesiæ, licitum id esse edixit S. C. Concilii in Encyclica die 13 Maii 1679 jussu Innoc. XI exarata. Inst. Eccles. 26. n. 2.

Ad Ordines conferendos censet Pontifex ex Conc. Trid. Sess. 23. de Ref. c. 2. non esse positum in arbitrio Episcopi, ut Ordines minores det ignorantibus linguam Latinam, si spem ostendant futuri profectus: nam Concilium exigit, ut saltem linguam Latinam intelligant; et arbitrium Episcopi, de quo ibidem, cadit super interstitia, non super scientiam Latinæ linguæ. Inst. Eccl. 42. n. 2.

Quoniam verò ad sacros Ordines requirit Trid. ib. cap. 14. scientiam requisitam ad docendum populos necessaria ad salutem, ac ad administranda Sacramenta; ideo Subdiaconatui convenit ut præcedat annus integer studii, sive Theologiæ moralis, sive scolasticæ, sive Juris Canonici. Biennium verò ad Diaconum ordinandum, triennium ad Sacerdotes. Nec impletur mens Tridentini, si quis in Theologia morali tantum studuerit contractus, caumbia etc. Concilium enim exigit, ut possit erudiri populus quoad necessaria ad salutem. ibid. n. 3.

Ordinum sacrorum interstitia dispensare etiam quoad Regulares, non quidem ad eorum Præsules, sed ad Episcopum ordinantem spectat; ut ex responso S. C. Instit. Eccl. 58. n. 1. Quamquam ab Episcopo deferendum sit iudicio Superiorum regularium, ut ex aliis Decretis S. C. ibidem.

Quoad Clericum secularem Episcopus dispensare potest, si agnoverit id postulare utilitatem, aut necessitatem Ecclesiæ. Utilitas tunc resultat, cum pauci ministri suppetunt: Cum ordinandus provector sit ætate, et simul etiam maxime provector in studiis: seu tandem cum agitur de Parœcia, seu alio Beneficio exigente intra annum Ordinem sacrum, ut ex DD. ibid.

Cæterum si quis obtinuerit ad dispensationem interstitiorum indultum Sedis Apostolicæ; permissa est tamen ista dispensatio arbitrio Episcopi, ut Innocentius XII in sua resolutione die 4 Dec. 1693 in ejus Bullario. ibid.

Si quis obtinuerit privilegium à Sede Apostolica, ut ordinari possit extra tempora tribus diebus festivis interpolatis cum dispensatione interstitiorum, non potest Ordines recipere tribus diebus interpolatis quidem, sed festivis tantummodo, quia celebratur in illis festum duplex, sed non festum de præcepto. Licet enim in Brevis dicatur *festivis diebus*, attamen festivum stylo Sedis Apostolicæ indicat diem festum de præcepto. Accedit Decretum S. C. Concilii, definiens, dies festos accipiendos esse pro festis de præcepto. Inst. Eccl. 106. n. 6.

Ordines minores conferre non licet nisi mane diebus Dominicis, et festis duplicibus de præcepto, quod postremum additum est Pontificali Romano ex nova correctione Urbani VII, cum prius tantum legeretur *festis diebus duplicibus*; quare non licet ordinare iniciandos diebus duplicibus, sed non festis de præcepto. Instit. Eccl. 106. n. 3.

Si quis recipiat Ordines minores eademque die Subdiaconatum, incidere in suspensionem vi Decretalis in Cap. *de eo, qui furtivè ordines susc.* Doctores quidam censent, quanquam alii negant. Inst. Eccl. 106. n. 8. Vetitum est tamen id agere, ut ex pluribus Decr. S. C. firmatur. ib.

Si Clericus sacris initiandus sit consuetudine aliqua peccandi adstrictus, modo verò ita sincera exhibeat resipiscendi argumta, ut Confessarius verè eum contritum judicare possit, nòt autem penitens ille Confessario suadenti, ut differat susceptionem sacri Ordinis, acquiescere, firmusque statuatur statim se solemni voto obstringere; utràm in ea voluntate sic obfirmatus possit absolvi, questio est anceps, adeoque suadendum est illi, ut prudentem et doctum virum consulat, à quo remedia petat, et consilium. De Syn. Diœc. l. 1. c. 2. n. 17. 18.

Ordines minores collati ab Abbate nullum ad id obtinente privilegium, neque licitè conferuntur, neque valent. Si verò conferantur ab Abbatibus habentibus jus conferendi illos certo personarum generi, et quos initiaverint ad alterum genus pertineant, illicitè conferuntur, sed tamen validè; ita ex variis Decretis. S. C. De Syn. Diœc. l. 2. c. 11. n. 8 et 9.

Cum Regularibus faciliorem se præbere potest Episcopus in ordine ad examen, ut ex Salm. Theol. Moral. tr. 8. c. 5. Dab. 2. Punct. 2. n. 47. Facilius etiam dispensare cum illis potest ab interstitiis, conformando se iudicio Superioris regularis testantis de sufficientia causæ. Inst. Eccl. 23. num. 1.

Episcopus alienos subditos per dimissorias ad se directas ordinaturus, non tenetur quidem ordinandum novo examini subicere, cum id à proprio Episcopo sit præstandum, ut ex communi Doctorum sententia; at si velit novæ discussioni illum subicere, potest, ut sæpius à S. C. Concilii definitum est. At Episcopus Suffraganeus ad supplendas Diœcesani vices assumptus, nec tenetur, nec potest, ut ab eadem Congregatione decisum est in causa Elbor. Dubior. die 22 Augusti anni 1721, cui tamen fas est ab Ordinatione illius abstinere; si aliqua justa causa suppetat ad eum removendum. De Syn. Diœc. l. 12. c. 8. num. 7.

Ordinatus, ut validè id præstet, debet habere intentionem virtuales saltem externam et internam suscipiendi quod Ecclesia intendit ab eo suscipi. Quòd si coactus gravis mali metu animum intendat ad suscipiendos Ordines, ut malum illud vitet, tunc utique ordinatio valet. De Sac. Miss. l. 7. c. 10. n. 12. Si verò recipiat absque intentione interna, profectò ordinatio non valet. Nec valet etiam, si habuerit animum indifferentem, id est nec voluntatem suscipiendi, et non suscipiendi Ordines. Pro invaliditate hujus ordinationis refertur Decretum S. Congregationis.

In Sacra Congregatione die 31 Martii 1685, agitatum est, num Clericus (qui falsaverat Testimoniales ordinum præcedentium, adeoque metu censurarum, quæ in eo casu comminari solent in edicto, habuit intentionem non suscipiendi Ordinem Subdiaconatus, qui tunc sibi ab Episcopo conferebatur) reipsa ordinatus

esset? Respondit verò die 24 Augusti ejusdem anni esse iterum ordinandum sub conditione; nam illa animi perturbatione, qua agitabatur Clericus, non satis constare poterat, utrum verum animum suscipiendi Ordinem non habuerit. *ib. n. 13.*

Cum malè promotis ad Ordines, et signanter cum promotis per saltum in casibus occultis Major Pœnitentiarius dispensare potest ad effectum, ut omissos Ordines occultè suscipiant à quolibet Antistite, etiam extra tempora, non servatis interstitiis, et absque Dimissionis: non tamen ut plures Ordines sacros eodem die suscipiat. *Bulla Pastor bonus. Bull. Tom. I. n. 95. §. 18.*

Dispensat etiam cum promotis ad sacros ordines per simoniam, in casibus tamen occultis, et in foro conscientiaë. *ibid. n. 19.*

PAROCHUS.

Parochus actualis, etiam Regularis, quocumque appelletur nomine, nempe Vicarii perpetui, seu ad tempus constituti, tenetur Missam applicare pro populo singulis diebus festis de præcepto, ut in encyclica ad Episcopos Italiaë incipiente *Cum semper*, *Bull. Tom. I. n. 103*, Pontifex mandat.

Si habeat diebus illis alias obligationes applicandi Missam, curare debet, ut illis per alios satisfaciat. *ibid. §. 8.* Parochis tamen pauperibus potest Episcopus indulgere, ut ipse Parochus satisfaciat aliis obligationibus, quæ fortè occurrunt, applicandi Missam diebus Festis, dummodo tamen eidem Missæ pro populo infra hebdomadam satisfaciat. *ibid. §. 8.* Parochus etiam pinguioribus redivitibus præditus absolvitur ab obligatione applicandi Missam singulis diebus pro populo; dummodo non aliter in fundatione Beneficii cautum sit. *ibid. n. 6.*

Parochum Regularem suo muneri deficientem potest punire Episcopus cumulativè cum Superiore Regulari; ita tamen, ut si aliter statuat Superior regularis, aliter Episcopus, standum sit Episcopi mandato. Ita statuit Pontifex in *Bulla Firmandis. Bull. Tom. I. n. 109.* Si removeri debeat, potest tam Episcopus sine Superiore regulari, quam hic sine illo id præstare. *ibid. §. 11.*

Parochi jurisdictionem habent ordinariam in foro interno, non verò externo, quidquid alii censuerint, ut proinde nullam excommunicationis sententiam ferre possint, ut ex communiori, et in praxi recepta sententia. *De Syn. Diœc. l. 5. c. 4. n. 2.*

Parochi Ecclesiarum filiarum interesse tenentur benedictioni Fontium diei sabbati sancti, ex sæpe repetitis S. C. Concilii Decretis. *Instit. Eccl. I. n. 2 et seq.*

Episcopi successores ex rationabili causa etiam extra visitationem possunt examinare Parochos ad Ecclesias parochiales alias approbatos, ut in *Decr. S. Cong. Concil. Instit. Eccl. 9. n. 16.* Quin et hoc potest Episcopus præstare pro libitu, et ex sola quiete animæ suæ, quamvis nihil habeat suspitionis. *ibid.*

Si verò Episcopus velit iterum examinare quos ipse approbavit, requiritur saltem extrajudicialis infamatio de inscitia. *Quamvis*

hoc non requiratur ab iis, quos laicus Patronus nominavit ad Beneficium curatum, cum probati non fuerint in concursu, ut ex S. Rota, et ex Cardinali de Luca *de Paroch. Disc...* ibid.

Parochus habendus est quoad crimen complicitatis ille, qui peccat cum famula sua, quæ in ejus domo habitat, quamvis in alia Parœcia habeat paternam domum. Et reipsa quidem præceptum paschale tenetur illa implere in parœcia, ubi famulatum habet. Inst. Eccl. 83. n. 22.

Tolerari potest, ut Parochus habeat in domo mulieres sibi conjunctas in primo et secundo gradu consanguinitatis, et etiam affines in primo gradu cum ancillis earum, quæ tamen minores non sint annis quadraginta. Ita Decretum est à S. Congr. Concilii pro Diœcesi Bononiensi. Inst. Eccl. 72. per totam, quamvis hoc decretum respiciat famulas cum uno tantummodo Parocho cohabitantes; quæ verò munus suum præstant propinquis ejusdem Parochi minoris etiam ætatis permittuntur, dummodo tamen testimonium bonæ famæ suæ habeant.

Parochi alienæ Diœcesis non possunt in altera audire confessiones sine approbatione Ordinarii illius loci, nisi tantum suorum subditorum. Ita ex Decr. S. Congregat. Concil. Inst. Eccl. 86. n. 7.

Parochi per concursum provisi censentur idonei ad audiendas confessiones in tota Civitate, vel oppido, ubi Parochi constituuntur, non verò in tota Diœcesi Episcopi approbantis; ut ex Decretis S. Congregat. ibid. n. 13. Ex consuetudine tamen Parochi Civitatis Confessiones audiunt in Diœcesi, et vice versa. ibid. n. 13.

Si Parochus Beneficio renuntiet, indiget nova facultate audiendi confessiones, ut ex communi Doctorum. ib.

Parochus habens reditus tenues, et populum tam frequentem, ut per se sufficere nequeat audiendis confessionibus, tenetur sibi adjungere alium Sacerdotem adiutorem, cui, si ipse nequeat, populus necessaria ad sustentationem ministrare tenetur. Ita ex Decr. S. Congr. Conc. Instit. Eccl. 94. n. 7.

Parochus ex privata scientia noscens, alterum ex sponsis matrimonium celebraturis hæreticæ sectæ occultè adhærere, assistere Matrimonio non potest, quemadmodum nequit, si sciret impedimentum etiam impediens. Ita De Syn. Diœc. l. 6. c. 7. n. 6 et 7.

Parochus ad residentiam materiale et formale obstringitur tempore pestis, etiam cum periculo morbi contrahendi, ut ex rescriptis S. Cong. à Gregor. XIII. approbatis. De Syn. Diœc. l. 13. c. 19. n. 2. Idque verum est, licet Sacerdotem idoneum provideat, ut se absente, ejus vicibus fungatur. ibid.

Fas est equidem Parocho propter inimicitias, et persecutiones à residentia recedere ex Textu Cap. *Ad supplicationem de Renuntiat.*, quia tunc periculum inimiciarum soli Parocho imminet; quare potest alium Sacerdotem substituere, qui sine suo periculo ejus munus adimpleat. At in peste omnibus æquè periculum

imminet, ideoque convenientius est, ut id discriminis subeatur à Parocho, quam ab alio Sacerdote. *ibid.* Quæ de Parocho dicta hæc sunt, valent etiam pro Episcopo.

Parochus tempore pestis et eo morbo infectis tenetur ministrare Sacramenta Baptismi et Pœnitentiæ, ut annotatum est V. *Pœnitentiæ Sacramentum*, sed et Viaticum, ne tanto bono in illa necessitate Parochiani priventur, nisi in eo rarissimo casu, in quo rarus esset Sacerdos, vel Parochus; ex quo fieret, ut post administratum Sacramentum Pœnitentiæ uni, non superesset spatium, ut aliis morituris Pœnitentiæ Sacramentum administraretur; vel si eo Sacramento administrando mortem vitare non posset, et sic populus destitueretur Sacerdotibus, ut ex doctrina Suarez, de Syn. Diœc. lib. 13. cap. 19. n. 18. 19.

In ordine ad Extremam Unctionem, ex doctrina ejusdem Suarez tunc tenetur Parochus illam administrare, quatenus valeat absque morali vitæ periculo. *ib.*

PATRIMONIUM.

Constitui non debet Patrimonium in industria Clerici, ut si sit Musicus, Magister etc. ut respondit S. C. in una Seguntina mense Octobris 1589. Sicut nec institui potest in bonis mobilibus, et se moventibus, ut respondit S. C. Conc. die 29 Nov. 1670. *Inst. Eccl.* 26. n. 7.

Patrimonium admissurum se profitetur Benedictus XIV, dum erat tantum Archiepiscopus Bononiensis, in Capellania amovibili, dummodo Patronus obligasset fidem suam nunquam ab ordinato removendi illam Capellaniam quoadusque ille vixisset, vel quoadusque ordinandus non obtinisset aliud sive beneficium, sive Patrimonium, et idem Patronus vel alius se pariter obstrinxisset ad alimenta ordinato præstanda, si fortè impediretur à celebratione Missæ. *ib.* n. 11.

Item admisit in censibus perpetuis, dummodo debitores censûs, si voluissent illum restituere, obligassent sese ad deponendam pecuniam in loco tuto, ad hoc, ut in novis censibus, vel stabilibus impenderetur. *ib.* num. 12. Tunc autem curæ erit ordinato sub pœna suspensionis de investienda eadem pecunia.

Si quis voluerit assignare de suo Patrimonium sufficiens ordinando, dummodo hæc liberalitas sit vera, et inalienabilis absque licentia Ordinarii, id utique admitti poterit ex variis responsis S. C. *ib.* n. 13. Curandum est tamen, ut bona illa adeo libera sint ab aliis oneribus, ut remaneant ex iis sufficientia alimenta ordinato. *ib.* n. 14. dummodo etiam absit omnis Pactio tacita, vel expressa facta extra instrumentum, ut possessio bonorum remaneat apud assignantem. Non valet assignatio Patrimonii facta à patre respectu filii, cui in præjudicium legitimæ reliquorum filiorum omnia sua tribuit. Sicut nec admittitur, si pater transferat omnia sua in filium cum onere ut se alat, nisi id expressum candidè fuerit in instrumento Patrimonii. *ib.*

Si quis fictum Patrimonium suum sciat, et nihilo secius ordi-

nationem recipiat, manet suspensus, ut ex *Can. Naminem*, et *Can. Guncorum dist. 70*, et ex Decreto S. C. anno 1610. Si verò id nesciat, sciat autem Ordinarius, et tamen ordinet, Ordinarius quidem suspensionem non incurrit, tenetur autem de suo ordinatum alere ex vi eorundem Canonum, et sensu S. C. Concilii. n. 16.

Patrimonii alienatio absque Ordinarii licentia ipso jure nulla est, ut ex Decretis S. C. *ibid.* n. 28. Nec commutari potest in alia bona, vel in aliud pariter Beneficium sine facultate Ordinarii, ut ex similibus Decretis. *ibid.* n. 29. Nec tandem obligari possunt bona Patrimonii, adeo ut si fortè accidat, ut debitum solvendum sit, nulla fieri executio poterit, nisi supra eorum honorum partem, quæ alimentis ordinati superfluit. Fas est tamen creditori recipere in solutum, seu vendere jus, quod post mortem transiret ad hæredes. Ita ex Decretis. S. C. n. 30.

Denique ordinati ad titulum Beneficium, resignare illud nequeunt, nisi facta mentione tituli, qui Beneficio resignando adjacet, et concludentibus probationibus demonstretur, aliam suppetere resignanti viam, qua commodè sibi de victu provideat. Ita ex Decretis S. C. *ib.* n. 30.

PATRONUS.

Patronus Ecclesiasticus tenetur præsentare ad Beneficium Curatum illum, quem digniorem putat inter approbatos ab Examinatoribus ex vi Tridentini c. 18. Sess. 24. Episcopus non debet inquirere super præelectione facta à Patrono, nisi fortè aliquis fuerit inter approbatos, qui reclamet super electione facta à Patrono, quasi elegerit minus dignum. Ita in Epistola ad Archiepiscopum Florentinum. *Redditæ nobis.* Bul. Tom. II. n. 4.

Patronus laicus præsentare tenetur digniorem ad Beneficium curatum, ut ex S. Th. 2. 2. q. 65. art. 2. ad 3. aliisque Theologis firmatur. Instit. Eccles. 7. n. 5. 8.

Patronus si promiserit conferre alicui Beneficium ex motivo aliquo temporali, nempe quia sibi sit conjunctus sanguine etc., non obligatur servare quod spondit, tum præsertim cum nondum beneficium vacat. Ita ex S. Thoma. Instit. Eccles. 22. n. 8.

Si Patronus ecclesiasticus præsentaverit aliquem tanquam digniorem, et examinatores illum tanquam probiorem aliis concurrentibus judicaverint, et unus ex illis qui minus dignus judicatus est, queratur coram Episcopo de erroneo examinatorum judicio, seque digniorem esse contenderit, tunc Episcopus tanquam iudex priusquam institutionem concedat, in iudicium Patroni inquirere debet. Epist. ad Archiep. Florent. Bull. Tom. II. n. 4.

PŒNITENS.

Pœnitens, vel quicumque alius, qui falsò denuntiaverit Judicibus ecclesiasticis, se esse ab aliquo Confessario sollicitatum, incurrit reservationem Apostolicæ Sedi reservatam. *Bulla Sacramentum Pœnitentiæ*. Bullar. Tom. I, num. 20.

PŒNITENTIÆ SACRAMENTUM.

Attritio de peccatis sufficit quidem ex mente Tridentini ad disponendum pœnitentem, ut Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ obtineat: sed quamnam sit ista attritio non satis liquet; potest enim esse cum aliquo Dei amore conjuncta, sed debili, tenui, et remisso. Potest etiam esse dolor propter Deum non quatenus est summè bonus, sed quatenus est bonus nobis; potest insuper esse dolor de peccatis unice conceptus propter eorum turpitudinem, aut solum metum pœnarum, et gehennæ, absque ulla Dei dilectione. Hæc tamen postrema attritio potest etiam excitari ex metu gehennæ, ut jungatur cum aliquo Dei amore initiali, quatenus ita peccata odio habentur propter supplicia, ut simul animus feratur in Deum ut objectum diligibile. Quæstio est anceps inter Theologos, num sufficiat attritio servilis, quæ elicitur ex unico metu gehennæ, et pœnarum, nullo vel initiali Dei amore adjuncto: vel requiratur saltem conjunctus amor Dei initialis. In hac quæstione nihil decidendum ab Episcopo in Synodo sua monet Pontifex; suadet tamen, ut doceantur Confessarii, æquum esse hortari pœnitentes ad veram et perfectam contritionem, quod et in Rituali jussu Pauli V edito monetur. De Syn. Diœc. l. 7. c. 13. per totum.

Moriturum, qui antequam incidat subitus ægritudinis gravis casus, signa contritionis exhibuit, et postquam supervenit Confessarius nullo externo signo hanc voluntatem ostendit, adhuc tamen absolvi posse multò verior et tuta est opinio. Neque hæc locum habet controversia, num absolutio conferenda sit sub conditione, an absolutè; hæc enim tantum valet in casu, quo moriturus dubia prorsus et ambigua contritionis signa præbuit. De Syn. Diœc. l. 7. c. 15. n. 8.

Si verò ex nullo testimonio constet illum ante casum mortalis illius morbi signa doloris exhibuisse et petiisse Confessionem, adhuc tamen multò verior est opinio contententium, ut absolvatur sub conditione, dummodo moriturus christianè vixerit: nam acta christianæ vitæ totidem sunt voces, quibus miser ille absolutionem sibi dari petierit, et contritionem exhibuerit; et nisi sint præsentis actus pœnitentis, per vitam illam antea christianè actam, præcessisse dicendi essent, et tunc pro præsentibus haberi, quemadmodum præsens censetur contritio ante subitum mortis casum præmissa. De Syn. Diœc. l. 7. c. 15. n. 10.

Sunt qui etiam velint, etiam iis non negandam absolutionem sub conditione, qui, licèt malè vixerint, tamen catholicam fidem

retinuerunt, et pro catholicis se gesserunt, quorum tamen sententia nimis laxa videtur. *ib.* n. 13.

Pœnitentiæ Sacramentum iis, qui morbo pestis infecti sunt, non tenetur per se præstare Episcopus, cum ille agat per Parochos, ut causa universalis per particulares; sed Parochus omnino tenetur, quod et ratio suadet, et decreta S. C. approbata à Gregor. XIII declarant; quanquam administrare illud possit aut directè per se, aut adhibita opera alicujus Sacerdotis ab Ordinario approbati; nam, si Parochus omnino per se id agere deberet, cæteri Parochiani morbo non affecti nollent tunc à Parocho recipere Sacramenta, eò quòd sibi metuerent. De Syn. Diœc. l. 13. cap. 19. n. 7.

POENITENTIARIA.

Pœnitentiariæ facultates dirigit, et ad certas leges extendit et reformat Benedictus XIV in sua Bulla *Pastor bonus*, Bull. Tom. I. n. 95. Absolvere potest omnes quoscumque eò se dirigunt, tum ab omnibus criminibus, tum ab omnibus censuris etiam latis in Bulla *Cænæ*; Regulares quidem in utroque foro, cæteros in foro conscientiæ. Quanquam etiam cæteros in utroque foro potest absolvere, quando agitur de censuris latis à Jure et Apostolicæ Sedi reservatis; quin etiam latis nominatim ab homine, si jam expiraverit jurisdictio Judicis, qui sententiam tulit, seu quando ab alio remissa est absolutio ad sanctam Sedem, vel si censuris illis innodati fuerint impediti ut adeant eos à quibus de jure deberent absolvi.

Absolvit etiam pœniticos dummodo occultos, etiamsi in hæresim externam incurrerint, dummodo actus illi extrinseci à nemine visi vel notati fuerint.

Publicos etiam hæreticos et apostatas absolvit in foro conscientiæ in casibus, in quibus non est necesse denunciare complices, nempe quòd illi obierint, vel degant in Regionibus palam infectis, non tamen in iis, in quibus viget officium S. Inquisitionis.

Non absolvit Principes, et alios jus Imperii vicario nomine habentes etc. Episcopos et alios superiores Prælatos in casibus publicis contentis in Bulla *Cænæ Domini*.

Non absolvit eos, qui astrologia judiciaria vel per se, vel per alios de statu Reipublicæ Christianæ, seu de vita et morte Romani Pontificis viventis exquirunt Reliqua vide in eadem Bulla.

Vacante Pastore Ecclesia Romana, major Pœnitentiarius, cujus officium tunc non vacat, absolvere potest quæcumque ad forum conscientiæ pertinent, etiam ab iis censuris in foro tamen conscientiæ, à quibus vivente Pontifice non posset, ita tamen, ut sit absolutio ad reincidentiam, nisi intra tempus taxandum recursus fiat ad novum Pontificem.

Quoad forum externum vacante Sede Apostolica, nihil potest S. Pœnitentiaria, nisi tantùm in ordine ad Regulares apostatas, ut dictum est V. *Regulares*.

Demum in eodem casu potest absolvere à censura publicos violatores ecclesiasticæ libertatis et immunitatis cum reincidentia tamen, ut supra. Hæc omnia Pontifex in Bulla *Pastor Bonus*. Bullar. Tom. I. n. 95. §. 52.

Potest etiam Monialibus Confessarios deputare, ex approbatis tamen ad Moniales audiendas.

PESTIS.

Pestis tempore quid agi liceat, vel secus circa administrationem Sacramenti Confirmationis, Pœnitentiæ, Eucharistiæ, et Extremæ Unctionis, vide in singulis eorum articulis.

Num liceat dimidiare confessionem mortalium ex timore contrahendi morbi, quæstio est inter DD. anceps, in qua nihil certi decernitur. De Syn. Diœc. l. 13. c. 19. n. 19.

In ordine ad administrandam Eucharistiã non esse omnem Ecclesiæ ritum servandum, qui modò ab Ecclesia præscribitur, docet Muratorius in Tractatu de Peste, sed ab Episcopi iudicio expetendum esse, quid à singulis præstari posset, ut minùs periculose, sed decenter ministretur, quod etiam rescriptum fuit ad postulata Vicarii Apostolici Juliæ Cæsareæ. De Synod. Diœc. ib. n. 26.

Tutò potest Episcopus iudicare tempore pestis, quòd Eucharistia laicis porrigeretur suis manibus accipienda, ut ipsi per se ori illam inducerent. ib. n. 27.

Extrema Unctio erga peste infectos conferri potest inungendo organum illius sensûs, qui unctioni magis expositum se offert, ita formam proferendo quomodo fieri solet, cum unus tantummodo sensus inungitur. ib. n. 29.

Licet autem iudicio Episcopi in eo casu inungere ægrotum adhibita oblonga virga, cujus in extrema parte sit gossypium oleo sacro imbutum. ib. n. 30.

PIGNUS.

Quæ vendi non possunt, nec possunt in pignus dari, L. *Pupillus* §. *Eam rem* ff. *Quæ res pignori*, etc. Quare res Ecclesiæ, et etiam mobilia pretiosa non nisi concurrente legitima causa, et accedente licentia Sedis Apostolicæ, vel Episcopi respectu mobilitium minoris pretii vendi possunt. Inst. Eccl. 69. n. 5.

PRAECEDENTIA.

Parochus loci, ubi aliquis obiit, cadaver associans semper nabet præcedentiam supra alios, quoadusque est intra limites Parœciæ suæ. Inst. Eccl. 105. n. 54.

PRECES PUBLICAE.

Principes seculares si petant ab Episcopo ut preces publicæ indicantur pro necessitate statûs, id utique potest, et debet. Nonnisi verò summa abusio esset, si etiam ex consuetudine Prin-

cipes Episcopali auctoritate neglecta indicare illas vellent. *Encyclica ad omnes Episc. Quemadmodum preces.* Bull. T. I. num. 82.

PROCESSIO.

Ad Processiones solennes cogi non possunt Clerici nullam Beneficium vel officium ecclesiasticum obtinentes, sicut nec simplices Presbyteri. Beneficium verò etiam non residentiale obtinentes utique possunt. Ita censuit S. C. cujus Decreti occasione ponderatur, nihil hęc decerni de Clericis non beneficiatis, sed alicujus Ecclesiæ servitio addictis. *Instit. Eccl.* 31. n. 2.

Processiones priùs fieri debent, dein Missa solemniter cantanda ex Rubrica Missalis Romani. *Instit. Eccles.* 68. num. 12, nisi tamen aliter ob gravem causam Episcopo, vel Clero videatur. *ibid.* ex eadem.

Regulares instituere nequeunt Processiones nisi intra vel circum ecclesias suas; nec confraternitates, nisi intra Oratorium suum: si verò velint per Urbem procedere, utique debent Parochis respectivorum locorum aliquid officii exhibere. *Instit. Eccl.* 105. n. 51. Sufficit tamen licentia Episcopi etiam reclamante Parocho, ut à S. Congreg. Rituum decisum est. *ib.* n. 52.

Processio in festo S. Marci, si incidat in ipsam Paschæ Resurrectionis diem, transferenda est ad tertiam diem Paschæ ex Decreto S. C. Rituum die 25 Septemb. 1734. *Inst. Eccl.* 28. n. 3.

PROFESSIO REGULARIUM.

Judicia de nullitate Professionis quomodo instituenda sint. Vide *V. Regulares.*

QUÆSTUATIO.

Græci quantumvis exhibentes testimoniales de adhæsione sua Romanæ Ecclesiæ, adhuc tamen ex Decreto Innocentii XI prohibentur quæsturare, et facultatem ea de re obtentam à quocumque, vel ab ipsa pariter Congregatione jubentur Episcopi ad se recipere, et ad eandem Congregationem de Propaganda Fide transmittere. Insuper Clem. XII in suo Brevi mandavit pecuniam ita à Græcis collectam, et alicubi depositam sequestrari ab Episcopo, et ad eandem Congregationem transmitti. *Inst. Eccl.* 75. num. 1.

REGULARES.

In probanda nullitate Professionis Regularis multa edicit nova Benedictus XIV in sua Constitutione, *Si datam hominibus fidem*, Bull. tom. II. n. 47. Mandat igitur servari Decretum Tridentini, Sess. 25. *de Regul.* c. 19, quo vetantur audiri reclamantes contra Professionem, nisi intra quinquennium à die Professionis reclamaverint. Confirmat etiam varia Decreta Congregationis Concilii ea de re edita. Mandat deinde, ut probationes non fundentur in extrajudicialibus attestationibus,

sed omnia juridicè procedant. Præsuper citari, et audiri jubet tum defensores Monasterii in quo habita est Professio, tum consanguineos, sive alios, qui bona Professi obtinent, tum etiam auctores, vel complices metûs incussi (si ex metu prætendantur nullitas Professionis). Mandat, ut in singulis Diœcesibus ab Ordinario deputetur defensor Professionis, cui stipendium à judice definitum solvatur sive ab iis, quibus bona Professi obvenerunt, et eorum defectu à Monasterio, et eo impotente ex multis Tribunalis. A priori sententia pro nullitate omnino appellandum est, nec sine secunda sententiâ licet Religioso cultum exuere.

Post quinquennium peti necesse est à Sede Apostolica restitutionem in integrum, pro qua obtinenda defensor Professionis assistat semper tum processibus instituendis ex vi commissionum, et Superioribus regularibus et Ordinariis locorum, tunc etiam cum dubium utrùm concedenda sit restitutio in integrum in S. Congregatione proponitur. Neque in ea concessione sufficit unica sententia favens, sed duæ conformes requiruntur. Hæc novo jure sancit Pontifex; in cæteris consueta judicialis praxis retinenda est.

Cum Regularibus redituris ab apostasia major Pœnitentiarius dispensare et commutare potest pœnas quomodocumque incuras, et pœnitentias regulares obeundas, sicut et absolvere à censuris, cum reincidentia tamen, nisi ad tempus præfinitum redierint (irregularitate tamen usque ad actualem reditum perseverante.) Potest etiam illis concedere transitum ad alium ordinem. Nemi, autem Regulari permittat ut vivere possit in veste seculari, seu Clerici secularis. Bulla *Pastor bonus*, Bull. tom. I. n. 95. §. 33.

Transitum de una Religione ad aliam etiam laxiorem potest major Pœnitentiarius concedere; ita tamen ut restringat hanc suam facultatem transeundi ad Ordines, in quibus regularis observantia viget, et in dubio attestatio Ordinarii requiratur. Non concedit tamen transitum ad Ordines Hospitalares et Militares, quamvis ad Ordinem S. Joannis de Deo facilius indulgeat; sicut nec concedit transitum ad Ordinem S. Benedicti antiquioris observantiæ, aut ad alias consimiles Congregationes cujuscumque Ordinis fuerint. ib. §. 34 et 35.

Si Regularis ante Professionem habituali morbo detineatur, nec interrogatus vitium denuntiet, nisi post Professionem, expelli non potest, nisi aliter declaretur in Constitutionibus ejusdem Ordinis, uti reipsa declaratum est in Constitutionibus PP. Capuccinorum, in quibus Religio ad retinendum ejusmodi Professum minimè *velle se esse obligatam exprimit*. An tunc verò Professus non dimissus à Religione possit sponte abire, etiam illa repugnante, quæstio est non adhuc à S. Congregatione definita De Syn. Diœces. l. 13. c. 11. n. 4.

Regulares pro apostatis habentur, si sese nulliter professos contententes regularem habitum exuunt, et à claustris disce-

dunt, nec unquam audiuntur causam suam defensuri, nisi postquam redierunt ad Monasterium. Ita ex Trident. Sess. 25. c. 19. *De Regul.* De Syn. Diœc. l. 13. c. 11. num. 13.

Insuper non licet illis, ex inaniter præsumpta necessitate recurrendi ad Superiores Ordinis, exire extra claustra sine Superioris litteris; alioquin enim apostatarum pœnis per Ordinarium loci puniantur. Ex Trid. ib. c. 11. n. 13. Hæc tamen intelligenda sunt, quando recurrendi causa non est vera, urgens, et gravioris momenti. ib. n. 14.

Vetitum est Superioribus regularibus, ne subditis suis facultatem faciant transeundi ad aliam Religionem, nisi non dubiis documentis constiterit illis, alterius Religionis Superiorem paratum esse ad eos recipiendos; atque ita res constitutæ sint, ut transitus iste rectè fiat ab una ad aliam Religionem ita ex Decreto S. Congreg. Concilii ab Urbano VIII approbato ibid. num. 14.

Transitus iste, etiamsi agatur de apostata transferendo, fieri nequaquam potest ad Religionem, in qua regularis observantia non viget; quin nec licet, si Religio illa sit militaris, aut hospitalis, excepto ordine S. Joannis de Deo. Ita edixit Benedictus XIII in sua Constit. *Licet Sacra.* ibid. num. 14.

Regularis in Claustris non degens, si ab illis abscessit non præobtentata Superioris venia, vagaturque, etsi gestet religiosa indumenta, et animum redeundi retineat, debet ab Episcopo loci, ubi moratur, in carcerem conjici, et Superioribus regularibus consignari, secundum Regulam puniendus, ut ex Decreto S. Congreg. Concilii ab Urbano VIII confirmato. ibid. Hæc tamen vera sunt, nisi aliunde constet, Regularem illum se subtraxisse ab immoderata severitate Superioris localis, ut recurrat ad alium Superiorem majorem. ibid.

Regulares incorrigibiles expelli possunt ab Ordine, quidquid vetera S. Congr. decreta olim in contrarium statuerint, ut ex novis Decretis ejusdem Congreg. Concilii firmatur. ib. n. 16.

Incorrigibilis verò censetur, qui omnibus inustus est improbitatis characteribus in Jure Canonico ad id designatis. Debet præterea antecedere carceratio sex mensium in pœnitentia, et jejunio, ac tandem sententia Provincialis ejusdem Provinciæ, consultis tamen sex aliis ex eadem Provincia Religiosis, designandis in Congregatione provinciali, confirmandisque à Superiore Generali, cui reservata est facultas iterum retractandi eandem causam, et priorem sententiam revocandi. Ita ex novissimis Decretis S. Congreg. Concilii. ib. n. 19.

In conficiendis incorrigibilitatis processibus valent illi, qui ad normam regularum et consuetudinum ejusmodi Ordinum formantur. ib.

Lata contra ejectos sententia notificanda est Episcopo ordinario loci, non ut de illa cognoscat, sed quia illius jurisdictioni subest, ejusque mandatis obsequi debet. Ita ex Decretis S. Congregat. ib. num. 20.

Ita ejecti non possunt induere habitum Religionis, sed clericalem adhabeant necesse est. Manent insuper perpetuò suspensi ab exercitio Ordinum in Religione susceptorum, nec potest ab Ordinariis ea pœna relaxari, vel moderari. Ita ex Decretis S. Congreg. *ibid.*

Si verò ex litteris Testimonialibus Ordinarii constiterit, spem evidentem inesse resipiscentiæ, tunc iterum ad Ordinem recipiendi sunt. Ita ex Decretis. *ibid.*

Demum ita ejectus voto castitatis omnimodè obstrictus remanet, paupertatis verò, cum quadam moderatione, sicut nec obedientia proprio Superiori regulari exhibenda ab eo est. Reliqua verò vota in Professione ab eo nuncupata, remanent in suspenso. Ita ex DD. *ib.*

Ejectus si provocare vult ab injustitia sententiæ in se latæ, debet se constituere in carceribus formalibus Religionis, ut ex Decreto S. Congreg. Concilii, lato die 15 Nov. 1698 constat. *ib. n. 31.*

Religiosi tamen Societatis Jesu post tria vota simplicia ab illis emissa exacto probationis tempore ab Ordine dimissi non comprehenduntur in Decretis de apostatis, et ejectis, ut ex Responso S. Congregat. Concilii. *ibid. n. 21.* Votum castitatis ab illis emissum, dum permanent in Ordine, dirimit Matrimonium. Isti ne celebrare possint vetantur solummodo, quia carent Patrimonio, vel Beneficio. *ibid. n. 23.* Sunt tamen habiles ad Beneficia, et Ministeria ecclesiastica obtinenda. *ibid. num. 26.* Valent tamen hæc omnia in dimissis ante Professionem solemnem. Post illam verò emissam censentur ac Regulares, in ordine ad ejectos. *ibid.*

Vota castitatis etc. à Religiosis laicis Cisterciensibus emissa, solemnia sunt, non simplicia, ut ex peculiari Decreto peculiaris Congregationis habitæ coram Bened. XIV, die 27 Martii 1747 lato constat. *ib. n. 28.*

Si Religiosus ob crimen aliquod damnatus sit ad triremes ad certum tempus, num ab ea absolutus pœna recipiendus iterum sit à Religione, nondum definitum est à S. Congregat. quamvis fuit consultata. Hæc tamen sola sententia damnationis ad triremes, etiam si nondum remigaverint, perpetuò illos infames declarat, adeoque irregulares. *ib. n. 30.*

Regulares quicumque etiam exempti in Indiis Orientalibus agentes, curam animarum exercentes, subsunt prævio examini Ordinariorum, et approbationi, nec non visitationi, correptioni et jurisdictioni eorum in iis, quæ ad prædictam Curam pertinent. Const. *Quomodo ad confirmandum* etc. Bull. Tom. II. num. 1.

Regulares sacros Ordines suscepturi non tenentur ostendere Dimissorias Ordinariorum propriæ originis, sed sufficit si illas acceperint à Superiore suo. Vicissim non possunt uti privilegio suscipiendi Ordines à quocumque, nisi illud obtinuerint post Tridentinum, et ad illos pervenerit concessione directa, non verò communiione privilegiorum de uno in alium Ordinem. Si hujus-

dunt, nec unquam audiuntur causam suam defensuri, nisi postquam redierunt ad Monasterium. Ita ex Trident. Sess. 25. c. 19. *De Regul.* De Syn. Diœc. l. 13. c. 11. num. 13.

Insuper non licet illis, ex inaniter præsumpta necessitate recurrendi ad Superiores Ordinis, exire extra claustra sine Superioris litteris; alioquin enim apostatarum pœnis per Ordinarium loci puniantur. Ex Trid. ib. c. 11. n. 13. Hæc tamen intelligenda sunt, quando recurrendi causa non est vera, urgens, et gravioris momenti. ib. n. 14.

Vetitum est Superioribus regularibus, ne subditis suis facultatem faciant transeundi ad aliam Religionem, nisi non dubiis documentis constiterit illis, alterius Religionis Superiorem paratum esse ad eos recipiendos; atque ita res constitutæ sint, ut transitus iste rectè fiat ab una ad aliam Religionem ita ex Decreto S. Congreg. Concilii ab Urbano VIII approbato ibid. num. 14.

Transitus iste, etiamsi agatur de apostata transferendo, fieri nequaquam potest ad Religionem, in qua regularis observantia non viget; quin nec licet, si Religio illa sit militaris, aut hospitalis, excepto ordine S. Joannis de Deo. Ita edixit Benedictus XIII in sua Constit. *Licet Sacra.* ibid. num. 14.

Regularis in Claustris non degens, si ab illis abscessit non præobtentâ Superioris venia, vagaturque, etsi gestet religiosa indumenta, et animum redeundi retineat, debet ab Episcopo loci, ubi moratur, in carcerem conjici, et Superioribus regularibus consignari, secundum Regulam puniendus, ut ex Decreto S. Congreg. Concilii ab Urbano VIII confirmato. ibid. Hæc tamen vera sunt, nisi aliunde constet, Regularem illum se subtraxisse ab immoderata severitate Superioris localis, ut recurrat ad alium Superiorem majorem. ibid.

Regulares incorrigibiles expelli possunt ab Ordine, quidquid vetera S. Congr. decreta olim in contrarium statuerint, ut ex novis Decretis ejusdem Congreg. Concilii firmatur. ib. n. 16.

Incorrigibilis verò censetur, qui omnibus inustus est improbitatis characteribus in Jure Canonico ad id designatis. Debet præterea antecedere carceratio sex mensium in pœnitentia, et jejunio, ac tandem sententia Provincialis ejusdem Provinciæ, consultis tamen sex aliis ex eadem Provincia Religiosis, designandis in Congregatione provinciali, confirmandisque à Superiore Generali, cui reservata est facultas iterum retractandi eandem causam, et priorem sententiam revocandi. Ita ex novissimis Decretis S. Congreg. Concilii. ib. n. 19.

In conficiendis incorrigibilitatis processibus valent illi, qui ad normam regularum et consuetudinum ejusmodi Ordinum formantur. ib.

Lata contra ejectos sententia notificanda est Episcopo ordinario loci, non ut de illa cognoscat, sed quia illius jurisdictioni subest, ejusque mandatis obsequi debet. Ita ex Decretis S. Congregat. ib. num. 20.

Ita ejecti non possunt induere habitum Religionis, sed clericalem adhibeant necesse est. Manent insuper perpetuò suspensi ab exercitio Ordinum in Religione susceptorum, nec potest ab Ordinariis ea pœna relaxari, vel moderari. Ita ex Decretis S. Congreg. *ibid.*

Si verò ex litteris Testimonialibus Ordinarii constiterit, spem evidentem inesse resipiscentiæ, tunc iterum ad Ordinem recipiendi sunt. Ita ex Decretis. *ibid.*

Demum ita ejectus voto castitatis omnimodè obstrictus remanet, paupertatis verò, cum quadam moderatione, sicut nec obedientia proprio Superiori regulari exhibenda ab eo est. Reliqua verò vota in Professione ab eo nuncupata, remanent in suspenso. Ita ex DD. *ib.*

Ejectus si provocare vult ab injustitia sententiæ in se latæ, debet se constituere in carceribus formalibus Religionis, ut ex Decreto S. Congreg. Concilii, lato die 15 Nov. 1698 constat. *ib. n. 31.*

Religiosi tamen Societatis Jesu post tria vota simplicia ab illis emissa exacto probationis tempore ab Ordine dimissi non comprehenduntur in Decretis de apostatis, et ejectis, ut ex Responso S. Congregat. Concilii. *ibid. n. 21.* Votum castitatis ab illis emissum, dum permanent in Ordine, dirimit Matrimonium. Isti ne celebrare possint vetantur solummodo, quia carent Patrimonio, vel Beneficio. *ibid. n. 23.* Sunt tamen habiles ad Beneficia, et Ministeria ecclesiastica obtinenda. *ibid. num. 26.* Valent tamen hæc omnia in dimissis ante Professionem solemnem. Post illam verò emissam censentur ac Regulares, in ordine ad ejectos. *ibid.*

Vota castitatis etc. à Religiosis laicis Cisterciensibus emissa, solemnissima sunt, non simplicia, ut ex peculiari Decreto peculiaris Congregationis habitæ coram Bened. XIV, die 27 Martii 1747 lato constat. *ib. n. 28.*

Si Religiosus ob crimen aliquod damnatus sit ad triremes ad certum tempus, num ab ea absolutus pœna recipiendus iterum sit à Religione, nondum definitum est à S. Congregat. quamvis fuit consultata. Hæc tamen sola sententia damnationis ad triremes, etiam si nondum remigaverint, perpetuò illos infames declarat, adeoque irregulares. *ib. n. 30.*

Regulares quicumque etiam exempti in Indiis Orientalibus agentes, curam animarum exercentes, subsunt prævio examini Ordinariorum, et approbationi, nec non visitationi, correptioni et jurisdictioni eorum in iis, quæ ad prædictam Curam pertinent. *Const. Quamvis ad confirmandum etc. Bull. Tom. II. num. 1.*

Regulares sacros Ordines suscepturi non tenentur ostendere Dimissorias Ordinariorum propriæ originis, sed sufficit si illas acceperint à Superiore suo. Vicissim non possunt uti privilegio suscipiendi Ordines à quocumque, nisi illud obtinuerint post Tridentinum, et ad illos pervenerit concessione directa, non verò communione privilegiorum de uno in alium Ordinem. Si hujus-

modi privilegium non habuerint, ordinari debent ab Ordinario loci, in quo degunt, si ille sacras Ordinationes tempore legitimo sit habiturus. Si verò habiturus non sit, possunt Dimissoriæ à Superiore regulari illis concessæ ad alium dirigi cum authentica attestatione Episcopi Diocesani, ex qua constet ipsum Ordinationes habiturum non esse. Transgressores hujus sanctionis, qui Ordinationem ab alio susceperint, suspensionis censuram incurrun. Superiores regulares, qui Dimissorias concesserint, voce activa et passiva mulctantur. Ita Pontifex in Bulla *Impositi nobis*. Bull. Tom. II. num. 27.

Si verò Regulares tempore Ordinationibus proximo transeant ad alterius loci Monasterium, et post receptam Ordinationem ab Episcopo illius loci, quo transierunt, redeant ad pristinum Monasterium, videntur hoc quidem fecisse in fraudem, nihilominus nihil potest contra hos decerni, quia potuit res fieri citra fraudem. Ipsi ergo sibi consulant. De Syn. Diœc. l. 9. c. 17. n. 4.

Si Superiores Dimissorias subditis suis dederint, ut ab Ordinario quocumque Ordines recipiant, nisi in casibus supra expressis, privantur usu vocis activæ et passivæ, et dignitate qua potiuntur, ex Decreto Clem. VIII die 15 Martii 1596. Quod Decretum non ita legitur, ut in multis editis, *pœnas incurrunt*, sed *pœnas incurrunt*, quod infert pœnam latam, et non ferendam. Inst. Eccles. 23. n. 12. Num fruantur privilegio Ordinationum extra tempora, affirmandum esse videtur ex auctoritate Concilii Romani sub Benedicto XIII. Titul. 5. Cap. 2. ib.

Regulares habentes privilegium posterius Tridentino, ut exempti sint ab Interstitiis, frui illo debent, nec possunt Episcopi illos eo nomine ab Ordinatione rejicere. Ita ex Decr. S. Congr. die 24 Augusti 1686. De Syn. Diœc. lib. 9. cap. 16. num. 6.

Regulares etiam exempti nequeunt exponere Sacramentum Eucharistiæ sine velamine in suis Ecclesiis, nisi ex causa publica ab Ordinario probata. Fas est tamen illis ex causa etiam privata Sacramentum velatum exponere in Tabernaculo aperto; dummodo tamen ab illo non extrahatur, ut ex Decr. S. Cong. De Syn. Diœc. l. 9. c. 15. n. 4.

Generatim verò jus est Episcopis cogere Regulares parere sibi circa ea, quæ ad majorem cultum hujus ineffabilis Mysteriorum et celebrationis Missæ præcipienda consueverint. Quod ex Decreto Trident. Sess. 22. *De observandis et evitandis in celebratione Missæ*, eruitur. ib. n. 5.

Regulares tenentur parere Episcopo præcipienti, ne in eorum Ecclesiis exponatur insolita imago, aut nova reliquia ab ipso non approbata, et inobedientes possunt etiam censuris cogi, ut ex Decr. S. Congr. die 5 Julii 1700. De Syn. Diœc. l. 9. c. 15. n. 5.

Regulares puniri possunt ab Episcopo tanquam Apostolicæ Sedis Delegato, si quid deliquerint in iis, quæ respiciunt Clausuram Monialium etiam exemptarum, et earum, quæ intra Monasterii septa degunt. ib. n. 6.

Regulares non possunt secularium confessiones excipere *sine licentia, gratia et beneplacito Episcopi*, quæ verba sunt Extrav. Bonif. VII, in Cap. *Super Cathedram de Sepulturis*, quod et confirmavit Trid. Sess. 23. cap. 15. *de Ref.*; sed et fas est Episcopis eam facultatem limitare ad certum tempus, certasque personas, quin et ex parte revocare, contrariamque opinionem Alexander VII die 30 Januarii 1659 damnavit De Syn. Diœc. Lib. 9. cap. 16. n. 7.

Possunt tamen Regulares ab Episcopo approbati acciri ad domos secularium ægrotantium, eorum confessiones auditori, non petita à Parochis ægrotantium licentia; sed de audita ægrotantium illorum confessione debent relinquere sygrapham, qua Parochus certioretur. Ita ib. n. 9.

Regularibus Prælati non licet monasteria Monialium sibi subjectarum ingredi, nisi semel in anno causa visitationis; si autem necessitas urgeat ut sæpius ingrediantur, non possunt nisi cum præsentia Episcopi Diœcesani, aut alterius ecclesiastici ab ipso deputati. Ita ex Constitutione *Felici* 156 Alex. VII. De Syn. Diœces. Lib. 9. cap. 15. n. 6.

Regularibus vetitum est alloqui Moniales etiam sibi subjectas sine licentia expressa non solum Superioris regularis, sed Episcopi, ne vel semel quidem per spatium quadrantis horæ cum dimidio, ne vel pariter occasione concionis ad Moniales illas habitæ, ne vel tandem ex causa quantumcumque honesta et pia. ib. n. 7.

Regulares subduntur coercitioni Episcopi, si excipiant confessiones secularium sine prævia Episcopi approbatione, ut ex Constit. X Clem. X. Item non possunt inconsulto, et non approbante Episcopo audire confessiones Monialium sui Ordinis etiam exemptarum ex vi Bull. 18 Greg. XV.

Regulares nova Monasteria, seu domos ne erigant, vetantur absque Sedis Apostolicæ et Episcopi facultate, quamvis Tridentinum Sess. 25. cap. 3. *de Regul.* solius Episcopi facultatem exprimit. De Syn. Diœc. l. 9. c. 1. n. 9.

Est tamen pro monialibus in Ditione Hispanici Regis Breve Urbani VI suspensivum ejusdem Constitutionis, sed non valet extra Hispaniam. De Syn. Diœc. l. 9. c. 15. n. 9.

Ad statum Regularem transire possunt Presbyteri Ecclesiæ vel Diœcesis servitio addicti, invito etiam Episcopo proprio; tenentur tamen, nisi aliquid obstet, illum consulere. Ita in Epistola ad Card. Quirinum, *Ex quo dilectus*. Bull. Tom. II. n. 25.

Regulares extra monasterium degentes, et Clericos Regulares quomodocumque exemptos in civilibus causis mercedum et miserabilium personarum, nisi habeant judicem certum à S. Apostolica in partibus deputatum, coram Ordinariis locorum conveniri posse in prima instantia decernit Pontifex in Bulla *Ad militantis*. Bull. Tom. I. n. 48. §. 41.

RESERVATI CASUS.

Ad solum Romanum Pontificem, Episcopos et Prælatos inferiores habentes jurisdictionem quasi Episcopalem cum territorio separato pertinet casuum reservatio, ex doctrina Conc. Trid. et Decisionibus S. Congr. De Syn. Diœc. Lib. 5. Cap. 4. num. 2.

Quamquam reservatio fieri potest extra Synodum, multa tamen suadent, ut potius in Synodo fiat; ideo præsertim, quia non desunt Theologi cum Roncaglia tenentes leges ab Episcopo latas extra Synodum, eo cessante, cessare; cum ea tantummodo, quæ in Synodo fiunt ab Episcopo, legis plenam auctoritatem obtineant. *ib.* n. 3.

Actus merè internos, nec Summus Pontifex, nec Episcopi reservandos sibi unquam censuerunt. *ib.* c. 5. n. 5.

Regulares non solum reservare prohibentur alia crimina, quam quæ in Decreto Clem. VIII definitur, sed nec possunt alia ab his diversa crimina illigare censura reservata, ut et firmat Pontifex ex Decreto quodam Sacræ Congregationis Episcoporum et Regularium. *ibid.* Cap. 5. n. 6.

RESIDENTIA.

Ad residentiam tenentur Episcopi et Parochi, ut ex Concilio Tridentino Sess. 6. Cap. 1. *de Ref.* et Sess. 23. Cap. 1. adeo ut quo tempore non resident, non faciant fructus suos, ut ex Const. 91 Pii IV. Ex qua etiam Constitutione constat, si quo tempore illi non resident, obierint, de redditibus ecclesiasticis disponere nequam posse, etiamsi testandi facultatem obtinuissent. *Instit. Eccl.* 17. n. 4 et 5.

Episcopi, æqua et rationabili causa poscente, ad duos, tresve menses quotannis abesse à Diœcesi permittuntur; Parochi verò duobus mensibus possunt quidem, sed de licentia Episcopi, et relicto idoneo Vicario ab Ordinario approbando, ut ex Trid. Sess. 23. cap. 1. *de Ref.* *ibid.* n. 7.

Nec sine licentia Episcopi abesse possunt per hebdomadam, sicut non sufficit licentia tacita. Ac demum non est satis ad evadendas pœnas, si causa sit evidens, et Episcopus non consultatur, vel si consultus neget; quamquam tunc possit fieri recursus ad legitima tribunalia. Si tamen ex improvise discedere necessarium sit, tunc post discessum scribendum est ad Ordinarium. Ita ex Decret. Sacr. Congr. *ib.* n. 11.

Pro Parochis tamen agrestibus sufficit licentia Vicarii Foranei, pro absentia tamen modici temporis. Ita ex Decr. Sacr. Congreg. n. 12.

Si abeundum sit duobus vel tribus diebus non festivis, mos singularum Diœcesium tenendus est. Ita ex DD. Canonistis. *ib.*

Ad excusandam non residentiam non sufficit aeris intemperies. Si tamen Parochus ægrotaret, nec posset ibi ex defectu medicorum curari, tunc ad quatuor menses obtinere potest ab Ordinario licen-

tiam secedendi ad loca viciniora, Vicario idoneo interim substituto, ut ex Decretis Sacr. Congreg. ib. n. 25.

Nec excusantur, si absint, ex eo, quod Parœcia distet tantum tribus quatuorve milliariis à civitate.

Nec etiam, si nocturno tempore ibi resideant, et celebrata summo mane Missa, tum reliquum tempus agant in Civitate, relicto tamen idoneo substituto, idque præsent per majorem anni partem. Ita ex Decr. S. C. C. ib. n. 18.

RESTITUTIO.

Bona immobilia ab hostibus in bello injusto capta, putà à piratis, infidelibus, hæreticis etc., si emanant à fidelibus, debent restitui proprio domino nullo exacto pretio ab eodem; quod decretum olim fuit à Congregatione Propagandæ fidei an. 1630. Quorum opinionem Benedictus XIV admittit in epist. ad P. Nicolaum Lercari, Secretarium ejusdem Congregationis. Bullar. Tom. III. n. 57. Quòd verò ad mobilia, eadem Congregatio censuit restituenda esse ab emptoribus legitimo domino, exacto tamen ab illo eo pretio, quo empta sunt; in hoc tamen judicium suum Benedictus XIV non profert. ib.

REUS.

Reus juridicè interrogatus in judicio criminali tenetur veritatem manifestare, ut innuit Pontifex in sua Bulla *Paterna Caritas*. Bullar. Tom. III. n. 24.

SACRAMENTUM.

Sententia asserens, in Sacramentis conferendis non requiri in Ministro intentionem aliquam faciendi quiddid facit Ecclesia, sed tantum præstandi ritum externum, nulla censura ab Episcopis configenda est. De Syn. Diœc. l. 7. c. 4. n. 9. Verùm contraria tutior est, et omnino servanda in praxi. Quare si quid ejusmodi contigerit, et necessitas urgeat, Sacramentum Baptismi sic collatum, sub conditione iterum perfici oportet. Quod si res hujusmodi sit, ut moram patiat, consulenda est Sedes Apostolica. ib.

SEMINARIUM.

Tenetur Episcopus assumere sibi consilium duorum de Capitulo, quorum alter ab Episcopo, alter à Capitulo eligatur, item duorum de Clero Civitatis, quorum alterius electio ad Clerum spectat, quæ omnia sunt ex Cap. 18. Sess. 23. *de Ref. Tridentini*. His omnibus deputatis uti debet in administratione rerum Seminarii; sicut etiam illi adhibendi sunt circa institutionem et disciplinam ejusdem Seminarii; quanquam Episcopus ita debet in his omnibus eorum consilium audire, ut sequi non teneatur. De Synod. Diœc. lib. 5. cap. 11. n. 4. Ex pluribus Sacræ Congr. Decr.

SEPULCHRUM.

· Sepulchra in Ecclesiis Confraternitatum haberi possunt, sed de licentia Episcopi, uti sæpe decisum à S. Congr. Inst. Eccles. 105. n. 124.

Si Confrater obeat, non electa sepultura, mandari non potest sepulturæ in Ecclesia ejusdem Confraternitatis, ut est decisum à S. Congregatione. ib. n. 124.

SIMONIA.

In Simonia contracta pro beneficio acquirendo major Pœnitentiarum monetur, etiam in casibus occultis, et in foro Conscientiæ, ne titulum ejusdem beneficii convalidet, nisi fortè agatur de simonia, ignorantia facti, vel juris commissa, et Orator, quamprimum id rescivit, dispensationem petierit; quod valet et in pensionibus, in quibus simonia realis scienter contracta fuerit. Bulla *Pastor bonus*. Bull. Tom. I. n. 95. §. 22.

Abstinendum est illi etiam à condonatione pretii simoniaci, quando in Ecclesiam læsam vel pauperes debet erogari, nisi aliter suadeat paupertas delinquentium. ib. §. 23.

Qui simoniacè intercessit pro alio ad impetrandum beneficium, tenetur in subsidium restituere Ecclesiæ, vel pauperibus fructus à Beneficiario malè perceptos, ante omnem sententiam. Inst. Eccles. 12. n. 11.

Si quis poscat à S. Congregatione absolutionem à simonia commissa in obtinendo beneficio, impetrare solet rescriptum, ut *dimittat, moneat, et restituat*; nempe dimittat beneficium, moneat pro restitutione pretii accepti Ecclesiæ, vel pauperibus restituat fructus perceptos. ib. n. 12.

Si verò simonia commissa est ab aliquo tertio, inscio beneficiario, tunc rescribitur pro convalidatione tituli, dummodo *ante possessionem*, quod valet ac si diceretur, modò id non rescierit ante acceptam beneficii possessionem. *ibid.* n. 12.

Cùm Parochiani habent jus nominandi Parochum ratione fundationis, tunc singuli, seu mares, seu fœminæ, seu minores habent jus nominandi in capita, ut ex Pitone de Controv. Patron. All. 100. n. 394. firmatur. *ibid.* n. 13. Commendæ, Prioratus, atque Præceptoræ Ordinis Hierosolymitani à Canonistis quidem tanquam beneficia habentur, in quibus si intercedant preces, pactiones et munera, simonia committitur: id tamen negant communi consensu Theologi animadvertentes, non esse illis annexum spiritualis ministerii exercitium, neque necessario conferri Clericis, quæ duo exigunt beneficia; quanquam negari non potest gravem abusum ea in re intercedere, quem tollere admisus est Clem. XI in suo Brevis ad magnum Magistrum ejusdem Ordinis, in quo etiam declarat collationes hasce nullas, et irritas esse et fore. De Syn. Diœc. l. 12. c. 5. n. 15.

SOLLICITATIO IN CONFESSIONIBUS.

Sollicitatus nulla lege prohibetur, quominus ante denuntiationem sollicitantis, illum occultè admoneat, ut sibi provideat, sponte se offerendo Tribunali. Tenetur tamen, etsi monitus compareat, et sit ex correptione emendatus, illum denuntiare, ut ex propositionibus ab Alexandro VII damnatis eruitur. de Syn. Dicec. l. 6. c. 11. n. 9 et 10.

Præceptum denuntiandi Confessarios sollicitantes ad turpia, et poenæ aliæ huic sollicitationi indictæ non extenduntur ad alia crimina à re venerea diversa. *ibid.* n. 14.

Sacerdotes omnes etiam regulares sollicitantes ad turpia in re venerea in actu confessionis vel ejus occasione aut prætextu, præter alias poenas Constit. Sexti V et Gregorii XV inflictas, incurrunt etiam perpetuam inhabilitatem ad Missam celebrandam. Idemque etiam valet contra eos Sacerdotes, qui Sacrificio Missæ abutuntur ad sortilegia. Ita ex Decreto S. Congreg. Inquisit. ex mandato Bened. XIV. Id verò Decretum enuntians publicè est à Superioribus cujuscumque ordinis palam semel in anno feria VI post octavam Assumpt. B. M. V. et in quocumque Capitulo Generali aut Provinciali. *ib.* Appen. ad Tom. I, Bull. Bened. XIV. n. 8.

SPECTACULA.

Spectacula inverecunda, uti sunt puerorum et adolescentium nudorum cursus et luctæ, etiamsi longa consuetudine introducta, ne permittantur ab Episcopis, utque legibus latis prohibeantur, mandat Pontifex in Encyclica ad Episcopos Campaniæ *Nihil profectò.* Bull. T. I. n. 60.

SPONSALIA.

Si alteruter ex sponsis se ad alias partes transferat inscio altero, admonendus est Superior ecclesiasticus, qui tempus aptum assignet absentem, ut redeat, quo elapso si non pareat, vinculum dissolvitur. *Inst. Eccl.* 46. n. 5.

Sponsalia de futuro inita absque præsentia Parochi, vel absque scriptura valere semper pronuntiavit S. Congregatio, cum Tridentinum tantum aboleverit Matrimonia clandestina. Priora verò sponsalia etiam non jurata, etiam sine copula prævalent secundis sponsalibus, etiam juratis, et etiam cum copula, ut ex communi DD. *Inst. Eccles.* 46. n. 8.

Sponsalia inita invitis parentibus, quanquam judicari possint valida, illicita sunt tamen, et detecto dissensu parentum solvi possunt, etiamsi jurata sint, quod invictè probat Archiepiscopus Rossanensis D. Muscettola in Dissertatione legenda in Tom. I. Operum Zauli ad Statuta Faventiæ. *ibid.* n. 8.

Sponsalia absque interna voluntate exequendi promissa, dubium est an obligent; est tamen grave peccatum sic promittere. *ibid.* n. 16.

Oscula ob delectationem carnalem et sensualem, juxta terminos Propositionis 40 inter damnatas ab Alex. VII, ob paritatem rationis neque inter sponso licita sunt. ib. n. 18.

Sponsus, qui sponsam seduxit ad copulam, non potest puniri poena stupri, ob aliquod jus quod habet in corpus illius, ut ex Decr. S. Congr. apud Fag. ibid. n. 19.

Promissio de præsenti absque præsencia Parochi et testium, neque valet ratione matrimonii, neque sponsalium, ut ex pluribus Decretis S. Congregationis. ibid. n. 22.

SYNODUS.

Synodus Diocesana non necessariò transmittitur ad sacram Congregationem Concilii, ut ab ea recognoscatur, emendetur et approbetur. De Synod. Dioces. l. 13. c. 3. n. 6. Nam Sixtina Constitutio, quas affertur ad id posset, nihil ea de re statuit, nisi quoad Concilia Provincialia.

Constitutiones Synodales statim ac promulgantur, ligare subditos incipiunt, neque bimestre expectandum, ut de legibus Imperialibus edicitur. L. *Leges sacratissimæ*. C. de Leg. et Rub. Novel. 66. et de Legibus Pontificiis Doctores quidam asserunt, aliis magis communiter negantibus; nihil enim circa hoc statuitur de legibus ab inferioribus latis, ut monent DD. plures. De Syn. Diœc. l. 13. c. 4. n. 2.

Regulares etiam subjeiciantur legibus Synodalibus in iis, quæ respiciunt curam animarum, et Sacramentorum administrationem, ex Trid. Sess. 25. cap. 11. de *Regularibus*, quamvis secus sit in aliis, sed ad evitandam deformitatem sese illis conforment oportet, non tamen sub gravi eas negligerent, notante Suarez. Censet tamen Pontifex contra nonnullos regulares, quamvis teneantur ad festa Diœceseos ex Trid. Sess. 25. c. 12. *Regul.*, non tamen teneri ad jejunia ab Episcopo indicta, nisi alia consuetudo in quibusdam Monasteriis fortè invaluisset. De Syn. Diœc. l. 13. c. 4. n. 5 et 6.

TABACUS.

Tabacum per nares trahere, vel ejus fumum in os inducere ante Missæ celebrationem, vel communionis perceptionem, nequaquam interdicendum censet Pontifex, neque prohibendum judicat, cum ob receptam, ac pervulgatam ejusmodi consuetudinem, omnis in ea re modò absit inhonestas, et indecentia. De Syn. Diœc. lib. 11. c. 13. n. 3.

TERTIARIÆ.

Mulieribus Tertiariis non collegialiter viventibus non possunt Regulares dare habitum sui Ordinis sine licentia Episcopi Diœcesani, cui debent ritè probare, habere se hoc privilegium Sedis Apostolicæ, scæminas illas esse moribus probatas, habere illas ultra annum decimum quartum, tantum possidere de annuis redditibus, ut habeant satis ad alimenta, ac denique non cum aliis

eas cohabitare, quàm cum necessariis in primo tantùm gradu consanguinitatis, vel affinitatis sibi conjunctis, ut ex decr. S. Congr. in causa Nazariensi die 10 Maii 1727. De Syn. Diœc. lib. 9. c. 15. n. 11.

Tertiariæ collegialiter viventes, votis tamen solemnibus, et clausuræ non adstrictæ, cùm sint contra Bullam 8 S. Pii V, à S. Cong. tolerantur potiùs quàm approbentur, sunt autem omnimodè Episcopi jurisdictioni subjectæ, ut ex pluribus S. Congr. Decretis. Instit. Eccles. 29. n. 13.

Tertiariæ non collegialiter viventes non possunt habere Confessarium quemcumque etiam sui Ordinis, nisi approbatum ab Episcopo pro Confessionibus sæcularium. Item non possunt Regulares illis die Paschæ Sacramentum Eucharistiæ ministrare. Defunctorum corpora sepulturæ mandanda sunt in Ecclesia Parochiali, nisi fortè in Ecclesia Regularium sui Ordinis sepulchrum esset illis destinatum. Inst. Ec. 19. n. 14.

Benedictus XIII multa concessit Tertiariis, sive vivant in communi Monasterio, sive domi suæ vitam agant privatam, quæ utique jus novum concedere viderentur; sed cùm Clemens XII in sua Constitutione *Romanus* anni 1732, jura Tertiariarum revocaverit ad terminos Concilii Tridentini, ac Decretorum Apostolicorum; ideo nihil novum de illis statuendum est. ib. n. 16.

Tertiariæ collegialiter viventes ex recepta S. Cong. immunitatis opinione, gaudet immunitate fori. Vicissim autem Tertiariæ in domibus privatis habitantes eodem privilegio non gaudent, ex Doctoribus definitur. Instit. Eccles. 105. n. 68.

TESTAMENTUM.

Testamentum factum coram Parocho et duobus saltem testibus idoneis valet pro toto Statu Ecclesiastico, nisi obstet statutum aliquod municipale, ex dispositione Cap. *Cùm esses* 10.

Testamenta ad causas pias toto Orbe Catholico valent si fiant coram duobus testibus, ex Cap. *Relatum* 11. de Testamentis. Inst. Eccl. 105.

Quoad dispositionem Capitis *Cùm esses*, non sufficit si sint duo vel tres testes, et absit Parochus, cùm in Canone sit *Coram Presbytero suo*. Nec sufficit si defectum Parochi suppleat Capellanus; sicut neque si præsentiam præstet Confessarius ordinarius. Demum testes masculi requiruntur, nec foeminae valent. Demum valet testamentum ita conditum, etiamsi testator non sit in extremo vitæ periculo. ib. n. 8. 9 et 10.

Scribenda sunt testamenta à Parocho coram testibus, et à testatore subscribenda, sicut etiam à Parocho et testibus. Si tamen scribere ignorent, sufficit scriptura Parochi, et signum Crucis impressum in charta à testibus. ib. n. 14.

Ita scriptum testamentum saltem intra octo dies Parochus cum testibus deferre debet tabellioni; et si adsit subscriptio Testatoris et testium, non requiritur, ut singula contenta in testamento

referant Notario. Si nulla sit testatoris subscriptio, tunc Parochus seu Sacerdos viva voce exprimere debet quidquid in eo testamento continetur; quod et à singulis testibus seorsum præstandum est. Denique, et singuli illi subscriptionem suam agnoscant. *ib.* num. 16. Has verò omnes depositiones scribat tabellio, et jungat testamento.

Ad servanda verò, quæ in testamento mandantur, discussio Parochi et testium agenda est à iudice competenti, citata parte, cujus interest, excepta tamen consuetudine, ut valeant testamenta, nulla facta publicatione, si illa reposita sint in Archivio. *ib.* n. 16.

VASA SACRA.

Vasa sacra dum actu continent Corpus et Sanguinem Christi tangere nemo alius permittitur, nisi Sacerdos et Diaconus.

Subdiaconis datum est in altaris ministerio tangere calicem et patenam, dum Corpus et Sanguinem Christi non continent.

Acolythis licet tangere illa, sed extra ministerium altaris, quod etiam extenditur ad omnes illos, qui prima Tonsura initiati sunt. Hæc omnia ex Theologis. *Instit. Eccles.* 34. num. 18.

VENDITIO.

Clerici beneficiati prohibentur unico actu vendere commodum, seu utilitatem percipiendi fructus beneficii quoad vixerint, vel per longum tempus recepta pecunia in ea summa, de qua conventum est inter contrahentes, sive pecunia illa tota simul salvatur sive per plures solutiones. Id verò vetitum sub excommunicatione et aliis pœnis contra alienantes bona ecclesiastica inflictis, et contractus omnes ita celebrandos in futurum Pontifex irritat, et annullat. *Constit. Universalis Ecclesiæ*, Bull. T. I. num. 29.

In contractu emptionis et venditionis, si fiat pactum, quo venditor quandocumque voluerit rem venditam redimere, obligetur vi ejusdem pacti plus dare, quàm receperit in venditione, contractus est injustus. *De Syn. Diæc.* lib. 10. c. 8. n. 4.

Si venditio fiat cum pacto redimendi intra certum tempus, quo elapso non sit ampliùs locus retrovenditioni; iste contractus sapit usuram, ex eo, quòd videtur induere naturam pignoris. *ib.*

VIATICUM.

Ægrotò impotenti ad Viaticum sumendum, non licet sacram particulam deferre ad eam venerandam et deosculandam; quod fieri vetuit S. Pius V, et S. Congreg. Conc. *De Sacrif. Miss.* Lib. 3. cap. 19. n. 4.

Morituro impotenti Eucharistiam sub specie panis deglutire, non potest Sacramentum administrari sub specie vini, neque sub specie panis intincti in vino consecrato, sed omnino linguendus est non reffectus sacra communione, cum præceptum Viatici

non obliget, nisi cùm ministrari potest ritu ab Ecclesia non prohibito; iste verò ritus ab Ecclesia Latina omnino prohibetur. ib. n. 6.

Vicissim autem licitè administratur sub specie panis vino vel aqua non consecrata madefacti, ut faciliùs deglutatur. ib.

VICARIUS CAPITULARIS.

Ecclesia vacante tota Episcopi jurisdictione devolvitur ad Capitulum Cathedralis Ecclesiæ. per Textum in Cap. *His, quæ*, et Cap. *Cum olim, de Majorit. et Obed.* ac illud quidem eam per se exercere posset nisi obstaret jus novum Trident. Sess. 24. Cap. 16. *de Ref.* quod mandat, ut intra octo dies post inductam, seu, ut decedit S. Congr., post habitam notitiam vacationis, Vicarium constituere teneatur per quem illam exerceat. Si verò negligat, vel Ecclesia vacans careat Capitulo, tunc ad Metropolitanum spectat; vel si nulli subjecta fuerit, ad viciniorem Episcopum. Si verò tunc Metropolitanus vacaverit, jus istud transit ad Capitulum Metropolitanæ. Hæc omnia ex Decisionibus S. Congr. deducuntur in lib. 2. cap. 9. n. 2. De Syn. Diœces.

Verùm antiqua consuetudo quarundam Ecclesiarum, ut vacantis Ecclesiæ administratio transeat in aliquem in Ecclesiastica dignitate constitutum, retinenda est, ut ex Rota. ibid.

Dispensationes ab Apostolica Sede ad Episcopum, seu ejus Vicarium Generalem delegatas, et ante Episcopi obitum nundum executioni mandatas, Vicario Capitulari exequi non licet, quia nec est Episcopus, nec Vicarius Episcopi. ib. n. 3.

Semel verò electus à Capitulo Vicarius removeri non potest, nisi causa agnita à S. Congr. uti decisum refertur. ib. n. 4.

Utrùm Vicarius Capitularis ea possit, quæ non nisi speciali mandato Vicarius Episcopi præstare potest, Doctores in utramque partem disputant. ib.

Cùm Vicarius Apostolicus datur Ecclesiæ vacanti, nullam habet aliam auctoritatem præter eam, quam Vicarii Capitulares ea occasione obtinent. De Syn. Diœc. l. 2. c. 10.

VISITATIO DIOECESANA, ET SACROR. LIMINUM QUOAD EPISCOPOS.

Episcopus non prohibetur quidem bis quotannis Diœcesim suam visitare, sed non nisi unicum tantummodo per annos singulos procuracionem exigere potest, ut ex pluribus S. Congregationis Decretis. De Syn. Diœc. lib. 10. c. 10. n. 6.

Vicarius Capitularis potest Diœcesim visitare post peractum annum à visitatione ab Episcopo facta, ut pluribus S. Congr. Decretis decisum est ibid. l. 2. c. 9. n. 5. Illi tamen non nisi dimidium procuracionis, quæ solvitur Episcopo, retribuendum est, cùm debeat minori comitatu incedere, et constat ex resolutione S. C. in una Ostunensi die 28 Julii 1708. ibid. lib. 10. c. 10. n. 6.

Episcopi omnes ex vi Constitutionis *Romanus Pontifex* à Sixto V editæ, antequam consecrentur, si Romæ existant, in manibus S. Romanæ Ecclesiæ primi Diaconi Cardinalis, extra Curiam verò in manu Antistitis ad hoc delegati ex formula præscripta jurant, se statis temporibus limina SS. Apostolorum visituros per se, sive legitime impeditos per aliquem de suo Capitulo, vel alium in dignitate ecclesiastica constitutum, vel beneficio præditum; et si hi defuerint, per Sacerdotem aliquem Diœcesanum sæcularem, vel regularem.

Tunc autem Romano Pontifici rationem reddere tenentur de Pastoralis officio impleto, et iis omnibus, quæ ad suam Diœcesim pertinent. Sacræ autem Congr. Concilii injunctum est munus, ut postulata Episcoporum illorum discutiat, et det illis responsa, sicuti et videndi, num legitime sint impediti. De Syn. Diœc. l. 13. c. 6. n. 11.

Tempus, intra quod obeunda est ista visitatio, aliis quidem longius definitum est, aliis brevius, sed non minus quàm triennium, nec supra quadriennium, *ibid.* n. 3. Porro si Episcopus habeat Coadjutorem ab Apostolica Sede datum, sufficit si coadjutor nomine Episcopi adeat, sicut etiam sufficit si mittatur Administrator Episcopatus, qui debet visitare limina, suo et principalis sui nomine, ut ex Decisis à S. Congr. *ibid.* n. 5.

Id etiam præstandum est ab Episcopo titulari, ut ex Fagnano aliisque *ibid.* probatur. n. 5.

Denique nec eximuntur Episcopi Ecclesiarum suburbicariarum, quamvis exempti sunt à residentia. Ita ex Decr. Consistoriali Alexandri VII. *ibid.* n. 6.

Postremò Prælati minores, qui propriè territorium habent verè separatum, in quo independenter à quocumque Episcopo jurisdictionem spirituales exercent, ad eandem visitationem tenentur, ut ex respons. S. Congr. et ex Bulla *Quod sancta* data die 23 Nov. ann. 1740 à Bened. XIV constat. (Bullar. Tom. I. n. 7.)

E contra verò non tenentur ii Prælati inferiores; qui territorium separatum non habent, ut satis constat. *ibid.* num. 9.

VOTUM.

Vota simplicia etiam castitatis et Religionis, ac sacrarum Peregrinationum dispensando commutare potest major Pœnitentiarius Romanus. Bulla *Pastor bonus*, Bullar. Tom. I. n. 95. §. 29.

USURA.

Usuræ peccatum illud est, cum aliquid lucri exigitur ultra sortem ratione mutui. Nec hoc à vitio vacat, etiamsi moderatum sit lucrum, quod deposcitur. Ratione tamen titulorum quorundam, quos extrinsecos vocamus, è contractu mutui, exigi potest annuus proventus, in quo tamen cavendum est, ne quid

nimis accipiatur. Sicut etiam non semper iidem tituli in contractu mutui celebrando adsunt. Quin et accidit quandoque in nonnullis rerum circumstantiis, ut nulli alteri justo contractui locus esse possit, et adsit obligatio, ut nudo mutuo alteri succurramus. Hanc doctrinam ab omnibus palam doceri mandat Pontifex, monetque insuper, ut si quando in mutuo præstando alii legitimi tituli adsint pro annuo lucro exigendo, in celebratione Contractus mutui explicentur. Hæc omnia latius in Encyclica ad Episcopos Italiæ *Vix pervenit* etc. Bullar. Tom. I. n. 143.

FINIS TOMI OCTAVI.

TEHOLOGIA

MORALIS.

EX TYPIS L. GAUTHIER, VESONTIENSIS.

THEOLOGIA

MORALIS

BEATI A.-M. DE LIGORIO.

EDITIO NOVA,

CUI NOTÆ ACCEDUNT AMPLISSIMÆ

CURA ET STUDIO

DOMINI RECEVEUR,

PROFESSORIS IN SORBONA.

TOMUS NONUS,

DECRETA PONTIFICUM, APPENDICES, INDEX RERUM.



PARISIIS,

APUD GAUTHIER FRATREM ET SOC., BIBLIOPOLAS,

IN VICO NOMINE HAUTE-FEUILLE, N° 8;

ET VESONTIONE APUD EOSDEM.

1835.

THEOLOGIA

MORALIS.

DE ROMANORUM PONTIFICUM

DECRETIS,

EORUMQUE USU IN MORALI THEOLOGIA.

PARS PRIMA.

§ I. Canones in usu Pontificiorum decretorum servandi.

Is, qui Moralem Theologiam tradunt, cavendum cum primis est, ne quidquam doceant, quod cum Pontificum Romanorum Decretis pugnet; cæteris verò, qui facultati eidem dant operam, ipsa illa decreta sedulò sunt evolvenda, ne Theologorum, qui antequam sanctiones illæ prodirent, sua scripta vulgârunt, auctoritate in errorem pertrahantur. Hæc porro Decreta plura quidem sunt, ut eum de Morali Theologia optimè meriturum censeam, qui ad Juris Canonici normam illa plures in classes redigeret, singulis latissimæ hujusce Scientiæ tractatibus respondententes. Præcipua tamen in novissimis Casuistarum editionibus, ut La Croixii, Tamburini, Bonacinæ, Vivæ invenies, quæ è typographio Remondiniano prodire.

Quæ autem leges in usu horum decretorum servandæ? Multæ ex iis peti possunt, quas infra proferemus. Interea has habe.

Canon I. Videndum, an, quæ citantur decreta, genuina sint. Hinc frustra quidquam efficies ex falsis Pontificum Decretalibus usque ad Siricium, quas Critici omnes explodunt.

Canon II. Cave, ne, quod meræ disciplinæ præceptum fuit, id ad Morales quæstiones decidendas trahas. Nam quod olim disciplina vetabat, idque sub gravi, nunc ad meram consilii legem revocari facile potest. Sic Nicolaus I. ad consulta Bulgarorum c. 9. respondit, in Quadragesima esse à conjugibus « omni voluptati renunciandum, et ut licenter orationi vacetur, castitati mentis, et corporis incumbendum; » quis autem nunc inferat, non licere quadragesimæ tempore opus conjugii? Vide Bened. XIV. de Syn. Diœc. l. 5. c. 1. n. 8.

Canon III. In iis quæstionibus, in quibus de valore alicujus rei agitur, putâ Matrimonii, frustra Pontificum Decreta citantur, quæ solam illicitum aliquid statuant. Sic si de Matrimonii clandestini valore quæritur, perperam allegaretur Siricii decretum in epist. ad Himerium c. 4. volentis sacerdotali benedictione obsignari sponsalia de futuro; nam ne dicamus, etiam promissionem Matrimonii inanem fuisse sine Sacerdotis benedictione, dicendus est Pontifex præceptum tantummodo imposuisse, quod illicita redderet non invalida sponsalia absque Sacerdotis benedictione. Confer Bened. XIV. de S. D. l. 8. c. 12. n. 5.

Canon IV. Pontificis decreto aliquid universim permittenti non derogatur per subsequentia decreta, quæ in specialibus quibusdam casibus illud limitant. Innocentius III. ex. gr. in cap. A nobis g. de cohabit. Cleric. et mulier. ait: « Cum Clericis quæ » que non permittas mulierculas habitare, nisi fortè de illis personis existant, in quibus naturale fœdus nihil permittit sævi » criminis suspicari. » Contra Nannetense Concilium incerti anni, cujus constitutio inserta fuit compilationi Decretalium Gregorii IX, etiam *matrem, amitam, sororem* à Clericorum domibus excludit, scilicet cum de hoc aut illo agitur, cujus depravati sunt mores, et cum qualibet prorsus muliere consuetudo suspecta. Itaque, uti scitè monet Bened. XIV. de S. D. l. 11. c. 4. n. 7. Decretalis Innoc. III. regulam constituit universalem communiter observandam; Decretum autem Nannetense à Greg. IX. probatum ponit regulæ limitationem in specialibus tantum quibusdam eventibus adhibendam.

Canon V. Pontificis aliquid permittentis verba non licet ad sensum trahere catholico dogmati repugnantem, aut ab obvio verborum, quibus Decretum illud editum est, sensu alienum. Contra hunc Canonem peccant, qui Innoc. I. verba in epist. ad Decentium: « Quod (oleum sacrum) ab Episcopo confectum, » non solum Sacerdotibus, sed et omnibus uti Christianis licet, in » sua, aut in suorum necessitate ad unguendum; » qui, inquam, ita hæc interpretantur, ut omnes Christianos Extrææ Uctionis ministros Innocentius indicârit. Porro cum Maldonato, aliisque à Bened. XIV. citatis de S. D. l. 8. c. 4. num. 3. verisimillimum est, locutum fuisse Innocent. de Uctione non *activa*, sed *passiva*, hoc est de non collatione, sed de receptione Sacramenti, quum essent, qui oleo sancto solo inungi posse censerent à quibus conficitur, Sacerdotes. Certè ipsum verbum *uti* hoc indicat.

Canon VI. Si Pontifex aliquid concedat, quod priùs negaverat, ex priore illa negatione, quid per ipsum deinde licuerit, optime intelligitur. Hinc quum S. Greg. Magnus lib. 4. ep. 26. Calaritanis Presbyteris facultatem *ungendi in fronte baptizatos infantes* concedit, quam iisdem ep. 9. denegaverat, de unctione Confirmatoria locutum illum fuisse constat etiam ep. 26. quum manifestum sit, eam unctionem priùs ep. 9. fuisse illis à Pontifice denegatam. Vide Bened. XIV. de Syn. Diœc. lib. 7. cap. 7. n. 5.

Canon VII. Privilegiorum per Pontificem universalis abrogatio

non impedit, quominus alicui abrogata privilegia iterum per alium Pontificem aut etiam per eundem concedantur. Hinc etsi communi Scriptorum suffragio post S. Pii V. Constitutionem *Sanctissimus in Christo* non licet ullibi celebrare Missas in per-vigilio Nativitatis ante mediam noctem, esto ex vi præcedentium Privilegiorum id olim in Ecclesiis aliquot obtinisset: tamen is mos etiamnum in quibusdam Venetiarum templis licitè perseve-rat, vel ob alia privilegia posteriore ævo indulta, vel ob veterum privilegiorum confirmationem. Confer Benedict. XIV. de S. D. l. 6. c. 8. n. 9.

Canon VIII. In Pontificiis Constitutionibus, quæ aliquid faciendum præcipiunt, notandum est cum primis quos illæ affi-ciant, tum quæ ad illud præcipiendum rationes Pontificem im-pulerint.

Consecrarium I. Ex Decretali Innoc. III. qua Presbyteris apud Constantinopolim constitutis districtè prohibetur, ne confirma-tionem conferant, malè infertur irritam esse, illicitamque Con-firmationem à Græcis Sacerdotibus collatam. Nam Innocentius de *Latinis Sacerdotibus* expressè loquitur. Vide Bened. XIV. de S. D. l. 7. c. 9. n. 3.

Consecrarium II. Græcis Sacerdotibus universim non licere Confirmationis Sacramentum conferre etiam malè infertur ex Nicolai I. Constitutione Bulgaros à Sacerdotibus consignatos iterum confirmari jubentis. Nam aliis omnino ad id ductus est Nicolaus rationibus, quàm quæ id Græcis omnibus Sacerdotibus prohibitum efficiant. Bulgari nempe, inquit citato loco Bened. XIV. Confirmationem receperant à Sacerdotibus, qui Photii errore imbuti, eam contulerant jure ordinario, existimantes nimi-rum, potestatem eam conferendi et Episcopis et Sacerdotibus pari jure competere; præterea iidem Sacerdotes delegati fuerant à *Photio macho, et inoasore*, uti loquebantur Apostolici Legati, hoc est pseudopatriarcha, cui propterea legitimi Patriarchæ jura non conveniebant: tandem Bulgaria pertinebat ad Patriarcham Occidentalem, atque ideo delegatio, de qua est sermo, à Romano Pontifice Græcis Presbyteris sive expressè, sive tacitè facta, ministrandi Confirmationem in Patriarchalibus Orientis, nequa-quam iisdem Presbyteris id ipsum in Bulgaria peragere permit-tebat.

Canon IX. Ubi Pontifices aliquam propositionem damnant, in sensu potissimum, quo ab Auctoribus edita est, damnasse illam censendi sunt.

Consecrarium. Quid damnaverit Alexand. VIII. dum proposi-tionem confixit, aientem « non licere sequi opinionem vel inter » probabiles probabilissimam, » ex Sennicchio, ex cujus libro excerpta est, potissimum est desumendum.

Canon X. Ex alicujus propositionis Pontificia damnatione non licet inferre damnationem alterius, quæ alteri omnino rationi immititur. Exemplum esto. Damnavit Clemens VIII. asserentes, « licere per litteras, seu internuntium Confessario absenti peccata

» Sacramentaliter confiteri, et ab eodem absente absolutionem » obtinere. » Urban. tamen VIII. ann. 1631. non solum statuit validè impendi absolutionem, quando ægrotus coram uno, vel altero teste signa contritionis exhibet, deinde superveniente Confessario nullo externo signo confitendi voluntatem ostendit, constat tamen ex relatu internuntii, ægrotum ostendisse signa contritionis, et confitendi voluntatem: sed etiam declaravit, id non repugnare decreto Clem. VIII. *cum diversam contineat rationem*. Consule Bened. XIV. l. 7. de S. D. c. 15. n. 8.

Canon XI. Ex eo, quòd Pontifices aliquid sub anathematis pœna prohibeant, non fit, illud semper *de se* grave esse peccatum. Sic Gregor. II. in Concilio Romano ann. 721. anathemate perculit Clericos comam nutrientes; quod secundùm se lethalis criminis accusare durum est. Confer Bened. XIV. de S. D. l. 10. c. 3. n. 1. et sequent.

Canon XII. Ubi Pontifices aliquid prohibent, ad circumstantias attendere oportet prohibitionis. Huc transfer dicta can. VIII.

Canon XIII. Si quid Pontifices prohibuerint, videndum, num vivæ vocis oraculo ita mentem suam explicuerint, ut locus non sit argumentationi ad alium omnino casum. Ita plures TT. defendunt etiam post Sixti V. Constitutionem *Detestabilis*, licitum esse Trinum Contractum; « Cardinalis enim Toletus, et Cardinalis S. Severina, quibus munus mandatum fuit à Sixto V. » componendæ Legis, seu Bullæ, *Detestabilis*, affirmarunt P. » Stephano Tuccio Theologo Societ. Jesu, noluisse Sixtum sua » lege prohiberi, nisi injustos contractus; quare qui ante legem » latam justi erant (hujusmodi autem fuisse Trinum Contractum » multis confirmant) post latam quoque licere, » ut scribit doctus Comitulus Respons. Moral. lib. 3. qu. 12. n. 3.

Canon XIV. Videndum præterea est, num posteriores Pontifices latam à decessoribus suis prohibitionem restrinxerint. Sic quum Sixtus V. inter crimina graviora sub degradationis pœna Clericis prohibita numerasset abortum foetus etiam inanimati, vel per se, vel per alios procuratum, effectu sequente, Gregor. XIV. ad abortum solius foetus animati Sixtinam restrinxit.

Canon XV. Et illud animadvertendum, num Pontificia Constitutio aliquid prohibens alicubi recepta non sit, quod de S. Pii V. constitutione *Cum onus* gravissimi Doctores apud Bened. XIV. de S. D. l. 10. c. 5. n. 5. narrant, in Gallia scilicet, Belgio, et Germania non esse illam receptam.

§ II. Pontificia Decreta à Theologo Morali præ cæteris consideranda.

PROPOSITIONES

DAMNATÆ AB ALEXANDRO PAPA VII.

Feria 5 die 24 septembris 1665.

In Congregatione Generali sanctæ Romanæ, et Universalis Inquisitionis, coram SS. D. N. Alexandro Papa VII. maturè discussis infrascriptis propositionibus.

1. Homo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum fidei, spei et charitatis ex vi præceptorum divinatorum ad eas virtutes pertinentium.

2. Vir equestris ad duellum provocatus, potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.

3. Sententia asserens, Bullam Cœnæ solum prohibere absolutionem hæresis, et aliorum criminum, quando publica sunt, et id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est, anno 1629. 18 Julii in Consistorio sacr. Congr. Eminentiss. Card. visa, et tolerata est.

4. Prælati Regulares possunt in foro conscientiæ absolvere quoscumque sæculares ab hæresi occulta, et ab excommunicatione propter eam incurra.

5. Quamvis evidenter tibi constet, Petrum esse hæreticum, non teneris denunciare, si probare non possis.

6. Confessarius, qui in Sacramentali Confessione tribuit pœnitenti chartam postea legendam in qua ad venerem incitat, non censetur sollicitasse in Confessione; ac proinde non est denunciandus.

7. Modus evadendi obligationem denunciandæ sollicitationis est, si sollicitatus confiteatur cum sollicitante, hic potest ipsum absolvere absque onere denunciandi.

8. Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licite accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem, idque post Decretum Urbani VIII.

9. Post Decretum Urbani potest Sacerdos, cui Missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, alia parte stipendii sibi retenta.

10. Non est contra justitiam pro pluribus sacrificiis stipendium accipere, et sacrificium unum offerre; neque etiam est contra fidelitatem, etiamsi promittam promissione etiam juramento firmata, danti stipendium, quòd pro nullo alio offeram.

11. Peccata in confessione omissa, seu oblita, ob instans periculum vitæ, aut ob aliam causam, non tenemur in sequenti confessione exprimere.

12. Mendicantes possunt absolvere à casibus Episcopis reservatis, non obtenta ad id Episcoporum facultate.

13. Satisfacit præcepto annuæ Confessionis, qui confitetur Regulari Episcopo præsentato, sed ab eo injustè reprobo.

14. Qui facit confessionem voluntariè nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ.

15. Pœnitens propria auctoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius pœnitentiam adimpleat.

16. Qui beneficium curatum habent, possunt sibi eligere in Confessarium simplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario.

17. Est licitum Religioso, vel Clerico calumniatorem gravia crimina de se, vel de sua Religione spargere minantem, occidere,

quando alius modus defendendi non suppetit, uti suppetere non videtur, si calumniator sit paratus ipsi Religioso, vel ejus Religioni publicè, et coram gravissimis viris prædicta impingere, nisi occidatur.

18. Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam judicem, a quo iniqua certo imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum evitare.

19. Non peccat maritus occidens propria auctoritate uxorem in adulterio deprehensam.

20. Restitutio à Pio V. imposita beneficiatis non recitantibus, non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam Judicis, eo quòd sit pœna.

21. Habens Capellaniam collativam, aut quodvis aliud beneficium ecclesiasticum, si studio litterarum vacet, satisfacit suæ obligationi, si officium per alium recitet.

22. Non est contra justitiam beneficia ecclesiastica non conferre gratis, quia collator conferens illa beneficia ecclesiastica, pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.

23. Frangens jejunium Ecclesiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat, putà, quia non vult se subjicere præcepto.

24. Mollities, sodomia, et bestialitas sunt peccata ejusdem speciei infimæ, ideoque sufficit dicere in Confessione, se procurasse pollutionem.

25. Qui habuit copulam cum soluta, satisfacit Confessionis præcepto, dicens, commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem, non explicando copulam.

26. Quando litigantes habent pro se opiniones æquè probabiles, potest Judex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius præ alio.

27. Si liber sit alicujus junioris, et moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet, rejectam esse à Sede Apostolica tanquam improbabilem.

28. Populus non peccat, licèt absque ulla causa non recipiat legem à Principe promulgatam.

Quibus peractis, dum similitum Propositionum examini cura et studium impenderetur, interea idem Sanctissimus, re maturè considerata, statuit, et decrevit, prædictas Propositiones, et unamquamque ipsarum, ut minimum tanquam scandalosas esse damnandas, et prohibendas, sicut eas damnat, ac prohibet: ita ut quicumque illas aut conjunctim, aut divisim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam disputativè, publicè, aut privatim tractaverit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in excommunicationem, à qua non possit (præterquam in articulo mortis) ab alio, quacumque etiam dignitate fulgente, nisi à pro tempore existente Romano Pontifice, absolvi.

Insuper districtè in virtute sanctæ obedientiæ, et sub interminatione divini Judicii prohibet omnibus Christi fidelibus cujus-

cumque conditionis, dignitatis, ac statûs, etiam speciali et specialissima nota dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipsarum ad praxim deducant.

Deinde Feria 5 die 18 martii 1666.

Propos. 29. In die Jejunii, qui sæpius modicum quid comedit etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium.

30. Omnes officiales, qui in Republica corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione jejunii, nec debent se certificare, an labor sit compatibilis cum jejunio.

31. Excusantur absolute à præcepto jejunii omnes illi qui iter agunt equitando, utcumque iter agant, etiamsi iter necessarium non sit, et etiamsi iter unius diei conficiant.

32. Non est evidens, quòd consuetudo non comedendi ova et lactinia in Quadragesima obliget.

33. Restitutio fructuum ob omissionem Horarum suppleri potest per quascumque elemosynas, quas antea beneficiarius de fructibus sui beneficii fecerit.

34. In die Palmarum recitans officium Paschale satisfacit præcepto.

35. Unico officio potest quis satisfacere duplici præcepto pro die præseuti, et crastino.

36. Regulares possunt in foro conscientie uti privilegiis suis, quæ sunt expressè revocata per Concilium Tridentinam.

37. Indulgentiæ concessæ Regularibus, et revocatæ à Paulo v. hodie sunt revalidatæ.

38. Mandatum Tridentini factum Sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali, confitendi quamprimum, est consilium, non præceptum.

39. Illa particula, *quamprimum*, intelligitur, cum Sacerdos suo tempore confitebitur.

40. Est probabilis opinio, quæ dicit, esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem, et sensibilem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensûs ulterioris, et pollutionis.

41. Non est obligandus concubinarium ad ejiciendam concubinam, si hæc nimis utilis esset ad oblectamentum concubinari, vulgò *Regalo*, dum, deficiente illa, nimis ægre ageret vitam, et aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent; et alia famula nimis difficile inveniretur.

42. Licitum est mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus.

43. Annum legatum pro anima relictum non durat plus quam per decem annos.

44. Quoad forum conscientie, reo correcto, ejusque contumacia cessante, cessant censuræ.

45. Libri prohibiti, donec expurgentur, possunt retineri, usque dum adhibita diligentia corrigantur.

PROPOSITIONES

DAMNATÆ A SS. D. INNOCENTIO PAPA XI.

Feria 5 die 2 martii 1679.

1. Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia probabili tantum utendum non est in collatione Baptisimi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis.

2. Probabiliter existimo, Judicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem.

3. Generatim, dum probabilitate sive intrinseca, sive extrinseca, quantumvis tenui, modo à probabilitatis finibus non exeatur confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.

4. Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens, ductus opinione minus probabili.

5. An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei semel tantum in vita eliceret? condemnare non audemus.

6. Probabile est, ne singulis quidem rigorosè quinquenniis per se obligare præceptum charitatis erga Deum.

7. Tunc solum obligat, quando tenemur justificari, et non habemus aliam viam, qua justificari possimus.

8. Comedere et bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem, non est peccatum, modo non obsit valetudini, quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui.

9. Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum, omni penitus caret culpa, ac defectu veniali.

10. Non tenemur proximum diligere actu interno, et formali.

11. Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos.

12. Vix in sæcularibus invenies etiam in Regibus, superfluum statui. Et ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantum ex superfluo statui.

13. Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicujus tristari, et de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, et desiderare; non quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum.

14. Licitum est absoluto desiderio cupere mortem patris, non quidem ut malum patris, sed ut bonum cupientis, quia nimirum ei obventura est pinguis hæreditas.

15. Licitum est filio gaudere de parricidio parentis à se in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias inde ex hæreditate consecutas.

16. Fides non censetur cadere sub præceptum speciale, et secundum se.

17. Satis est actum fidei semel in vita elicere.

18. Si à potestate publica quis interrogetur, fidem ingenue confiteri, ut Deo, et fidei gloriosum consulo : tacere ut peccaminosum per se non damno.

19. Voluntas non potest efficere, ut assensus fidei in se ipso sit magis firmus, quam mereatur pondus rationum ad assensum impellentium.

20. Hinc potest quis prudente repudiare assensum, quem habebat supernaturalem.

21. Assensus fidei supernaturalis, et utilis ad salutem, stat cum notitia solùm probabili revelationis : imò cum formidine, qua quis formidet, ne non sit locutus Deus.

22. Non nisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita Remuneratoris.

23. Fides late dicta testimonio creaturarum, similive motivo ad justificationem sufficit.

24. Vocare Deum in testem mendacii levis, non est tanta irreverentia, propter quam velit, aut possit damnare hominem.

25. Cum causa licitum est jurare sine animo jurandæ, sive res sit levis, sive gravis.

26. Si quis vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis causa, sive quocumque alio fine juret, se non fecisse aliquid quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur, nec est perjurus.

27. Causa justa utendi his amphibologiis est quoties id necessarium, aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio censeatur nunc expediens et studiosa.

28. Qui mediante commendatione, vel munere ad Magistratum, vel Officium promotus est, poterit cum restrictione mentali præstare juramentum, quod de mandato Regis à similibus solet exigi, non habito respectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum.

29. Urgens metus gravis est causa justa Sacramentorum administrationem simulandi.

30. Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequit : idem quoque dicendum, si quis impingat alapam, vel fuste percutiat; et post impactam alapam, vel ictum fustis fugiat.

31. Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei.

32. Non solùm licitum est defendere defensione occisiva, quæ actu possidemus, sed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, et quæ nos possessuros speramus.

33. Licitum est tam heredi, quam legatario contra injustè impediens, ne vel hæreditas adeatur, vel legata solvantur, se taliter defendere; sicut et jus habenti in Cathedram, vel Præbendam contra earum possessionem injustè impediens.

34. Licet procurare abortum ante animationem foetus, ne puella deprehensa gravida occidatur aut infametur.

35. Videtur probabile omnem foetum, quamdiu in utero est, carere anima rationali, et tunc primum incipere eandem habere, cum paritur, ac consequenter dicendum erit, in nullo abortu homicidium committi.

36. Permissum est furari, non solam in extrema necessitate, sed etiam in gravi.

37. Famuli et Famulae domesticae possunt occulte heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario quod recipiunt.

38. Non tenetur quis sub poena peccati mortalis restituere quod ablatum est per pauca furta, quantumcumque sit magna summa totalis.

39. Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem istius damni illati.

40. Contractus Mohara licitus est, etiam respectu ejusdem personae, et cum contractu retrovenditionis praevie inito cum intentione lucri.

41. Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda, et nullus sit, qui non majoris faciat pecuniam praesentem, quam futuram, potest creditor aliquid ultra sortem a mutuuario exigere, et eo titulo ab usura excusari.

42. Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur, tanquam ex benevolentia, et gratitudine debitum, sed solum si exigitur tanquam ex justitia debitum.

43. Quidni non nisi veniale sit, detrahentis auctoritatem magnam sibi noxiam falso crimine elidere?

44. Probabile est non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam et honorem defendat. Etsi hoc non sit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in Theologia.

45. Dare temporale pro spirituali non est simonia, quando temporale non datur tanquam pretium, sed dumtaxat tanquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale, vel etiam quando temporale sit solum gratuita compensatio pro spirituali, aut e contra.

46. Et id quoque locum habet, etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale, imò etiamsi sit finis ipsius rei spiritualis, sic ut illud pluris aestimetur quam res spiritualis.

47. Cum dixit Concilium Tridentinum, eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui non quos digniores, et Ecclesiae magis utiles ipsi judicaverint, ad Ecclesias promovent: Concilium vel primò videtur per hoc *digniores* non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum, sumpto comparativo pro positivo; vel secundò locutione minus propria ponit *digniores* ut excludat indignos, non verò dignos, vel tandem loquitur tertio, quando fit concursus.

48. Tam clarum videtur, fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, et solum esse malam, quia interdicta, ut contrarium omnino rationi dissonum videatur.

49. Mollities jure naturæ prohibita non est. Unde si Deus eam non interdixisset, sæpe esset bona, et aliquando obligatoria sub mortali.

50. Copula cum conjugata, consentiente marito, non est adulterium, adeoque sufficit in confessione dicere, se esse fornicatum.

51. Famulus, qui submissis humeris scienter adjuvat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandam virginem; et multoties eidem subservit, deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, puta ne à Domino malè tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur.

52. Præceptum servandi Festa non obligat sub mortali, seposito scandalo, si absit contemptus.

53. Satisfacit præcepto Ecclesiæ de audiendo sacro, qui duas ejus partes, imò quatuor simul à diversis celebrantibus audit.

54. Qui non potest recitare Matutinum et Laudes, potest autem reliquas Horas, ad nihilum tenetur, quia major pars trahit ad se minorem.

55. Præcepto Communionis annuæ satisfit per sacrilegam Corporis Domini manducationem.

56. Frequens Confessio, et Communio, etiam in his, qui gentiliter vivunt, est nota prædestinationis.

57. Probabile est, sufficere attritionem naturalem, modò honestam.

58. Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem.

59. Licet Sacramentaliter absolvere dimidiatè tantùm confessos, ratione magni concursus pœnitentium, qualis verbi gratia potest contingere in die magnæ alicujus festivitatis, aut indulgentiæ.

60. Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio; dummodo ore proferat, se dolere, et proponere emendationem.

61. Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest, et non vult omittere, quinimo directè, et ex proposito quærit, aut ei se ingerit.

62. Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis, aut honesta non fugiendi occurrit.

63. Licitum est quærere directè occasionem proximam peccandi pro bono spirituali, vel temporali nostro, vel proximi.

64. Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia Mysteriorum fidei, et etiamsi per negligentiam etiam culpabilem nesciat Mysterium sanctissimæ Trinitatis, et Incarnationis Domini nostri Jesu Christi.

65. Sufficit illa Mysteria semel credidisse.

PROPOSITIONES

DAMNATÆ AB ALEXANDRO VIII.

Cum feria 5. die 24 Augusti 1690 in Congregatione Generali S. Rom. et Univ. Inquisitionis fuissent in examen adductæ duæ sequentes propositiones, videlicet :

1. Bonitas objectiva consistit in convenientia objecti cum natura rationali : formalis verò in conformitate actûs cum regula morum. Ad hoc sufficit, ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretativè : « *Hunc homo non tenetur amare, neque in principio, neque in decursu vitæ suæ moralis.* »

2. Peccatum philosophicum, seu morale est actus humanus disconveniens naturæ rationali, et rectæ rationi. Theologicum verò et mortale est transgressio libera divinæ legis. « *Philosophicum* » quantumvis grave in illo, qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque æterna pœna dignum. »

SS. Pontifex primam Propositionem declaravit hæreticam; secundam temerariam, scandalosam, etc.

Deinde feria 5 die 7 Decembris, idem SS. Alexander Papa VIII damnavit sequentes 31 Propositiones.

1. In statu naturæ lapsæ ad peccatum mortale, et demeritum sufficit illa libertas, qua voluntarium, et liberum fuit in causa sua, peccato originali, et voluntate Adami peccantis.

2. Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in statu naturæ lapsæ operantem ex ipsa non excusat à peccato formali.

3. Non licet sequi opinionem, vel inter probabiles probabilissimam.

4. Dedit semetipsum pro nobis oblationem Deo, non pro solis electis, sed pro omnibus et solis fidelibus.

5. Pagani, Judæi, Hæretici, alique hujus generis nullum omnino à Jesu Christo accipiunt influxum : adeoque hinc rectè inferes, in illis esse voluntatem nudam, et inermem, sine omni gratia sufficienti.

6. Gratia sufficiens statui nostro non tam utilis, quàm pernicioiosa est, sic ut proinde meritò possimus petere, à gratia sufficienti libera nos, Domine.

7 Omnis humana actio deliberata est Dei dilectio, vel mundi : si Dei, Charitas Patris est, si mundi, concupiscentia carnis, hoc est, mala est.

8. Necessè est, infidelem in omni opere peccare.

9. Revera peccat, qui odio habet peccatum merè ob ejus turpitudinem, et disconvenientiam cum natura, sine ullo ad Deum offensum respectu.

10. Intentio, qua quis detestatur malum, et prosequitur bonum

merè ut cœlestem obtineat gloriam, non est recta, nec Deo placens.

11. Omne, quod non est ex fide Christiana supernaturali, quæ per dilectionem operatur, peccatum est.

12. Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides; et etiamsi videantur credere, non est fides divina, sed humana.

13. Quisquis etiam æternæ mercedis intuitu Deo famulatur, charitate si caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licèt beatitudinis operatur.

14. Timor gehennæ non est supernaturalis.

15. Attritio, quæ gehennæ, et pœnarum metu concipitur, sine dilectione benevolentiæ Dei propter se, non est bonus motus, ac supernaturalis.

16. Ordinem præmittendi satisfactionem absolutioni induxit non politia, aut institutio Ecclesiæ, sed ipsa Christi lex, et præscriptio, natura rei idipsum quodammodo dictante.

17. Per illam praxim mox absolvendi ordo pœnitentiæ est inversus.

18. Consuetudo moderna quoad administrationem Sacramenti pœnitentiæ, etiamsi eam plurimorum hominum sustentet auctoritas, et multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Ecclesia non habetur pro usu, sed pro abusu.

19. Homo debet agere tota vita pœnitentiam pro peccato originali.

20. Confessiones apud Religiosos factæ, pleræque, vel sacrilegæ sunt, vel invalidæ.

21. Parochianus potest suspicari de Mendicantibus, qui elemosynis communibus vivunt, de imponenda nimis levi, et incongrua pœnitentia, seu satisfactione ob quæstum seu lucrum subsidii temporalis.

22. Sacrilegi sunt iudicandi, qui jus ad Communionem percipiendam prætendunt, antequam condignam de delictis suis pœnitentiam egerint.

23. Similiter arcendi sunt à sacra Communionem, quibus nondum inest amor Dei purissimus, et omnis mixtionis expers.

24. Oblatio in templo, quæ fiebat à B. V. Maria in die Purificationis suæ per duos pullos columbarum, unum in holocaustum, et alterum pro peccatis, sufficienter testatur, quòd indiguerit Purificatione, et quòd Filius, qui offerebatur, etiam macula Matris maculatus esset, secundum verba legis.

25. Dei Patris simulacrum nefas est Christiano in templo collocare.

26. Laus quæ defertur Mariæ, ut Mariæ vana est.

27. Valuit aliquando Baptismus sub hac forma collatus: In nomine Patris, etc. prætermisissis illis, Ego te baptizo.

28. Valet baptismus collatus à ministro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi observat, intus verò in corde suo apud se resolvit; Non intendo quod facit Ecclesia:

PROPOSITIONES

DAMNATÆ AB ALEXANDRO VIII.

Cum feria 5. die 24 Augusti 1690 in Congregatione Generali S. Rom. et Univ. Inquisitionis fuissent in examen adductæ duæ sequentes propositiones, videlicet :

1. Bonitas objectiva consistit in convenientia objecti cum natura rationali : formalis verò in conformitate actûs cum regula morum. Ad hoc sufficit, ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretativè : « *Hunc homo non tenetur amare, neque in principio, neque in decursu vitæ suæ moralis.* »

2. Peccatum philosophicum, seu morale est actus humanus disconveniens naturæ rationali, et rectæ rationi. Theologicum verò et mortale est transgressio libera divinæ legis. « *Philosophicum quantumvis grave in illo, qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque æterna pœna dignum.* »

SS. Pontifex primam Propositionem declaravit hæreticam; secundam temerariam, scandalosam, etc.

Deinde feria 5 die 7 Decembris, idem SS. Alexander Papa VIII damnavit sequentes 31 Propositiones.

1. In statu naturæ lapsæ ad peccatum mortale, et demeritum sufficit illa libertas, qua voluntarium, et liberum fuit in causa sua, peccato originali, et voluntate Adami peccantis.

2. Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in statu naturæ lapsæ operantem ex ipsa non excusat à peccato formali.

3. Non licet sequi opinionem, vel inter probabiles probabilissimam.

4. Dedit semetipsum pro nobis oblationem Deo, non pro solis electis, sed pro omnibus et solis fidelibus.

5. Pagani, Judæi, Hæretici, aliique hujus generis nullum omnino à Jesu Christo accipiunt influxum : adeoque hinc rectè inferes, in illis esse voluntatem nudam, et inermem, sine omni gratia sufficienti.

6. Gratia sufficiens statui nostro non tam utilis, quàm pernicioiosa est, sic ut proinde meritò possimus petere, à gratia sufficienti libera nos, Domine.

7 Omnis humana actio deliberata est Dei dilectio, vel mundi : si Dei, Charitas Patris est, si mundi, concupiscentia carnis, hoc est, mala est.

8. Necessè est, infidelem in omni opere peccare.

9. Revera peccat, qui odio habet peccatum merè ob ejus turpitudinem, et disconvenientiam cum natura, sine ullo ad Deum offensum respectu.

10. Intentio, qua quis detestatur malum, et prosequitur bonum

merè ut cœlestem obtineat gloriam, non est recta, nec Deo placens.

11. Omne, quod non est ex fide Christiana supernaturali, quæ per dilectionem operatur, peccatum est.

12. Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides; et etiamsi videantur credere, non est fides divina, sed humana.

13. Quisquis etiam æternæ mercedis intuitu Deo famulatur, charitate si caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licet beatitudinis operatur.

14. Timor gehennæ non est supernaturalis.

15. Attritio, quæ gehennæ, et pœnarum metu concipitur, sine dilectione benevolentiae Dei propter se, non est bonus motus, ac supernaturalis.

16. Ordinem præmittendi satisfactionem absolutioni induxit non politia, aut institutio Ecclesiæ, sed ipsa Christi lex, et præscriptio, natura rei idipsum quodammodo dictante.

17. Per illam praxim mox absolvendi ordo pœnitentiæ est inversus.

18. Consuetudo moderna quoad administrationem Sacramenti pœnitentiæ, etiamsi eam plurimorum hominum sustentet auctoritas, et multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Ecclesia non habetur pro usu, sed pro abusu.

19. Homo debet agere tota vita pœnitentiam pro peccato originali.

20. Confessiones apud Religiosos factæ, pleræque, vel sacrilegæ sunt, vel invalidæ.

21. Parochianus potest suspicari de Mendicantibus, qui elemosynis communibus vivunt, de imponenda nimis levi, et incongrua pœnitentia, seu satisfactione ob quæstum seu lucrum subsidii temporalis.

22. Sacrilegi sunt iudicandi, qui jus ad Communionem percipiendam prætendunt, antequam condignam de delictis suis pœnitentiam egerint.

23. Similiter arcendi sunt à sacra Communione, quibus nondum inest amor Dei purissimus, et omnis mixtionis expers.

24. Oblatio in templo, quæ fiebat à B. V. Maria in die Purificationis suæ per duos pullos columbarum, unum in holocaustum, et alterum pro peccatis, sufficienter testatur, quòd indiguerit Purificatione, et quòd Filius, qui offerebatur, etiam macula Matris maculatus esset, secundum verba legis.

25. Dei Patris simulacrum nefas est Christiano in templo collocare.

26. Laus quæ defertur Mariæ, ut Mariæ vana est.

27. Valuit aliquando Baptismus sub hac forma collatus: In nomine Patris, etc. prætermisissis illis, Ego te baptizo.

28. Valet baptismus collatus à ministro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi observat, intus verò in corde suo apud se resolvit; Non intendo quod facit Ecclesia:

29. Futilis, et toties convulsa est assertio de Pontificis Romani supra Concilium OEcumenicum auctoritate, atque in fidei quæstionibus decernendis infallibilitate.

30. Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clarè fundatam, illam absolutè potest tenere, et docere, non respiciendo ad ullam Pontificis Bullam.

31. Bulla Urbani Octavi, *In Eminenti*, est subreptitia.

Hic refert addere quinque propositiones circa duellum novissimè prescriptas à N. SS. P. Benedicto XIV, in Bulla *Detestabilem*, edita die 10 Noo. ann. 1752.

« I. Vir militaris, qui nisi offerat, vel acceptet duellum, tanquam formidolosus, timidus, abjectus, et ad officia militaria inaptus haberetur, indeque officio, quo se suosque sustentat, privaretur, vel promotionis alias sibi debitæ, ac promeritæ spe perpetuo carere deberet, culpa et pœna vacaret, sive offerat, sive acceptet duellum.

II. « Excusari possunt etiam honoris tuendi, vel humanæ vilipensionis vitandæ gratia, duellum acceptantes, vel ad illud provocantes, quando certè sciunt, pugnam non esse secururam, utpote ab aliis impediendam.

III. « Non incurrit ecclesiasticas pœnas ab Ecclesia contra duellantes latas Dux vel officialis militiæ acceptans duellum ex gravi metu amissionis famæ, et officii.

IV. « Licitum est in statu hominis naturali acceptare et offerre duellum ad servandas cum honore fortunas, quando, alio remedio eorum jactura propulsari nequit.

V. « Asserta licentia pro statu naturali applicari etiam potest statui civitatis malè ordinatæ, in qua nimirum, vel negligentia, vel malitia magistratûs, justitia apertè denegatur. »

PARS SECUNDA.

EPISTOLÆ ENCYCLICÆ,

ET DECRETA BENEDICTI XIV.

MORUM MATERIAM RESPICIENTIA.

CAPUT I.

EPISTOLA ENCYCLICA I.

SUPER JEJUNIO.

Venerabiles Fratres Salutem et Apostolicam Benedictionem.

NON ambigimus, Venerabiles Fratres, quin universis Catholicæ Religionis cultoribus notum sit, à tota per Christianum Orbem Ecclesia inter præcipua Orthodoxæ disciplinæ capita perpetuo annumeratum retineri quadragesimale jejunium; quod olim in lege et Prophetis primitus adumbratum, ipsius Domini nostri Jesu Christi exemplo veluti consecratum, ab Apostolis traditum, à sacris Canonibus ubique præscriptum, et ab universali Ecclesia, ab ipso sui primordio retentum, et observatum est. Hoc nimirum, ut veteres tradidere Patres, nobis quotidie peccantibus communis pœnitentiæ constituto remedio, per consortium crucis Christi nos etiam aliquid in eo, quod ipse propter nos præstitit, agimus; simulque ad recolenda sacratiora Redemptionis nostræ mysteria, quæ per Dominicæ Passionis, ac Resurrectionis memoriam, quadragesimali potissimum tempore solemnius celebrantur, purificatis jejunio corporibus, et animis dignius paramur. Hoc veluti nostræ militiæ tessera ab inimicis crucis Christi secernimur, flagella divinæ ultionis avertimus, et cœlesti præsidio indies adversus Principes tenebrarum munimur. Hoc despectui habito, non contemnendum divinæ gloriæ detrimentum, non leve catholicæ Religioni dedecus, nec dubium animabus Christi fidelium periculum oboritur; nec aliunde populis calamitates, rebusque publicis et privatis cladem exitiumque importatum esse constat. Ab hac verò insita, inhærentique in omnium Catholicorum hominum animis de sacratissima quadragesima, aliisque diebus jejunio consecratis persuasionem, et reverentiam, quàm aliena, quàm discors, quàm absona sit hodierna jejulantium consuetudo, quantum ab ipsa juniorum institutione,

et servata semper, ubique, et ab omnibus disciplinam quàm longissimè distet; vos, venerabiles Fratres, qui populorum curæ vestræ commissorum mores et usus probè nostis, pro singulari in sapientia vestra præ cæteris clariùs intelligitis. Nos sanè, quibus in hac sublimi Apostolicæ procurationis specula constitutis undique gentium nuntii afferuntur, lacrymis satis deplorare non possumus, augustissimam quadragesimalis jejunii observantiam ob nimiam nullis legitimis urgentibus causis ubique indiscriminatim dispensandi facilitatem plane sublatam esse; ita ut Orthodoxæ quidem Religionis cultores meritò querantur; hæresium verò sectatores illudant, et exultent. « Perniciosæ huic corruptelæ plurimorum » insuper licentiam adjunctam esse graviter dolemus; quæ usque » adeo invaluit, ut nulla Apostolici Instituti sacratissimique præ » cepti habita ratione, jejuniorum tempore palam et impune ab » iisdem agitentur convivia, et epulæ interdictæ promiscuè in » ferantur. »

Ea propter quemadmodum, quibus curis, sollicitudinibus, et angoribus urgeamur, cum Fraternitatibus vestris communicamus, ita facere non possumus, quin pro injuncto nobis supremo sacrosancti Apostolatus officio, et ardentissimum Fraternitatum vestrarum zelum ad opportunum hisce malis adhibendum remedium excitemus, et ad congruentes hujusmodi abusibus penitus extirpandis leges præscribendas meditemur. Interea, Venerabiles Fratres, gaudium, et corona nostra, nobiscum considerantes, nihil Deo acceptius, nihil pastorali ministerio nostro dignius, nihil gregibus curæ nostræ commissis utilius, quàm ut verbo, et exemplo præeuntes, Christi fideles ad tam salutarem Christianæ poenitentiae et pietatis exercitationem alacrius suscipiendam, et constantissimè retinendam, et ea, qua instituta fuit disciplina, peragendam vehementius inflammemus, omni opera atque industria, studeamus, ut fideles populi in conspectu Dei per austeriorem jejuniorum observantiam tales permaneant, quales in ipso Paschali festo dignum est inveniri.

« Debitum igitur paternæ uniuscujusque vestrum sedulitatis et » charitatis officium jure postulat, ut omnibus notum faciatis et » annuntietis, nemini quidem sine legitima causa, et de utriusque » Medici, consilio; multitudini verò, veluti populo, aut civitati, » aut genti indiscriminatim integræ, nonnisi gravissima et ur- » gente necessitate, et in casibus per sacra Canonum statuta præ- » scriptis cum debita Apostolicæ hujus Sanctæ Sedis reverentia » à quadragesimali jejunio dispensationem toties quoties opus fue- » rit, concedendam, nec audacter fidenterque usurpandam, nec » superbè et arroganter ab Ecclesia sicut alicubi in more positum » esse accepimus, esse postulandam. Gravissimam verò urgen- » temque necessitatem, etsi non est, cur vobis explicemus; no- » lumus tamen vos ignorare, cum hujusmodi necessitate servan- » dam esse potissimum Unicam Comestionem, sicut aliàs hic » Romæ, ac nos ipsi hoc anno urgentibus causis dispensantes, » expressè præscripsimus, et licitas atque interdictas epulas pro-

» miscuè minimè apponendas esse. » Porro quemadmodum de ejusmodi indulgentia tan cautè impertienda, si secus fieret, nos persuasum habemus, districtam supremo divino judici redditum iri rationem; ita conscientiam uniuscujusque vestrum onerandam esse ducimus. Insimul Fraternitates vestras rogamus, et in Domino exhortantes obsecramus, ut populos, qui communem omnium Christi fidelium pœnitentiã ac disciplinam servare nequeant, commonere satagatis, ne per alia pietatis opera, ut sua cuique devotio suggeret, peccata sua expiare, et Deo satisfacere negligant; quinimmo sanandis vulneribus, quibus humana infirmitas sauciatur, diligentem adhibere studeant curationem, ut culpas de mundano pulvere contractas, dum casta jejunia decoquere non possunt, pia opera, orationum suffragia, et eleemosynæ munera redimant. Interim solatium et levamen non leve mœrori nostro à pastoralis vigilantia et charitate vestra præstantes, ac certò nobis pollicentes, Apostolicam benedictionem cum uberi cœlestium charismatum copia conjunctam in eisdem populos vestros redundaturam, vobis, Venerabiles Fratres, peramanter impertimur. Volumus autem, ut præsentium transumptis sive exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, et Sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus ubique fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, et adhiberi posset, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Anulo Piscatoris die trigesima mensis Maii anno millesimo septingentesimo quadragesimo primo, Pontificatûs nostri Anno primo.

D. Cardinalis Passioneus.

EPISTOLA ENCYCLICA II.

SUPER EODEM JEJUNIO.

In suprema universalis Ecclesiæ procuratione, meritis licèt imparibus, per ineffabilem divinæ bonitatis abundantiam, ut Orthodoxæ fidei assertores, sic etiam ecclesiasticæ disciplinæ custodes ac vindices constituti, quadragesimale præsertim jejunium, quod inter præcipua Orthodoxæ disciplinæ capita semper et ubique ab ipso Ecclesiæ exordio numeratum esse nemo ex Catholicis inficiatur, ab hodierna jejunantium corruptela vindicare, et in pristinam quantum, benedicente Domine, fieri posset, observantiam revocare cupientes, per alias nostras in simili forma Brevis litteras ad Fraternitates vestras die xxx. proximè elapsi mensis Maii currentis anni datas eximium Fraternitatum vestrarum zelum excitandum curavimus, ut adlaborare studeretis, ne hac in parte et optatum Apostolicæ nostræ sollicitudinis angoribus levamen, et salutare abolendæ sacratissimi Jejunii corruptelæ remedium deesset. Quoniam autem paternæ Pontificiæ caritatis quæ novit imbecillitates infirmorum sustinere, atque etiam cum infirmantibus infirmari, non immemores, quemadmodum à jejunio

aliquando legitima causa, aut gravissima urgentique necessitate exigente dispensandum esse ex Apostolica benignitate censuimus; ita inter cætera præscripsimus unicam comestionem servandam, et licitas atque interdictas epulas minimè esse apponendas.

« Hinc factum esse accipimus, quòd non defuerint, qui per
 » humanas, et hominibus à Christiana pœnitentia abhorrentibus
 » dumtaxat dignas illationes sibi aliisque persuadeant, unicam
 » potissimum comestionem servari, atque epulas licitas, et in-
 » terdictas minimè apponi debere; cùm multitudini quidem in-
 » discriminatim ob urgentem gravissimamque necessitatem, non
 » verò singulis ob legitimam causam, et de utriusque Medici
 » consilio dispensatur. Quam sanè persuasionem à sententia nostra
 » alienam, ut ex omnium animis penitus evellamus, nos quibus-
 » cumque, quacumque occasione, sive multitudini indiscrimina-
 » tim ob urgentem gravissimamque necessitatem, sive singulis
 » ob legitimam causam, et de utriusque Medici consilio, dummodo
 » nulla certa et periculosa affectæ valetudinis ratio intercedat,
 » et aliter fieri necessariò exigat, in Quadragesimæ, aliisque anni
 » Temporibus et diebus, quibus carniùm, ovorum, et lacticinio-
 » rum esus est prohibitus, dispensari contigerit, ab omnibus om-
 » nino, nemine excepto, unicam comestionem servandam, et
 » licitas atque interdictas epulas minimè esse apponendas, tenore
 » præsentium declaramus, et edicimus: quemadmodum per sin-
 » gulas nostras in pari forma Brevis litteras singulis utriusque
 » sexùs Christi fidelibus ob corporis infirmitates, quibus obnoxii
 » reperiuntur, in sacratissima Quadragesima aliisque jejuniis
 » consecratis diebus vescendi prohibitis licentiam dantes unicui-
 » que expressè præscribimus, atque præcipimus. » Ea propter
 Fraternitates vestras rogamus, atque in Domino obsecramus, ut
 populos vestræ curæ commissos ad tam opportunum sanandis
 vulneribus, quibus per humanam infirmitatem quisque sauciatur,
 sanctissimi jejunii remedium alacriter adhibendum cohortantes,
 sedulo ac paternè moneatis, rem agi non quidem exiguam, sed
 longè gravissimam, de observando sustinendoque jejunio purifi-
 candis animis corporibusque salutari. In spem igitur illos erigite
 cœlestium præmiorum, quibus assequendis non sunt condignæ
 passiones hujus temporis, imò leve ac momentaneum non tribu-
 lationis, sed modicæ abstinentiæ nostræ incommodum magnum
 gloriæ pondus operatur in cœlis. Ab omnibus se abstinere, qui in
 agone contendunt, ut corruptibilem coronam accipiant; pudeat
 tam imbelles ac delicatos christianæ militiæ milites refugientes à
 consortio crucis Christi, qui coronam legitime certantibus pro-
 positam sperare præcipit incorruptam; ad cuius auspiciùm, et
 pignus Fraternitatibus vestris Apostolicam benedictionem iisdem
 etiam populis vestris nostro nomine impertiendam peramanter
 elargimur. Volumus autem, ut præsentium transumptis sive
 exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscrip-
 tis, et Sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ muni-
 tis eadem prorsus ubique fides adhibeatur, quæ præsentibus

adhiberetur, et adhiberi posset, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die vigesima secunda mensis Augusti anno millesimo septingentesimo quadragesimo primo, Pontificatûs nostri Anno secundo.

EPISTOLA ENCYCLICA III.

SUPER EODEM JEJUNIO.

Libentissimè quidem amplectimur, quæ nobis offeruntur, occasione ad vestros animos excitandos, ut ecclesiasticæ disciplinæ reparandæ sedulam curam conferatis. Etenim Summi Pontificatûs dignitati, ad quam nos, licet immerentes, evecti fuimus, conjunctam esse intelligimus sollicitudinem aliarum Ecclesiarum, nobisque commendatam, qui plane tenuitatem virium nostrarum non ignoramus.

Cùm itaque præsentium litterarum argumentum totum sit de jejunio, quod tempore Quadragesimæ veteri Ecclesiæ instituto ac lege fidelibus indicitur; supervacaneum ducimus longam orationem conficere de Quadragesimæ institutione, et Patrum, et Conciliorum omnes super hac re in medium proferre auctoritates. Difficile id quidem nobis parùm videretur, sed potius alienum, et nullo modo consentaneum vobis, quos doctrinæ laude, Canonum, et sacræ historiæ cognitione præstantes arbitramur. Porro ad scribendas has litteras adducti fuimus gravissimis illis verbis Trid. Syn., quæ sess. 25. de Ref. præcipit Episcopis omne studium impendere, ut fideles ipsorum curæ traditi magna religione perficiant ea, quæ à sacris Canonibus præscribuntur: « Ut illis omnibus, et iis præcipuè sint obsequentes, quæ ad mortificandam carnem conducunt, ut ciborum delectus, et jejunia. »

Ubi primùm Bononiensem Ecclesiam administrandam suscepimus (ad quam beneficio Clementis XII. fel. record. ab Sede Anconitana translati fuimus), Mandatum evulgavimus (quod Libro primo Institutionum nostrarum pro viris ecclesiasticis decimoquinto loco continetur). In illo plures difficultates indicavimus, ob quas minimè solvendo à jejunii legibus putabamus illos, qui ob legitimam causam, et legitima priùs auctoritate interposita, quadragesimæ abstinentiam non observarent, minimè, inquam, solvendo à jejunio, ita ut liceret ipsi quolibet die mensam bis instituere, non unica vice, vespertina superaddita refectioe, quæ permitti jejunantibus consuevit. Tandem in hac Pontificia Sede collocati, rem totam in examen iterum revocavimus, et præstantissimis quoque viris demandavimus ipsam diligenter accuratèque perpendere, ac suas deinde opiniones nobis exponere. His peractis, hujusmodi controversiæ finem tribuere constituimus, illudque decrevimus, ne ulla in posterum, sive peculiaris, sive generalis pro aliqua Civitate, vel Oppido concedatur facultas adhibendi carnes ad mensam tempore jejunii, vel Quadragesimæ, nisi conditio servandi jejunii, sive minus comestitionis interpona-

tur; et illud quoque monitum addatur, nequaquam licere mensam eandem carne ac piscibus instruere. Equidem declinatis hac ratione nimium implicatis quæstionibus, existimavimus unicum singulis diebus comestionem indicere illis etiam, qui carnibus uti, cum jejunium indicitur, rite obtinuerunt; et pravam illam consuetudinem, quæ apud multos jam nimis invaluerat, penitus evellere, afferendi nempe carnes in mensam cum piscibus, postquam ipsi Quadragesimalis abstinentiæ præcepto soluti fuerunt, ob eam potissimum causam, quòd grave detrimentum saluti ab esu piscium accipiant.

Hæc apertissime constant ex nostris Apostolicis Litteris, quas in forma Brevis dedimus ad omnes Episcopos orbis Catholici anno 1741, quarum primæ incipiunt, *Non ambigimus*; alteræ verò, *In suprema*. Nos profectò nulli unquam elargiti sumus vesci carnibus, cum tempus Quadragesimæ, sive aliud jejunium præcipitur, nisi indicta, scriptaque conditione, quam superius commemoravimus. Maximam pariter lætitiâ percepimus, cum redditæ nobis fuerunt plures Epistolæ, ac mandata vestra, Litteris nostris Apostolicis omnino consentanea, quibus pro virili parte contendistis adducere populos vobis subjectos, ut propositam in illis disciplinam piè servarent.

Interim promulgatis iisdem Apostolicis Litteris, quas paulo ante nominavimus, plures cavillationes excogitatæ sunt à nonnullis, uti nos antea facili conjectura suspicati fuimus. Plures etiam quæstiones propositæ nobis fuerunt, exigui quidem ponderis ac momenti, quemadmodum nos opinamur; cum illæ vel ipsius legis verbis, vel sensu penitus corruant, ac dissolvantur. Attamen sacro Tribunali nostræ pœnitentiariæ rerum hujusmodi conscio, ac peritissimo, easdem quæstiones expendendas commisimus, quibus omnibus plene cumulataque, quoties opus fuit, satisfecit.

Archiepiscopus Compostellæ, in Hispaniarum regnis primus Inquisitor, nuperrimè vita functus, longam ad nos dedit Epistolam, qua plures recensebat difficultates, quæ litteris nostris Apostolicis adversabantur, quominus executioni mandarentur, eo quòd nonnulli Theologi in diversas opiniones ac sententias abirent in solvendis quibusdam quæstionibus, quibus Litteræ nostræ Apostolicæ causam, et occasionem præbebant; ac proinde de illis iudicium nostrum exquirebat. Equidem Archiepiscopi litteræ nos gravissimis ac difficillimis temporibus occupatos deprehenderunt. Attamen, dum quæstiones in ipsis expositas percurrimus, visum nobis est non quidem expeti, ut iis quæstionibus responsum fieret, ipsisque solutis nullum impedimentum, sive obstaculum nostris Litteris Apostolicis superesset, sed potius ut objectis cavillationibus ad optatum finem ipsæ minimè adducerentur. Accedit etiam, quòd Epistola Archiepiscopi multis argumentationibus, et obscuris vocibus redundaret: quamobrem, licet plures hortarentur, ne ullum Archiepiscopo responsum redderemus; illi tamen satisfecimus, res præcipuas ex eius litteris delibantes, et quæstiones omnes ad certum numerum redigentes.

Primum nostris occupationibus tribuendum testati sumus, quod tardè ipsi responsum daremus: ejus studium commendavimus, et etiam magnopere probavimus, quod anceps, ac dubius ad hanc sanctam Sedem confugerit, ut consilium exposceret. Deinde prolati quæstionibus satisfacere non prætermisimus, illum tamen monentes de instituto Summorum Pontificum, qui leges condere solent, disciplinam decernere, neque ullam habere rationem illorum, qui dubitandi causas objiciunt, ut quæ constituta sunt, perturbent, ac evertant.

Vix redditis Litteris, Archiepiscopus paulò post vitæ cursum absolvit, itaque non immeritò suspicamur, responsa nostra, quæ litteris continebantur, haud cognita fuisse, et perspecta illis, qui quæstiones excitaverant. Post hæc alii pariter ex Hispanis Episcopis nonnullas ex iisdem quæstionibus nobis proposuerunt; quare iisdem responsis usi sumus, quæ tradita prius Archiepiscopo Compostellæ à nobis fuerant. Non defuerunt etiam præstantes inter Italos Theologi, qui Litteras nostras Apostolicas datas anno 1741. egregiis commentariis illustrarunt: idem contigit Responso, quod fecimus Archiepiscopo Compostellæ die 8 Julii anno 1744. quod sanè integrum suis libris præfigendum curaverunt. At quoniam libri ejusmodi ad vos fortasse nondum pervenerunt, vel curis aliis distenti illos percurrere minimè potuistis, his Litteris Encyclicis adjungimus illas pariter, quas (ut dictum sæpius est) ad Archiepiscopum Compostellæ jam pridem scripsimus, ut quæ disciplina vestris in Diocesis tenenda sit, plane cognoscatis, ac ne vos deterreant difficultates, si quæ à captiosis hominibus concitentur.

Venerabili Fratri Archiepiscopo Compostellæ,

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabilis Frater, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

« Si Fraternitas tua secum reputabit, quot gravissimis et maximis curis propemodum obruamur, quantumque, hoc præsertim
 » difficillimò tempore, prorsus nos teneat imposita tenuitati nostræ
 » sollicitudo omnium Ecclesiarum, non sanè mirabitur, tamdiu
 » sibi procrastinatum fuisse responsum ad eas literas, quibus Apostolica auctoritate dissolvendas rogavit obortas in Hispania disputationes aliquas è duabus nostris Epistolis ad omnes Episcopos
 » superioris anni 1741, 30 maii, et 22 Augusti, quibus intra legitimos
 » fines coercuimus invalescentem ecclesiastici jejunii relaxationem.
 » Potius ei in mentem veniet cogitare de singulari nostro in religiosissimam Hispanam Ecclesiam amore, unde nos, immensa licèt
 » rerum mole fatigatos, ad expediendum sibi in omni sua perplexitate salutis iter opem nostram præsto habet. Quanquam igitur
 » dum prænuentias Constitutiones edidimus, non aliud propositum
 » nobis fuerit, ac refrænare paucorum nimis ingenio fidentium
 » Theologorum licentiam, qui opinionum novitate gaudent; nec

» otium, nec animus nobis fuerit definire quicquid subtili indaga-
 » tione deduci possit ex proposita à nobis jejunandi regula : tamen
 » eximia paterna caritate complectimur adeo observantissimos
 » Romanæ Sedis Hispanos, tantique facimus obsecrationes tuas,
 » ut occurrere anxietati vestræ libenter adjecerimus animum, et
 » nos ipsi quæstiones abs te propositas dirimendas constituerimus.
 » Sic autem se habent.

» I. Utrùm, quæ in antedictis nostris litteris in forma Brevis
 » de unica comestione, et de epulis non permiscendis præscri-
 » buntur, sub gravi etiam præcepto prohibeantur?

« *Respondemus* : Concedentes facultatem vescendi carnibus
 » tempore vetito, sub gravi teneri easdem facultates non aliter
 » dare, quàm geminis hisce adjectis conditionibus, videlicet uni-
 » cæ in diem comestionis, et non permiscendarum epularum.
 » Eos verò qui hujusmodi facultatibus utuntur, sub gravi ad
 » binas ipsas condiciones implendas obligari.

» II. An hi, quibus concessum est vesci carnibus, possint in
 » vespertina refectiuncula ea quantitate carnis vesci quæ jeju-
 » nantibus permittitur?

» *Respondemus* : Non licere, sed opus habere, eo cibo eaque
 » uti portione, quibus utuntur homines jejunantes rectæ meticu-
 » losæ conscientiæ.

» III. An qui jejuni tempore vesci carnibus permittuntur, et
 » unica comestione uti debent, horam jejunantibus præscrip-
 » tam servare opus habeant?

» Edicimus, observandam iis esse.

» IV. Quænam sint epulæ licitæ, quæ vetantur cum inter-
 » dictis conjungi?

» *Respondemus* : Epulas licitas pro iis, quibus permissum est
 » carnes comedere, esse carnes ipsas : epulas interdictas esse pis-
 » ces, adeoque utrumque simul adhiberi non posse. Piscibus
 » tamen edendis non interdicuntur ii, quibus datur tantum fa-
 » cultas adhibendi ova et lacticinia.

» V. An præceptum de utroque epularum genere non mis-
 » cendo, dies quoque Dominicos quadragesimales complectatur?
 » *Affirmatur* complecti.

» VI. Utrùm hæc lex ad eos quoque pertineat, qui ex Bulla Cru-
 » ciatæ edere possunt ova, et lacticinia?

» *Rescribimus* : Nihil in prænunciatis nostris Apostolicis Lit-
 » teris statutum esse, quòd respiciat gratiosum Cruciatæ Di-
 » ploma. Quare qui eo gaudent, illius tenorem strictè, et consi-
 » deratè perpendant, ex ejusque sententia se gerant. Caveant
 » autem, ne inani quapiam excusatione sese solutos esse arbitren-
 » tur præscriptis ibi legibus.

» VII. Utrùm memorata duo præcepta urgeant extra Quadra-
 » gesimam?

» *Respondetur* : Urgere extra quadragesimam utrumque præ-
 » ceptum : illud scilicet unicæ comestionis cum reliquis legibus
 » in secundo, et tertio ad hæc postulata responso expressis : et

» alterum non permiscendi epulas licitas cum interdictis, ut in
 » quarto postulato definitum est.

» Habes, Venerabilis Frater, penitus explicatum quidquid
 » apud vos ex nostris sæpius nuncupatis Apostolicis Litteris du-
 » bitationem attulisse scribis. Qua quidem in re laudavimus con-
 » silium tuum interrogandæ supremæ Romanæ Sedis, ut libero,
 » et non vacillanti gressu ad oves, sana doctrina imbuendas ince-
 » dere Pastores queant : in istoque tuo suscepto consilio agno-
 » vimus Hispanam religionem, nihil sibi tutum, nisi è divi Petri
 » Cathedra acceptum reputantem; qua splendidissima gloria
 » tantum nomen, et incorruptæ fidei fructum Hispania sibi pe-
 » perit. Cavendum autem vobis est (idque plurimum ad te per-
 » tinet, qui illustris Archiepiscopi, et Inquisitoris geris præci-
 » puum munus) ne in expendendis Apostolicæ Sedis Constitutio-
 » nibus præ nimia exhauriendi argumenti sollicitudine nullus
 » fiat disserendi, ambigendique modus. Sedula deinde opera
 » conferenda, ut istiusmodi dubia, quæ facilè, prò ingeniorum
 » varietate, disputando emergunt, penitus inter vos dirimantur,
 » ne diuturna umquam disceptatione fluctuent animi; præsertim
 » cum Constitutiones ipsæ Apostolicæ scopum, quò tendunt,
 » apertè demonstrent, et illuc promptè dirigi possit quicquid du-
 » bitando inturbare videatur. Id si animadvertissent, qui de
 » præsentì negotio plura dubitarunt, nodum sibi exsolvisset.
 » Patebat enim, nihil aliud nobis in animo fuisse, quàm cohibere
 » vivida nonnullorum Theologorum ingenia, qui nimium sacri
 » jejunii fines prætergressi, et non parùm oblitì illud ad retinen-
 » dum in officio corpus divinitus institutum, hosti huic spiritûs in-
 » fensissimo blandiebantur. Statim siquidem comperissent, quid
 » in propositis quæstionibus constituendum esset, nec tibi moles-
 » tiam exhibuissent, nec nobis, quos gravissimæ undique circum-
 » stant curæ, non parùm temporis occupassent, quod tamen pro
 » singulari nostro in vestram gentem studio, atque amore libenter
 » impendimus ad rectum vobis iter monstrandum; in posterum
 » simul præcavescentes, quomodo in hujusmodi quæstionibus fir-
 » mare gressus vestros in promptu sit. Reliquum est, Venerabilis
 » Frater, ut tibi, quod facimus ex animo, præcipuæ benevolen-
 » tiæ nostræ pignus Apostolicam Benedictionem peramanter im-
 » pertiamur. Datum etc. 8 julii 1744.»

Cum hæc ita se habeant, satis muneri nostro fecisse videmur,
 ne illi, quibus licet carnes edere, cum jejuniis tempore qua-
 dragesimæ, vel extra quadragesimam fidelibus præscribitur,
 unius comestionis limites excedant, ac ne piscibus simul, et car-
 nibus parere sibi mensam patientur, neve cavillationes perscru-
 tentur, ut legi tenebras offundant. Pauca tamen adhuc supersunt,
 quæ remedium à nobis deposcunt.

Siquidem advertimus, jam multis abhinc annis non solum plu-
 res in qualibet Italiæ urbe vestra auctoritate dissolvi à quadra-
 gesimali abstinentia, sed etiam magno studio vos contendere, ut
 universam Civitatem, totamque Diocesim eadem abstinentia

liberemus. Hinc factum est, ut in quibusdam civitatibus, ac Diocesisibus jam per multos annos fideles universi absque ullo discrimine carnibus per quadragesimam utantur. Id quidem maximam nobis affert sollicitudinem, eo quòd deprehenderimus certis testimoniis, in quibusdam Regionibus septentrionis toto quadragesimæ cursu lactis et ovorum usum liberè permitti; quia per plures annos eandem facultatem petierint, et à Sede Apostolica consecuti fuerint: quamobrem illi populi sibi in animum induxerunt, non esse rursus ad Pontificem confugiendum pro hujusmodi facultate impetranda, sed priores concessionem singulis annis acceptas sufficere, ut lactis et ovorum consuetudo per quadragesimam comprobetur. Præterea maximi faciendæ esse ducimus ea verba Trid. Conc. sess. 25. c. 18 de Reform. « Sicut publicè expedit, legis » vinculum quandoque relaxare, ut plenius, eventibus casibus, » et necessitatibus pro communi utilitate satisfiat, sic frequen- » tiùs Legem solvere, exemploque potius, quàm certo persona- » rum, rerumque delectu, petentibus indulgere, nil aliud est, » quàm unicuique ad leges transgrediendas aditum aperire. »

In Litteris nostris Apostolicis quas anno 1741. ad omnes Catholicos Episcopos dedimus, huic corruptelæ viam præcludere cogitavimus ea ratione, illisque verbis, quæ rursus hîc subjicimus: « Debitum igitur paternæ uniuscujusque vestrum sedulitatis, et caritatis officium jure postulat, ut omnibus notum faciatis, et annuntietis, nemini quidem sine legitima causa, et de utriusque Medici consilio, multitudini verò, veluti populo, aut civitati, aut genti indiscriminatim integræ, nonnisi gravissima et urgente necessitate, et in casibus per sacra Canonum statuta præscriptis, cum debita Apostolicæ hujus sanctæ Sedis reverentia à quadragesimali jejunio dispensationem, toties quoties opus fuerit concedendam, nec audacter, fidenterque usurpandam, nec superbè et arroganter ab Ecclesia, sicut alibi in more positum esse accipimus, esse postulandam. »

Porro nos hanc normam secuti sumus, cum multitudinem, veluti populum, aut civitatem integram quadragesimali abstinentia immunem declaravimus. In primis loci Episcopus id postulare à nobis debuit, ac de gravissima, urgente necessitate suum testimonium interponere. Deinde carnes minimè permixtæ fuerunt, si lactis, et ovorum usus satis esse videretur. Tum verò facultas edendi carnes tribui solum consuevit, cum interposito Episcopi testimonio id omnino necessarium judicaretur, nec sufficienti necessitati remedium afferi constaret, si ova solum, et lacticia concederentur. Quoties autem abstinentia quadragesimæ nostra auctoritate soluta fuit, certos tamen dies præscripsimus, quibus integra abstinentia servaretur, nempe diem Cinerum, dies quatuor temporum, vigiliis præcepto obeundas, dies majoris hebdomadæ à Dominica Palmarum. Quandoque recensimus etiam totam hebdomadam Cinerum: aliquando etiam indiximus abstinentiam feriis sextis, ac sabbatis, etiamsi facultas à nobis tradita lactis et ovorum usum solum complecteretur. Pos-

tremo eam conditionem semper addidimus, ne jejunii lex unius per diem comestionis ullo modo violaretur, ac ne simul in mensa carnes et pisces apponerentur.

Dum rationem hujus consilii nostri seriò perpendimus, haud plenè acquiescimus, ob eam sollicitudinem ac dubitationem, ne causa ab Episcopo loci prolata, quam nos legitimam credidimus ad solvendam quadragesimæ abstinentiam, ejus naturæ fortasse non sit, quæ veram et urgentem necessitatem contineat. Quippe illud nobis semper ante oculos propositum habuimus, ut nihil à ratione alienum, nihil inconsultò, ac temerè faciamus. Hærent pariter animò defixa sancti Bernardi verba ad Pontificem Eugenium libro 3 de Consideratione. c. 4. « Facitis hoc, quia potestis : » sed utrùm debeatis, quæstio est, et quando : » attamen fidem præstitimus iis, quibus præstanda fuerat, Episcopis nempe locorum. Non enim alio pacto exerceri potest sollicitudo peculiarium Ecclesiarum, ac Diocesium, nisi fides habeatur Episcopis, à quibus illæ administrantur. Sed in posterum, ut gravissimum hoc negotium tutius, quàm fieri possit, geratur, molestum vobis non sit, animum iis advertere, quæ subjucimus.

Non ignoratis ab Innocentio III. Prædecessore nostro cap. *Consilium, de observatione Jejuniorum*, inter causas legitimas solvendi abstinentiam à carnibus jejunii tempore recenseri veram, et existentem reipsa ægritudinem : « Præterea, de illis, » qui in quadragesima, vel in aliis jejuniis solemnibus infirmantur, » tur, et petunt sibi esum carniū indulgeri, respondemus : quòd » cùm non subiaceat legi necessitas, desiderium infirmorum, » cùm urgens necessitas exigit, supportare potes, et debes, ut » majus periculum in eis evitetur. » Idem statuerant multò ante Innocentium III. Patres octavi Concilii Toletani can. 9. quod anno 653 celebratum fuit. « Quisquis absque inevitabili necessitate, atque fragilitatis evidentis languore, sed etiam ætatis impossibilitate, diebus quadragesimæ esum carniū præsumpserit attentare, non solum erit reus Resurrectionis dominicæ, » verùm etiam alienus ab ejusdem diei sancta Communionem... Illi » verò, quas aut ætas incurvat, aut languor extenuat, aut necessitas arctat, non ante prohibita violare præsumant, quàm à » Sacerdote permissum accipiant. »

Nemo est, qui non intelligat, hujusmodi causas satis esse, ut aliqui à jejunii legibus, et abstinentia immunes existimentur, non autem, ut populus, vel integra civitas idem privilegium obtineat. Quis enim sibi persuadere possit, cives universos alicujus Urbis, vel Diocesis eodem tempore gravissimo morbo teneri, vel in eodem discrimine versari omnes, ut periculosam ægritudinem contrahant? Nisi fortè eos morbos intelligamus, qui ab aeris intemperie, vel infectione promanant, de quibus paulò post verba faciemus. Quis credat unquam, populum universum alicujus Diocesis, vel communi languore penitus extenuatum, vel extrema senectute confectum?

... Neque verò causa sufficiens habenda est, ut aliqua civitas,

vel populus abstinentia quadragesimali liberetur, ipsique carnes vel mittantur, si fortè pisces, vel ova caro pretio vendantur. Sicut enim urbes habent egenos cives, ita etiam opulentos, è quibus etiam alii vitæ sustentationem labore ac sudore sibi comparant, alii verò patrimonio ac divitiis satis superque abundant. Itaque, si pro emendis piscibus grave pretium solvendum sit, id quidem egenis civibus, non verò divitibus suffragatur. Id asserunt etiam nonnulli Theologi haud severioris disciplinæ, quorum sententiam recensuimus Capite nono libri tertii nostrarum Institutionum, quas Bononiæ Typis impressimus.

Illud etiam inane commentum prorsus existimari debet, solvendas esse abstinentia quadragesimæ Civitates, vel Dioceses, ubi exercitus versantur, eo quòd milites in iis locis permanentes abstinentiæ leges minimè observent. Id potiùs animos civium inflammare deberet ad jejunium rite, religiosèque suscipiendum, ut nempe milites tanta virtute temperantiæ permoti ipsorum exemplum sequantur. Illud solùm pro legitima causa in medium proferri potest, copias militum tantam afferre civitati penuriam herbarum, atque olei, licèt quadragesimæ jejunio non obtemperent, ut harum rerum pretia summopere augeantur. Tunc autem eadem statuenda sunt, quæ paulò ante diximus, cùm pisces et ova cariori pretio comparantur. Igitur peculiare morbi, quamvis frequentes, in posterum pro causa solvendæ abstinentiæ non adducantur, nisi fortè civibus universis iidem morbi communes habeantur ob aliquam aëris corruptionem; neque in posterum herbarum, olei, piscium, et ovorum pretia tanti ponderis esse censeantur, ut omnis civitas, vel Diocesis ab instituto quadragesimæ jejunio, ac temperantia liberari contendat. Quòd si veras ac legitimas à nobis causas ad hanc facultatem obtinendam expetitis, duas potissimùm percensebimus, quarum prima ex jure canonico, altera verò ab ipsa rerum magistra experientia deprompta est.

Innocentius III. quem superiùs nominavimus, eodem c. *Consilium, de observatone jejuniorum*, Archiepiscopo Bracarensi postulanti, qua pœna plectendos judicaret illos, qui tempore quadragesimæ à carnibus non abstinerant ob summam rerum caritatem, et angustiam, ita ut plures fame enecarentur, respondit his verbis: « Cùm autem quæsieris, quæ sit illis pœnitentia injungenda, qui diebus quadragesimalibus, tempore quo tanta famis inedia ingruebat, ut magna pars populi propter inopiam annonæ periret, carnes comedere sunt coacti; respondemus, quòd in tali articulo illos non credamus puniendos. Preces tamen Domino pro illis, et cum illis effundes, ne ipsis aliquatenus imputetur, quia bonarum mentium est ibi timere culpam, ubi culpa minimè reperitur. » Si quis hoc tempore Episcopus adductus exemplo Bracarensis Antistitis idem consilium peteret à Sede Apostolica, tamquam ineptus, ac simplex haberetur, sed illo Ecclesiæ felicissimo sæculo maximi pendebatur, uti æquum est, quadragesimæ præceptum. Hinc magna severitate inquirebantur illi, qui minimè paruisissent, licèt talis causa intercederet,

ut liberi ab eodem præcepto viderentur : nec ulla ratio habebatur Virorum Principum, licet ipsorum incolumitas cum Reipublicæ felicitate conjuncta putaretur; uti nos fusè ostendimus in decima quinta nostrarum Institutionum libri primi. « Sed iis » omissis, et aliis bene multis, quæ in hanc rem congeri à nobis pos- » sent; illud primum delibabimus ex responso Innocentii III. tunc » quadragesimæ abstinentia solvi posse integram Civitatem, vel » Diocesim, cum reipsa non suppetunt ea, sine quibus præceptum » quadragesimæ observari nequit. Itaque si revera in aliquo loco » neque oleum neque pisces comparari possint, tunc incolis ejus- » dem loci permitti fas est ut lacte et ovis utantur : si hæc autem » revera deficiant, tunc carnis, salubris tamen, edendæ facultas » concedetur, interposita semper jejunii servandi conditione. »

Insula sancti Dominici in America Meridionali in temporalibus ; paret charissimo in Christo filio nostro Ludovico Galliarum Regi Christianissimo, nec ei ullus præest Episcopus. Præfectus Patrum Societatis Jesu anno 1742 à nobis quæsivit, an ex concessione sibi facta à Sede Apostolica dispensandi super esu carniùm, ovorum et lacticiniorum tempore jejuniorum et quadragesimæ, dici posset, sibi etiam datam fuisse facultatem dispensandi nedum particulares personas, sed etiam multitudinem hominum, et omnes sui districtus Incolas, quando coram Deo id expedire judicasset : habitoque responso, facultatem ei fuisse concessam dispensationem indulgenti particularibus hominibus, non autem multitudini hominum, et omnibus Incolis sui districtus, pro concessione exoravit. Pro causa exposuit veneficam piscium qualitatem, exiguum piscatorum numerum, qui longè ab Insula piscantes, pisces deferebant aut foetentes, aut corruptos ob nimios calores; paupertatem earum gentium, quæ oleum emere non poterant pro cibis quadragesimalibus necessarium; deficientiam denique olerum et leguminum, quæ in ea regione facillè corrumpuntur, aut à vermicibus consumuntur. Re subinde maturè discussa coram nobis in Congregatione Generali sanctæ Romanæ et universalis Inquisitionis die 12 Aprilis anno 1742. habita ratione regionis nimis remotæ, à qua quolibet anno impossibilis erat ad Sedem Apostolicam recursus; indulgentes necessitati fidelium degentium in Insulis Ditionis Gallicæ in America, facultatem concessimus Præfectis Missionum illarum partium, ut in casu veræ et ineluctabilis necessitatis, et tantùm de anno in annum, præfataque vera necessitate durante, et non aliter, nec alio modo, uti possent, et valeret cum fidelibus Populis ipsorum regimini commissis dispensare super esu ovorum et lacticiniorum, et etiam carniùm tempore quadragesimali, indicta simul cum hujusmodi dispensatione observantia jejunii per unicam comestionem, onerataque prædictorum Præfectorum conscientia, si ad amussim juxta præscriptum concessa facultate usi non fuissent.

Sed jam ad experientiam deveniamus. Quindecim abhinc annis per totam fere Europam morbus invaluit, qui pectoris inflammationem inferebat, ita tamen, ut ex una Civitate in aliam, et ex

una Provincia in aliam hæc funesta lues promanaret. Id contigit annis 1730, 1733, 1740. Licet autem morbus ejusmodi, qui universos hominum ordines atque ætates corripiebat, lentam solum in pectore inflammationem excitaret, tamen senibus matura jam ætate debilitatis extremam afferebat perniciem: nam ex ipso febres acutissimæ ac mortales sequebantur. Idem morbus in periculum trahebat juniores etiam, qui paululum infirmo pectore laborarent. Postremo multorum pectora adeo labefactavit, ut gravissima deinde mala provenerint. Alios quoque morbos hujus generis, pectoris inflammationem magno cum periculo afferentes, ægros in discrimen vitæ adduxisse Medici Scriptores luculenter testantur.

« Itaque, si Medicinæ Professores acciti, monitique graviter, »
 » ut nihil à veritate alienum respondeant, unanimi consensu fa- »
 » teantur (uti nobis ipsis accidit, cum adhuc Bononiæ versare- »
 » mur) morbum esse talis naturæ, quale in superius commemo- »
 » ravimus, ita ut nulla ætas libera et incolumis esse queat; et »
 » affirmant illis ipsis, qui inter Cives salvi et integri numerantur, »
 » eandem perniciem imminere; id præterea conferre plurimum »
 » ad ejusmodi luem depellendam, aut evitandam, si tum ægro- »
 » tantes, tum sani à piscibus et oleo, et quandoque pariter à lacte »
 » et ovis abstineant; si, inquam, res ita se habeat, tum procul »
 » dubio causa sufficiens judicanda est, quæ experimentiæ inmittitur, »
 » et quæ semper probata, et in posterum probanda videtur, ut »
 » nempe Populus, seu Civitas integra à carnibus abstinendi præ- »
 » cepto non teneatur. »

Neque ulla difficultas remove vos debet à consulendis Medi-
 cis, qui præstantiores habeantur. « Cavendum pariter, ut quid-
 » quid revera seuserint, scripto testari non prætermittant; quæ
 » conditio si desit in posterum, nulla unquam facultas Civitati,
 » aut Diœcesi carnibus, aut lacticiniis vescendi tempore quadra-
 » gesimæ tribuetur: quippe id necessarium omnino videtur. »
 Accedit etiam, quod Medici, facilitate quadam incredibili pecu-
 liares quidem Cives à quadragesimæ præcepto liberos, et im-
 munes decernere soleant; (de qua re gravissimè monendi à vobis
 sunt, ne suas animas indulgendo nimis aggravent) cum verò pro
 universis Civibus idem statuendum proponitur, tum se difficiles,
 anxios, ac sollicitos præstare nos ipsi experti sumus. Postremo si
 velint percurrere ea, quæ in Italia, et extra ipsam præclarissimi
 Auctores Medicis typis vulgarunt, facile deprehendent, absti-
 nentiam ciborumque parcimoniam ab illis magnopere commen-
 dari, discrimen inter morbos constitui, et certis rationibus os-
 tendi, in curandis quibusdam morbis nequaquam requiri ut jus-
 culum et carnes loco piscium, olei, et herbarum substituantur;
 in aliis verò juvare plurimum, si sublatis carnibus, cum indicitur
 jejunium, oleo, vel lacte ægrotantes utantur: demum advertent,
 quàm diligenter, accuratè scribant de pectoris incommodis,
 cum in omnibus generatim excitantur, ne corripiantur eodem
 morbo, qui adhuc incolumes à communi lue supersunt.

Hæc vobis indicanda putavimus. Reliquum est, ut vos hortemur, ne tam facile suscipiatis negotium petendæ facultatis utendi carnibus et lacticiis tempore quadragesimæ pro universa Civitate, vel Diocesi. Quippe abrumpenda tandem est consuetudo, ob quam jam per tot annos in quibusdam locis hæ facultates tribui consueverunt. Illud etiam experientia à vobis compertum erit, delicatis quoque, ac mollibus abstinentiam quadragesimæ nullam inferre perniciem, neque plures ob hanc causam inter ægrotos, vel mortuos recenseri. Hanc rationem et institutum nos ipsi secuti sumus Romæ, ac Bononiæ (cujus Sedem adhuc retinemus,) cum nuper quadragesimæ tempus ageretur. Si vos id quoque præstabitis, neque facile à nobis pro universa Civitate, vel Diocesi facultatem solvendi quadragesimæ abstinentiam postulabitis, vel (si necessarium id arbitremini) non aliter, quam servatis præmissis conditionibus, dispensationis instantia ad nos deferetur, non solum ii fructus provenient, quos jam indicavimus, sed etiam repulsæ pudorem evitabitis, nosque pariter ea molestia vindicabitis, quam ferimus, dum votis vestris minimè obsecundamus. Postremo vos omnes peramanter amplectimur, et Apostolicam Benedictionem vobis, Populisque vestris impertimur. Datum ex Arce Castri Gandulphi die 10 Junii 1745. Pontificatûs Nostri Anno quinto.

EPISTOLA ENCYCLICA IV.

SUPER MISSARUM STIPENDIO.

QUANTA cura adhibenda sit, ut sacrosanctum Missæ Sacrificium non solum omni Religionis cultu ac veneratione celebretur, verum etiam ut à tanti Sacrificii dignitate cujusvis generis mercedum conditiones, pacta, et importunæ atque illiberales eleemosynarum exactiones potius, quam postulationes, aliaque hujusmodi, quæ à simoniaca labe, vel certè à turpi quæstu non longè absunt, è medio tollantur, nemo est ex Catholicæ fidei cultoribus, qui ignoret. « Verum eòsque tandem progressa est, sicut non
 » sine ingenti cordis nostri mœrore undique accepimus, nonnul-
 » lorum sive ecclesiasticorum, sive laïcorum Virorum avaritia,
 » quæ est idolorum servitus, ut eleemosynas quidem seu stipendia
 » propter Missarum celebrationem juxta locorum consuetudines,
 » vel Diocesandarum Synodorum Sanctiones in subsidium alimen-
 » torum uniuscujusque Sacerdotis dumtaxat pro regionum op-
 » portunitatibus præscripta, colligant; Missas verò celebrari
 » curent alibi, ubi eleemosynæ seu stipendia vel consuetudine,
 » vel Synodali lege pro singulis Missis attributa sunt minoris
 » pretii, quàm illic, ubi accipiuntur, darentur. Id quàm absonum
 » sit atque alienum ab ipsa sive expressa, sive tacita piè offeren-
 » tium voluntate, omnes plane intelligunt, nec aliter existiman-
 » dum est; in illa enim potius Missas esse celebrandas quisque
 » vult, ad quam religionis et pietatis stimulis ductus eleemosynas
 » confert, aut in qua quispiam fortasse tumulatus est, quàm in

» alia Ecclesia sibi prorsus ignota. Quod sanè veluti mercaturis
 » faciendis à turpis lucri cupiditate inductum non solùm ab avaritiae suspicione, et vitio, verùm etiam à furti crimine, unde
 » restitutioni subjacet, haud immune, in causa est, ut bonorum
 » quamplurimi, ad quorum notitiam mercatura hujusmodi venit,
 » graviter offensi, ab eleëmosynis ad celebrandas Missas ampliùs
 » offerendis sese abstineant. » Execrabilem hujusmodi abusum
 alicubi sensim irrepentem detestantes Romani Pontifices Prædecessores nostri, de consilio tum Congregationis S. R. E. Cardinalium Universalis Inquisitionis contra hæreticam pravitatem, tum Congregationis Cardinal. Conc. Tridentini Interpretum, « decretum voluerunt, nimirum à quolibet Sacerdote, stipendio
 » seu eleëmosyna majoris pretii pro celebratione Missæ à quo-
 » cumque accepta non posse alteri Sacerdoti Missam hujusmodi
 » celebraturo stipendium seu eleëmosynam minoris pretii erogari,
 » etsi eidem Sacerdoti Missam celebranti et consentienti, se majoris pretii stipendium seu eleëmosynam accepisse indicasset. »
 Ea propter Vos, Venerabiles Fratres, in Apostolici ministerii, et sollicitudinis nostræ partem adscitos rogamus, et maximopere in Domino hortamur, ut custodientes vigilias super gregibus vestris, enitamiini, ne ea pestis amplius pervagetur, sed ut penitus extingatur. Ab avaritia enim, tanquam à radice, mala omnia germinant, quam quidam appetentes erraverunt à fide, et inseruerunt se doloribus multis. Avaritia quidem nulla potior contagio, quæ conceptam apud omnes Sacerdotalis dignitatis perfectionisque opinionem magis inficiat evellatque. Avaritia opibus Deum posthabere, ac servire Mammonæ docens, efficit, ut avari hæreditatem non habeant in regno Christi, et Dei. Quòd si hæc in laicis hominibus minimè toleranda, atque adeo legibus coërcenda, quid in ecclesiasticis viris, qui terrenis rebus nuntium miserunt, qui in sortem Domini vocati, qui Deo mancipati sunt? Quid, quòd non per mundana lucra, sed per Altaris ministerium tam sordidè, et cum sanctissimarum legum contemptu, et cum Sacerdotalis characteris dedecore in avaritiam præcipiti animo rapiantur? Contendite igitur, Venerabiles Fratres, quibus Christi ovium cura demandata est, non solùm ut verbo et exemplo præeuntes, Christi sitis bonus odor in omni loco, unde populi vestigia vestra sequantur; verùm etiam ut ecclesiasticos primum, deinde laicos viros ab infectis vitiorum pascuis avertentes, per viam mandatorum Dei ad cœleste ovile currere doceatis. « Quoniam autem ita comparatum est, ut præsentis pœnæ metu salutaribus monitis faciliùs obtemperetur; per Edictum in vestris Diœcesibus proponendum affigendumque, universis notum facite, quemcumque, qui eleëmosynas seu stipendia majoris pretii pro Missis celebrandis, quemadmodum locorum consuetudines, vel Synodalia statuta exigunt, colligens, Missas, retenta sibi parte earundem eleëmosynarum seu stipendiorum acceptorum, sive ibidem, sive alibi, ubi pro Missis celebrandis minora stipendia seu eleëmosynæ tribuuntur, celebrari fecerit, laicum

» quidem seu sæcularem, præter alias arbitrio vestro irrogandas
 » pœnas, Excommunicationis pœnam, Clericum verò sive quem-
 » cumque Sacerdotem pœnam Suspensionis ipso facto incurrere;
 » à quibus nullus per alium, quàm per nos ipsos, seu Romanum
 » Pontificem pro tempore existentem, nisi in mortis articulo con-
 » stitutus, absolvi possit. » Fore autem in Domino confidimus,
 unusquisque memor conditionis suæ, posthac bene consultum
 velit animæ suæ, nec tam salutare leges censurasque ecclesiasticas
 parvipendat. Interea Fraternitatibus vestris Apostolicam
 Benedictionem in populos etiam curæ vestræ commissos redun-
 daturam peramanter impertimur. Volumus autem, ut præsen-
 tium litterarum transumptis sive exemplis, etiam impressis,
 manu alicujus Notarii publici subscriptis, et Sigillo personæ in
 ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides in
 judicio, et extra adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus,
 si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud sanctam Ma-
 riam Majorem sub Annulo Piscatoris die trigesima mensis Junii
 anno millesimo septingentesimo quadragésimo primo, Pontificatûs
 nostri anno primo.

EPISTOLA ENCYCLICA V.

SUPER MISSA PAROCHIALI, ET CONVENTUALI. ITEM DE DIVINÆ
 PSALMODIÆ CANTU.

Cum semper oblatas nobis occasiones Apostolica scripta diri-
 gendi ad Fraternitates vestras libenter amplectimur, ut sinceræ
 nostræ erga vos dilectionis argumenta frequenter eluceant; tum
 verò majori animi alacritate id ipsum præstamus, quum ad exci-
 tandum Fratemitatum vestrarum zelum pro conservatione rectæ
 disciplinæ in Clero regimini vestro commisso, præsentibus re-
 rum, aut temporum conditionibus commovemur. Nec enim im-
 positum imbecillitati nostræ omnium Ecclesiarum sollicitudinis
 onus aliter sustinere nos posse confidimus, quàm si divini cultûs
 augmentum, atque exactam ecclesiasticarum sanctionum in sin-
 gulis Diœcesibus custodiam religiosæ vigilantium Pastorum curæ,
 identidem inculcando, commendemus.

Hujus porro Epistolæ ad vos scribendæ occasionem nobis atque
 argumentum in primis præbet onus illud, quod omnibus anima-
 rum curam gerentibus incumbit, applicandi Missam Parochia-
 lem pro populo ipsorum curæ commisso: tum etiam applicatio
 Missæ Conventualis, quæ pro Benefactoribus in genere faciendâ
 est ab iis, qui Missas canunt in Ecclesiis Patriarchalibus, Me-
 tropolitanis, Cathedralibus, et Collegiatis; tum denique debitum
 psallendi, quo tenentur Canonici prædictarum Ecclesiarum
 Choro assistentes. Cujus quidem argumenti minimè nova, sed à
 scriptoribus frequenter habita tractatio est; cumque ea res in
 hujus Almæ Urbis nostræ Congregationibus, et potissimum in
 Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Car-
 dinalium Concilii Tridentini Interpretum, cujus Secretarii mu-

nere olim in minoribus constituti multos annos perfuncti sumus, multoties discussa ac definita fuerit; quamvis earumdem Congregationum Decreta plerumque circa eam uniformia, et sibi consona prodierint, eorumque Decretorum nonnulla etiam Pontificiam Prædecessorum nostrorum approbationem, et confirmationem meruerint; minimè tamen mirandum esset, eorum notitiam ad singulos quosque vestrum non adhuc pervenisse. Quapropter non modò opportunum, verùm etiam necessarium duximus, Encyclicam hanc Epistolam ad vos scribere, per quam, sublata demum diversarum, in quas scriptores abierunt, opinionum varietate, constans hujus Apostolicæ Sedis sententia prædictis de rebus cuilibet innotescat, et Fraternalitatibus vestris quædam veluti norma ac regula suppetat, juxta quam Synodales, aliasque vestras circa præmissa Constitutiones, Ordinationes, seu Edicta, quorum publicationem vobis injungimus, dirigere valeatis. Eorum verò executionem, dum, juxta ea, quæ in præsentibus tenenda atque servanda præscribimus, omni, qua decet, sollicitudine ac vigilantia urgere studebitis, minimè dubitandum vobis erit, ne statutorum vestrorum implemento obicem, aut moram afferre valeant recursus ad hujus nostræ Curie Tribunalia forsitan habendi; utpote quos omnino rejiciendos esse præcipimus ac jubemus: quamobrem has ipsas litteras nostras in singulorum Tribunalium regestis asservari volumus, atque ad earum præscriptum tam ipsorum Tribunalium resolutiones, quàm de vestris decretis, quæ ipsis præsentibus inhærentes edituri estis, judicia exigi, et conferri mandamus.

Et quidem quod nuper enunciavimus, sacrosanctum Missæ Sacrificium à Pastoribus animarum applicari debere pro populo ipsorum curæ commisso, id veluti ex divino præcepto descendens, à sacra Tridentina Synodo disertè exprimitur secess. 23. cap. 1. de Reformat. per hæc notabilia verba: « Cùm præcepto divino » mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, » oves suas agnoscere, pro his Sacrificium offerre. » Et quamvis minimè defuerint, qui per inanes et frivolas interpretationes hujusmodi obligationem à sancta Synodo memoratam de medio tollere, vel saltem extenuare contenderint, quum tamen relata Concilii verba satis clara, et perspicua sint, « quumque prædicta » Congregatio ejusdem Concilii interpretationi privativè præposita, constanter edixerit; eos, quibus animarum cura demandata » est, non modò Sacrificium Missæ celebrare, sed illius etiam » fructum medium pro populo sibi commisso applicare debere, » nec illud pro aliis applicare, aut pro hujusmodi applicatione » eleemosynam percipere posse; quodque magis interest, quum » hæc intelligentia à Prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus approbata fuerit, et confirmata: nihil jam amplius ulli » vestrum desiderandum superest, ut eam amplecti, eidemque » obsequi, necnon illius promptam executionem in vestris respectivè Diocesisibus omni studio procurare debeatis. »

Neque nos tamen, qui, ut superius innuimus, in minoribus

adhuc degentes, munus Secretarii prædictæ Congregationis Concilii Tridentini Interpretis plures annos obivimus, aliosque non paucos partim in Anconitanæ Cathedralis, partim in Metropolitane Bononiensis, patriæ nostræ dilectissimæ, quam adhuc retinemus, gubernatione assiduè transegimus; non, inquam, nos latent multiplicis generis effugia, per quæ nonnulli prædictæ obligationis implementum declinare satagunt, quibusque proinde opportunè à nobis est occurrendum.

Quum enim sacrum Tridentinum Concilium, ne animarum cura negligatur, non uno in loco Episcopis mandet, ut quotiescumque opus fuerit, idoneos Vicarios cum certorum fructuum assignatione ad eandem curam exercendam eligant ac deputent, uti videre est sess. 6. c. 2. sess. 7. c. 5. et 7. sess. 21. c. 6. sess. 25. c. 16; non rarò autem eveniat, ut aliqua Ecclesia Parochiali vacante, Vicarius pariter ad implenda hujusmodi Ecclesiæ onera, usque ad novi Rectoris electionem, ab Episcopo deputari debeat, eodem Concilio Tridentino id jubente sess. 24. c. 28. de Reformat. nonnulli ex hujusmodi Vicariis nituntur se ipsos à prædicta obligatione subtrahere, vel ex eo quòd, habituali cura penes alium seu alios residente, ipsi actualem dumtaxat exercent; vel quòd ipsi sint ad nutum amovibiles; vel ad breve tempus hujusmodi curæ sint addicti; ut nihil hæc loquamur de Parochis Regularibus, qui à prædicta applicatione Missæ pro populo nonnunquam alienos se ostendunt. « Itaque mens nostra, et sententia est, sicuti » etiam pluries à prælaudatis Congregationibus judicatum fuit ac » definitum, quòd omnes et singuli, qui actu animarum curam » exercent, et non solùm Parochi aut Vicarii sæculares, verùm » etiam Parochi aut Vicarii regulares, uno verbo, omnes et sin- » guli, de quibus supra dictum est, atque alii quicumque etiam » specifica, et individua mentione digni, æquè teneantur Missam » Parochialem applicare pro populo, ut præfertur, ipsorum curæ » commisso. »

Nonnulli verò ad evitandum hujusmodi obligationis implementum allegare solent, congruos sibi Parochiæ suæ redditus non suppetere; alii denique ad inveteratam consuetudinem contugunt, sustinentes id neque sibi, neque decessoribus suis, per longum tempus, quòd immemorabile affirmant, unquam in usu fuisse. « Nos autem ad præcedentes prædictæ Congregationis » Concilii resolutiones nostram approbationem, et confirmatio- » nem extendimus; et quatenus opus sit, auctoritate Apostolica » iterum tenore præsentium decernimus, et declaramus, quòd, » licèt Parochi, seu alii, ut supra, animarum curam habentes, » congruis præfinitis redditibus destituantur, et quamvis antiqua seu » etiam immemorabili consuetudine in ipsorum Diocesisibus seu » Parochiis obtinuerit, ut Missa pro populo non applicaretur, ea- » dem nihilominus omnino in posterum ab ipsis debeat applicari. »

Dum tamen diximus, omnes animarum curam habentes Missæ Sacrificium pro populo sibi commisso applicare debere, non idem statuere volumus, eosdem aut quotidie, aut quotiescumque ce-

nere olim in minoribus constituti multos annos perfuncti sumus, multoties discussa ac definita fuerit; quamvis earumdem Congregationum Decreta plerumque circa eam uniformia, et sibi consona prodierint, eorumque Decretorum nonnulla etiam Pontificiam Prædecessorum nostrorum approbationem, et confirmationem meruerint; minimè tamen mirandum esset, eorum notitiam ad singulos quosque vestrum non adhuc pervenisse. Quapropter non modò opportunum, verùm etiam necessarium duximus, Encyclicam hanc Epistolam ad vos scribere, per quam, sublata demum diversarum, in quas scriptores abierunt, opinionum varietate, constans hujus Apostolicæ Sedis sententia prædictis de rebus cuilibet innotescat, et Fraternitatibus vestris quædam veluti norma ac regula suppetat, juxta quam Synodales, aliasque vestras circa præmissa Constitutiones, Ordinationes, seu Edicta, quorum publicationem vobis injungimus, dirigere valeatis. Eorum verò executionem, dum, juxta ea, quæ in præsentibus tenenda atque servanda præscribimus, omni, qua decet, sollicitudine ac vigilantia urgere studebitis, minimè dubitandum vobis erit, ne statutorum vestrorum implemento obicem, aut moram afferre valeant recursus ad hujus nostræ Curiæ Tribunalia forsitan habendi; utpote quos omnino rejiciendos esse præcipimus ac jubemus: quamobrem has ipsas litteras nostras in singulorum Tribunalium regestis asservari volumus, atque ad earum præscriptum tam ipsorum Tribunalium resolutiones, quàm de vestris decretis, quæ ipsis præsentibus inhærentes edituri estis, judicia exigi, et conferri mandamus.

Et quidem quod nuper enunciavimus, sacrosanctum Missæ Sacrificium à Pastoribus animarum applicari debere pro populo ipsorum curæ commisso, id veluti ex divino præcepto descendens, à sacra Tridentina Synodo disertè exprimitur sess. 23. cap. 1. de Reformat. per hæc notabilia verba: « Cùm præcepto divino » mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, » oves suas agnoscere, pro his Sacrificium offerre. » Et quamvis minimè defuerint, qui per inanes et frivolas interpretationes hujusmodi obligationem à sancta Synodo memoratam de medio tollere, vel saltem extenuare contenderint, quum tamen relata Concilii verba satis clara, et perspicua sint, « quumque prædicta » Congregatio ejusdem Concilii interpretationi privativè præposita, constanter edixerit; eos, quibus animarum cura demandata » est, non modò Sacrificium Missæ celebrare, sed illius etiam » fructum medium pro populo sibi commisso applicare debere, » nec illud pro aliis applicare, aut pro hujusmodi applicatione » eleëmosynam percipere posse; quodque magis interest, quum » hæc intelligentia à Prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus approbata fuerit, et confirmata: nihil jam amplius ulli » vestrum desiderandum superest, ut eam amplecti, eidemque » obsequi, necnon illius promptam executionem in vestris respectivè Diocesisibus omni studio procurare debeatis. »

Neque nos tamen, qui, ut superius innuimus, in minoribus

adhuc degentes, munus Secretarii prædictæ Congregationis Concilii Tridentini Interpretis plures annos obivimus, aliosque non paucos partim in Anconitanæ Cathedralis, partim in Metropolitanæ Bononiensis, patriæ nostræ dilectissimæ, quam adhuc retinemus, gubernatione assiduè transegimus; non, inquam, nos latent multiplicis generis effugia, per quæ nonnulli prædictæ obligationis implementum declinare satagunt, quibusque proinde opportunè à nobis est occurrendum.

Quum enim sacrum Tridentinum Concilium, ne animarum cura negligatur, non uno in loco Episcopis mandet, ut quotiescumque opus fuerit, idoneos Vicarios cum certorum fructuum assignatione ad eandem curam exercendam eligant ac deputent, uti videre est sess. 6. c. 2. sess. 7. c. 5. et 7. sess. 21. c. 6. sess. 25. c. 16; non rarò autem eveniat, ut aliqua Ecclesia Parochiali vacante, Vicarius pariter ad implenda hujusmodi Ecclesiæ onera, usque ad novi Rectoris electionem, ab Episcopo deputari debeat, eodem Concilio Tridentino id jubente sess. 24. c. 28. de Reformat. nonnulli ex hujusmodi Vicariis nituntur se ipsos à prædicta obligatione subtrahere, vel ex eo quòd, habituali cura penes alium seu alios residente, ipsi actualem dumtaxat exercent; vel quòd ipsi sint ad nutum amovibiles; vel ad breve tempus hujusmodi curæ sint addicti; ut nihil hîc loquamur de Parochis Regularibus, qui à prædicta applicatione Missæ pro populo nonnunquam alienos se ostendunt. « Itaque mens nostra, et sententia est, sicuti » etiam pluries à prælaudatis Congregationibus judicatum fuit ac » definitum, quòd omnes et singuli, qui actu animarum curam » exercent, et non solùm Parochi aut Vicarii sæculares, verùm » etiam Parochi aut Vicarii regulares, uno verbo, omnes et sin- » guli, de quibus supra dictum est, atque alii quicumque etiam » specifica, et individua mentione digni, æquè teneantur Missam » Parochialem applicare pro populo, ut præfertur, ipsorum curæ » commisso. »

Nonnulli verò ad evitandum hujusmodi obligationis implementum allegare solent, congruos sibi Parochiæ suæ redditus non suppetere; alii denique ad inveteratam consuetudinem contugunt, sustinentes id neque sibi, neque decessoribus suis, per longum tempus, quòd immemorabile affirmant, unquam in usu fuisse. « Nos autem ad præcedentes prædictæ Congregationis » Concilii resolutiones nostram approbationem, et confirmatio- » nem extendimus; et quatenus opus sit, auctoritate Apostolica » iterum tenore præsentium decernimus, et declaramus, quòd, » licèt Parochi, seu alii, ut supra, animarum curam habentes, » congruis præfinitis redditibus destituantur, et quamvis antiqua seu » etiam immemorabili consuetudine in ipsorum Diocesisibus seu » Parochiis obtinuerit, ut Missa pro populo non applicaretur, ea- » dem nihilominus omnino in posterum ab ipsis debeat applicari. »

Dum tamen diximus, omnes animarum curam habentes Missæ Sacrificium pro populo sibi commisso applicare debere, non idè statuere volumus, eosdem aut quotidie, aut quotiescumque ce-

lebraverint, ad prædictam applicationem pro populo teneri. Et quidem sacrosancta Tridentina Synodus sess. 23. c. 14. præcipit Episcopis curare, ut Sacerdotes saltem diebus Dominicis, et Festis solemnibus Missarum sacra faciant, « si autem curam habuerint animarum, tam frequenter ut suo muneri satisfaciant, » Missas celebrent : » in pluribus autem Synodalibus Episcoporum constitutionibus novimus providè constitutos ac designatos esse dies, quibus animarum Pastores Missas celebrare debent. At verò nos id unum in præsentì suscepimus decernendum, quando nimirum iidem pro populo celebrare, et applicare teneantur ; « et quamvis compertum habeamus id, quod aliàs à Congregatione Concilii responsum fuit, Parochum nempe in quibus redditibus dotatum quotidie pro populo celebrare, et applicare debere, eum verò, qui uberioribus hujusmodi redditibus non gaudeant, festivis tantùm diebus id ipsum præstare teneri : » quum tamen pariter nobis perspectæ sint tum controversiæ super hoc ipsa exortæ, nimirum ad quam summam pertingere debeant Ecclesiæ Parochialis proventus, ut pingues, et uberes appellari possint : quoniam pingues minimè habendi sunt redditus, etiam copiosi, quibus tamen multiplicia et gravia sint onera adnexa ; tum etiam multorum querelæ adversus hujusmodi decretum, tanquam plus æquo rigidum, excitatæ, nobis innotescant : « Idcirco opportunum censemus Fraternitatibus vestris declarare, » nobis abundè satisfactum fore, vobisque proinde satis esse posse, dum ii, qui animarum curam exercent, Sacrificium Missæ pro populo celebrent atque applicent in Dominicis aliisque per annum diebus Festis de præcepto ; » quum prædicti Dominici, aliique Festi dies ii sint, in quibus juxta præceptum Concilii Tridentini sess. 5. c. 2. et sess. 24. c. 4. quilibet animarum curæ præpositus populum sibi commissum salutaribus verbis pascere debet, docendo ea quæ scire omnibus necessarium est ad salutem ; iidemque sint dies, de quibus eadem sancta Synodus statuit, ut « moneat Episcopus populum diligenter, teneri unumquemque Parochiæ suæ interesse, ubi commode id fieri potest, ad audiendum verbum Dei, » et quibus Parochi subditos suos in Doctrina christiana erudire debent ; juxta id quod à prædicto Concilio in cit. c. 4. Episcopis præcipitur, ut nempe « saltem Dominicis et aliis festivis diebus pueros in singulis Parochiis, fidei rudimenta, et obedientiam erga Deum et parentes, » diligenter ab iis, ad quos spectavit, doceri » curent.

Et quia in nonnullis Diocesisibus numerus dierum Festorum de præcepto, de Apostolica nostra auctoritate et consensu, eatenus est imminutus, ut nempe in aliquibus Festis Christi fideles et Missam audire et ab operibus servilibus abstinere debeant ; in aliis verò populo permissum sit opera servilia exercere, firma remanente obligatione audiendi Missæ Sacrificium ; nos, ut obortæ jam dubitationes circa onus applicationis Missæ Parochialis in hujusmodi diebus Festis, penitus eliminentur, « statuimus, et declaramus, quòd etiam iisdem Festis diebus, quibus populus

- » Missæ interesse debet, et servilibus operibus vacare potest;
- » omnes animarum curam gerentes Missam pro populo celebrare
- » et applicare teneantur. »

Quia verò propria nonnunquam experientia satis agnovimus, aliquos esse Parochos adeo pauperes, ut ferme ex eleemosynis, quas à fidelibus pro Missarum celebratione accipiunt, vivere cogantur; eos verò qui, Ecclesia Parochiali vacante, ad animarum curam exercendam, sub Vicarii, seu OEconomii nomine, deputantur, aliquibus in locis adeo illiberaliter tractari, ut exigui redditus ipsis constituti, et pauca incerta emolumenta eisdem obvenientia, ægrè ad eorum vitæ necessaria sufficiant, quod iis quoque non rarò evenire solet, qui in aliquibus Ecclesiis, habituali cura apud alios manente, actuali tantùm exercitio sunt addicti, proindeque cum istis severè nimis agi videretur, si diebus festis, quibus potissimùm hujusmodi occasio se offert, eisdem vetitum esset eleemosynam pro applicatione Missæ recipere : « Idcirco nos » tam istorum, quàm illorum inopiam summopere miserantes, » eisdemque, quantum nobis integrum est, consulere volentes; » quamvis, ut supra dictum est, omnes et singuli prædicti teneantur diebus festis Missam pro populo celebrare, et applicare; attamen, quod pertinet ad prædictos Parochos egentes, » unicuique vestrum facultatem concedimus, cum iis, quos revera » tales esse noveritis, opportunè dispensandi, ad hoc, ut, etiam » diebus festis hujusmodi, eleemosynam ab aliquo pio offerente » recipere, et pro ipso Sacrificium applicare, quatenus id ab eo » requiratur, liberè et licitè possint et valeant; dummodo ad » necessariam populi commoditatem, in ipsa Ecclesia Parochiali » Missam celebrent; ea tamen adjecta conditione, ut tot Missas » infra hebdomadam pro populo applicent, quot in diebus festis, » infra eandem hebdomadam occurrentibus, juxta peculiarem » intentionem alterius pii benefactoris obtulerint. »

Quod autem spectat ad Vicarios, sive OEconomos Ecclesiarum vacantium, quàm à sacro Tridentino Concilio cit. sess. 24. c. 18. cuilibet Episcopo tribuatur facultas eos deputandi, et constituendi, « cum congrua, ejus arbitrio, fructuum portionis assignatione; » Vestrum erit, Ven. Fratres, cum iis agere, qui vacantis Ecclesiæ fructus exigunt, « ut egenti Vicario, qui exigua hujusmodi certorum fructuum assignatione, paucisque incertis proventibus gaudeat, congruum aliquod augmentum præbeatur pro onere celebrandi, et applicandi Missam pro populo diebus festis. Quapropter pro iis locis, in quibus Ecclesiarum vacantium fructus ad commodum Cameræ nostræ Apostolicæ exiguntur, opportuna Thesaurario nostro Generali mandata dirigemus, quæ is denunciare non prætermittet peculiaribus dictorum locorum Collectoribus, cum quibus Episcopi ecclesiasticæ nostræ ditionis, cæterorumque locorum, in quibus, ut præfertur, Ecclesiarum vacantium fructus ad Cameram prædictam pertinent, officii sui partes in eum finem, de quo supra diximus, interponere debebunt. »

Ac demum, quoad illos, qui tanquam *Vicarii*, sive perpetui, sive ad tempus constituti, animarum curam administrant, quæ apud alios habitu residet, ratione alicujus Ecclesiæ Parochialis; ipsorum Ecclesiis, seu Monasteriis, Collegiis, aut Locis Pii olim unitæ; quamvis à recol. mem. Prædecessore nostro S. Pio Papa V. præfinita fuerit certa pars fructuum hujusmodi Vicariis assignanda, prout in ipsius Constitutione, quæ incipit, *Ad exequendum*, data Kalendis Novembris anni MDLXVII. distinctè statuitur; « nihilominus ubi præscripta fructuum portio, vel nullo modo, vel non integrè Vicariis prædictis assignata reperitur, » vel etiam ubi ea, quæ ad normam prædictæ Constitutionis eisdem fuerit attributa, minimè sufficiens à vobis reputetur, » propter temporum circumstantias, et signanter pro implendo » onere celebrandi et applicandi Missam pro populo diebus Festis » de præcepto; utendum vobis erit potestate, quam fecit Episcopis » Synodus Trid. sess. 7. c. 7. dum illorum arbitrio permisit, juxta » temporum, atque injunctorum onerum rationem, congruam » prædictis Vicariis fructuum portionem assignare; » quam ob causam nos etiam Fraternalitatibus vestris, quatenus opus sit, necessarias omnes et opportunas facultates impertimur; quibuscumque appellationibus, privilegiis, aut exemptionibus, ut in eodem Concilio sancitur, adversus ea, quæ salubriter à vobis constituta fuerint, minimè suffragantibus.

Hæc igitur circa Missam Parochialem statuenda, et Fraternalitatibus vestris denuntianda judicavimus. Indeque gradum facientes ad ea, quæ pertinent ad Missam Conventualem, neminem vestrum latere putamus sacrorum Canonum sanctiones, quibus præcipitur, ut singulis diebus in Ecclesiis Patriarchalibus, Metropolitanis, Cathedralibus, et Collegiatis tum Horæ Canonice debitis modo et forma recitentur, tum etiam *Missa conventualis* celebretur; quæ adeo claræ sunt, ut nulla super iis oriri possit dubitatio; eaque de re perspicuè pariter, et per omnia uniformes existunt Resolutiones ab hac Congregatione Vener. Fratrum nostrorum Concilii Tridentini Interpretum repetitis vicibus emanatæ, quas omnes Apostolica auctoritate nostra confirmamus, et approbamus, earum executionem vobis enixè inculcantes, « ut sci- » licet Missa Conventualis, quæ singulis diebus canitur à Clero » prædictarum Ecclesiarum, pro earumdem Benefactoribus in » genere quotidie applicetur; » eodem prorsus modo, quo Missam Parochialem ab iis, qui curam Animarum gerunt, pro populo sibi commisso, singulis saltem diebus festis de præcepto, applicari debere superius declaravimus. « Itaque date operam, ut falsam » quorundam opinionem eliminatis, quam in aliquibus Ecclesiis » ejusmodi sive dolo malo, sive per errorem invecam esse novimus: quòd nempe dum Missa Conventualis pro certo aliquo » Ecclesiæ benefactore, vel grati animi ergo, vel ex vi oneris impositi celebratur, et applicatur, satis impletum censeatur debitum applicationis Missæ Conventualis. Etenim hujusmodi debitum non quidem respicit singulares aliquos Benefactores, sed

» Benefactores in genere cujuslibet Ecclesiæ, cujus servitio ad-
 » dicti sunt quicumque in eadem sive Dignitates, sive Canonica-
 » tus, sive Mansionariatus, sive Beneficia Choralia obtinent, et
 » Missam Conventualem suis respectivè vicibus celebrant. »

« Neque minùs improbandam noveritis aliorum sententiam,
 » qui satis putant supradictam obligationem impletam esse, dum
 » in eorum Ecclesiis pro Benefactoribus in genere aliquæ inter-
 » dum preces fiunt, vel anniversaria statis diebus Sacrificia pro
 » illis peraguntur. » Nemo enim id sibi arrogare debet, ut im-
 » positæ obligationi alia ratione satisfacere possit, quàm ea, quæ à
 » lege ecclesiastica multoties præscripta fuit; nimirum Missam
 » Conventualem singulis diebus pro Benefactoribus celebrando,
 » eandemque pro illis in genere applicando.

Profectò non solum prioribus Ecclesiæ sæculis, verùm etiam
 temporibus haud longè à nostra ætate remotis (quod vos ex his-
 toria Ecclesiæ didicisse non dubitamus) servabatur olim in sin-
 gulis Ecclesiis series accurata omnium et singulorum, quorum
 liberalitate unaquæque aucta fuerat, eorumque nomina sacris
 Diptychis (sic enim vocabantur) ideo consignata erant, ut
 eorumdem recordatio nunquam interiret, utque pro iis tum
 preces funderentur, tum etiam Missæ Sacrificium offerretur,
 quam ob causam etiam prædictus Catalogus in plerisque Ecclesiis
 ob oculos Presbyteri celebrantis apponi consuevit, licèt iidem
 pii Benefactores in suis donationibus nihil penitus pro se pacti
 essent, sed tantummodo pro peccatorum suorum remissione se
 bona sua Deo offerre declarassent. Ecclesiarum siquidem Præ-
 sules preces pro iis imperandas esse duxerunt: quamvis illi pro-
 pria bona offerentes ne verbum quidem ea de re fecissent. Sa-
 crorum hujusmodi Diptychorum usus sensim defecit; ob idque
 in oblivione jacent alicubi complurium benefactorum nomina.
 At non idcirco fas est deserere usum, et disciplinam orandi pro
 iis, et Sacrificium Missæ pro illis offerendi. Atque inde præcep-
 tum applicandi Missam Conventualem pro Benefactoribus in
 genere, originem atque rationem desumit.

Quemadmodum verò, loquendo de Missa Parochiali, superius
 dictum est, varias excusationes afferri solere, ad declinandam
 illius applicationem pro populo diebus festis de præcepto, ita
 pariter usuvenit quoad applicationem quotidianam Missæ Con-
 ventalis pro Benefactoribus in genere. Ut autem superiores
 illæ, sic etiam hæ posteriores, providè è medio sublatae fuerunt
 per opportunas Congregationis Concilii Tridentini resolutiones
 quas proinde in his etiam auctoritate nostra approbamus, et con-
 firmamus.

Nonnulli siquidem obtentu *contrariæ consuetudinis*, etiam
 immemorabilis, in propria Ecclesia vigentis, se ab hujusmodi
 onere eximi posse sibi persuaserunt. « Verùm jam pluries respon-
 » sum fuit; hujusmodi consuetudinem, licèt immemorabilem,
 » quæ potiùs abusus et corruptela dicenda est, nemini suffragari. »
 Alii à Missa pro Benefactoribus in genere applicanda se excu-

satos voluissent, ex eo, quod, alio quopiam Missarum onere obstricti inveniuntur, vel ratione proprii Canoniciatus, aut alterius Beneficii ecclesiastici, quod insimul cum Canonicali præbenda obtinent; vel quia, præter munus Canonici, seu Beneficiati, aut Mansionarii in Ecclesia Cathedrali seu Collegiata, quum etiam in eadem, vel in alia Ecclesia Parochialem curam exercent, dum Missam Conventualem canunt diebus festis de præcepto, debent pro populo sibi commisso eam applicare: ac proinde nequeunt eandem pro Ecclesiæ Benefactoribus specialiter offerre. Sed his quoque obviam itum est, mandando « singulis prædictis, ut Missam Conventualem, quam canunt, pro Ecclesiæ Benefactoribus » in genere applicent, pro aliis verò, pro quibus ipsi peculiariter » Missam applicare tenentur, alterum substituant, qui ipsorum » loco Missam hujusmodi celebret, applicetque. »

Aliorum pariter exceptio fuit, quod Missa Conventualis non semper à Canonicis, aut Dignitatibus celebretur, sed aliquando etiam à Beneficiatis, aut Mansionariis, quos minus æquum videtur pro Missæ celebratione omni eleëmosyna carere, quæ unde desumi valeat, ignoratur. Cui tamen rei pariter consultum est, demandando, ut ea desumatur ex Massa distributionum.

Alii denique obtenderunt exiguitatem hujusmodi distributionum, quæ, ob detractam eleëmosynam quotidianam pro Missa Conventuali, ad nihilum fere redactæ, vix foret, ut ab aliquo curarentur, cum magno detrimento servitii Ecclesiæ præstandi. Tridentina quidem Synodus sess. 24. c. 15. opportunas rationes ostendit, quibus Canonicalium Præbendarum inopiæ valeat provideri. Si verò designatam à Concilio viam, ut fere evenire solet, nequaquam iniri posse contingat, reliquum erit ad Congregationem Concilii recursum habere: cujus erit, perspecto ex vestris relationibus rerum statu, auctoritate Apostolica à Prædecessoribus nostris eidem impertita, et à nobis etiam præsentium tenore confirmata, quotidianam applicationem Missæ conventualis pro benefactoribus in genere, ut aliàs, ad Festos tantummodo dies reducere.

Non modò Ecclesiis Patriarchalibus, Metropolitanis, Cathedralibus, et Collegiatis inunctum reperitur, ut quotidie Missa Conventualis in eisdem canatur, sed etiam in Rubricis generalibus, quarum exactissimam Fraternalitibus vestris custodiam commendamus, præscribitur, ut certis diebus non una, sed binæ, atque etiam aliquando tres Missæ Conventuales uno die celebrentur. Itaque quum nuper à nobis dictum fuerit, primam Missam Conventualem quotidie pro benefactoribus in genere celebrandam, et applicandam esse; nunc expendendum superest, an earundem Ecclesiarum Capitula Jurisdictioni vestræ respectivè subjecta adigere debeatis, ut alias quoque Missas, si plures, ut præfertur, celebrari contigerit, pro benefactoribus in genere similiter applicent.

Hujusmodi quæstio ab aliquibus ex vobis ecclesiastico zelo flagrantibus supradictæ Congregationi Venerabilium Fratrum nos-

trorum Concilii Tridentini Interpretum proposita est. Jamque ante illius propositionem compertum fuerat, aliàs ab eadem Congregatione responsum fuisse, concedendam esse exemptionem ab onere applicandi secundam et tertiam Missam Conventualem pro benefactoribus in genere, attenta Canonicitatum et Beneficiorum tenuitate; ex quo inferri poterat, hujusmodi applicationis debitum manere, ubi de Ecclesiis pauperibus non ageretur. Verùm cum hanc definiendæ quæstionis regulam apud prædictam Congregationem non admodum veteri observantia firmatam probè noverimus, cumque hujusce dubii solutionem eadem Congregatio nuper judicio nostro remittendam esse censuerit; « Nos » ita judicamus, idque vobis tenendum indicimus; laudandos » nempe, et confirmandos esse, quotquot sponte sua secundam, » aut tertiam Conventualem Missam pro benefactoribus in ge- » nere applicant; qui verò idem agunt ex vi consuetudinis in » ipsorum Ecclesia vigentis, iis imperandum, ut in ea consue- » tudine perseverent. Ubi verò id usu receptum non invenitur, » liberam omnino secundæ, tertięque Missæ Conventualis ap- » plicationem celebrantibus relinquendam esse, dummodo in » commemoratione pro Defunctis, Ecclesiæ benefactorum in » genere non obliviscantur.»

Huic demum Epistolæ nostræ finem imponentes, Fratritates vestras enixè hortamur, ut maximam curam, et vigilantiam in id conferatis, ut in Ecclesiarum vestrarum choris, præter devotam celebrationem, debitamque applicationem Missæ Conventualis, Horæ Canonice non præproperè, sed exactè, pausa, nempe interposita, et maxima qua decet, reverentia, ac religione canantur. Equidem scimus, in aliquibus Metropolitanis et Cathedralibus Ecclesiis, inter Canonicos eam opinionem invaluisse, ut se munus suum satis implere contendant, dum choro præsentibus assistunt, licèt ipsi sibi silentium imperent, neque psallentibus Beneficiatis, aut Mansionariis in cantu se adjungant. In hujusce verò opinionis confirmationem adduci ab iisdem solent inveteratæ consuetudines, statuta peculiaria, aut etiam prætensa Ecclesiarum suarum Privilegia. At quum Synodus Tridentina sess. 24. c. 12. loquens de Dignitatibus, et Canonicis, qui choro interesse debent, unum ex eorum officii esse dicat: « in choro ad psallendum instituto, » Hymnis et Canticis Dei nomen reverenter, distinctè, devotèque » laudare, » quumque pauca omnino sint Capitula, in quibus eo modo à Canonicis choro assistitur, ideoque receptæ in universa Ecclesia disciplinæ paucos illos adversari dignoscatur; quum insuper opinio illa nunquam in Congregatione Concilii Tridentini interpretationi præposita examinata sit, quin statim explosa fuerit, et improbatà; quamvis præsumptis consuetudinibus, aliisque fundamentis, et rationibus innixa perhiberetur, Canonicis etiam Ecclesiarum Patriarchalium hujus nostræ urbis super hoc instantibus: quum denique idem iudicium prælatum reperitur à pluribus Conciliis Provincialibus, ab hac etiam Apostolica Sede approbatis, et confirmatis: nihil jam reliquum esse videtur: que-

minus pauciores universorum legi se accommodat. « Equidem » minimè nobis compertum est, quo peculiari titulo suffulti per- » suasum habeant unius, vel alterius Ecclesiæ Canonici, se mu- » neri suo satisfacere per simplicem in Choro assistentiam, absque » divinæ Psalmodiæ cantu. Verùm nisi illis præstò sit Aposto- » licum non præsumptum vel abrogatum, sed legitimum ac vigens » Privilegium sive Indultum, jure ac meritò verendum est, ne » isti, dum ita se gerunt, præbendarum ac distributionum fructus » minimè suos faciant; et consequenter ne ad eorum restitu- » tionem teneantur. » Quapropter vestrum erit, Venerabiles Fratres, hæc omnia illis aperire, ut neque nobis, neque vobis apud divinum Judicem fraudi sit, si in hujusmodi re, quæ tanti est momenti, utpote quæ ad ipsius Dei cultum proximè spectat, abusus et corruptelas, quas arguendo et increpando evellere debebamus, dissimulatione ac silentio nostro fovisse et confirmasse inveniamur. Interea Fraternitatibus vestris, quas intimo cordis affectu complectimur, Apostolicam Benedictionem amantissimè impertimur.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem die XIX. Augusti MDCCXLIV. Pontificatûs nostri Anno quinto.

EPISTOLA ENCYCLICA VI.

SUPER USURA.

Vix pervenit ad aures nostras, ob novam controversiam (nempe, an quidam contractus validus judicari debeat) nonnullas per Italiam disseminari sententias, quæ sanæ doctrinæ haud consentaneæ viderentur; cum statim nostri Apostolici muneris partem esse duximus opportunum afferre remedium, ne malum ejusmodi, temporis diuturnitate, ac silentio, vires magis acquireret, aditumque ipsi intercluderetur, ne latius serperet, et incolumes adhuc Italiæ Civitates labefactaret.

Quapropter eam rationem, consiliumque suscepimus, quo Sedes Apostolica semper uti consuevit; quippe rem totam explicavimus nonnullis ex Venerabilibus Fratribus nostris sanctæ romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, qui sacræ Theologiæ scientia, et Canonica Disciplinæ studio ac peritia plurimum commendantur: accivimus etiam plures Regulares in utraque facultate præstantes, quorum aliquos ex Monachis, alios ex Ordine Mendicantium, alios demum ex Clericis regularibus selegimus: Præsulem quoque Juris utriusque laurea præditum, et in foro diu versatum adhibuimus. Diem quartam indiximus Julii, qui nuper præterit, ut coram nobis illi omnes convenirent, quibus naturam totius negotii declaravimus; quod illis antea cognitum perspectumque deprehendimus.

Post hæc præcepimus, ut omni partium studio, omnique cupiditate soluti, rem totam accuratè perpenderent, suasque opiniones scripto exararent; non tamen expetivimus ab ipsis, ut judicium ferrent de contractu, qui controversiæ causam initio

præbuerat, cum plura documenta non suppeterent, quæ necessario ad id requirebantur; sed ut certam de usuris doctrinam constituerent, cui non mediocre detrimentum inferre videbantur ea, quæ nuper in vulgus spargi cœperunt. Jussa fecerunt universi; nam suas sententias palam declararunt in duabus Congregationibus, quarum prima coram nobis habita est die 18 Julii; altera verò die prima Augusti, qui menses nuper elapsi sunt; ac demum easdem sententias Congregationis Secretario scriptas tradiderunt.

Porro hæc unanimi consensu probaverunt.

» I. Peccati genus illud, quod usura vocatur, quodque in contractu mutui propriam suam sedem, et locum habet, in eo est repositum, quòd quis ex ipsomet mutuo, quod suapte natura tantumdem dumtaxat reddi postulat, quantum receptum est, plus sibi reddi velit, quàm est receptum; ideoque ultra sortem, lucrum aliquod, ipsius ratione mutui, sibi deberi contendat. Omne propterea hujusmodi lucrum, quod sortem superet, illicitum, et usurarium est.

» II. Neque verò ad istam labem purgandam, ullum accessiri subsidium poterit, vel ex eo, quòd id lucrum non excedens, et nimium, sed moderatum; non magnum, sed exiguum sit: vel ex eo, quòd is, à quo in lucrum solius causa mutui deprecatur, non pauper, sed dives existat; nec datam sibi mutuo summam relictur otiosam, sed ad fortunas suas amplificandas, vel novis cœmendis prædiis, vel quæstuosis agitandis negotiis, utilissimè sit impensurus. Contra mutui siquidem legem, quæ necessario in dati atque redditu æqualitate versatur, agere ille convincitur, quisquis eadem æqualitate semel posita, plus aliquid à quolibet, vi mutui ipsius, cui per æquale jam satis est factum, exigere adhuc non veretur: proindeque si acceperit, restituendo erit obnoxius ex ejus obligatione justitiæ, quam commutativam appellant, et cujus est, in humanis contractibus æqualitatem cujusque propriam, et sanctè servare, et non servatam exactè reparare.

» III. Per hæc autem nequaquam negatur, posse quandoque unà cum mutui contractu quosdam alios, ut aiunt, titulos, eosdemque ipsimet universim naturæ mutui minimè innatos, et intrinsecos, fortè concurrere; ex quibus justa omnino legitimaque causa consurgat quiddam amplius supra sortem ex mutuo debitam ritè exigendi. Neque item negatur, posse multoties pecuniam ab unoquoque suam, per alios diversæ prorsus naturæ à mutui natura contractus, rectè collocari et impendi, sive ad proventus sibi annuos conquirendos, sive etiam ad licitam mercaturam, et negotiationem exercendam, honestaque indidem lucra percipienda.

» IV. Quemadmodum verò in tot ejusmodi diversis contractuum generibus, si sua cujusque non servatur æqualitas, quid quid plus justo recipitur, si minùs ad usuram, (eò quòd omne mutuum tam apertum, quàm palliatum absit) at certè ad aliam

» veram injustitiam restituendi onus pariter afferentem, spectare
 » compertum est; ita si ritè omnia peragantur, et ad justitiæ li-
 » bram exigantur, dubitandum non est, quin multiplex in iisdem
 » contractibus licitus modus et ratio suppetat humana commercia,
 » et fructuosam ipsam negotiationem ad publicum commodum
 » conservandi, ac frequentandi. Absit enim à Christianorum ani-
 » mis, ut per usuras, aut similes alienas injurias florere posse lu-
 » crosa commercia existiment: cùm contra ex ipso Oraculo divino
 » discamus, quòd justitia elevet gentem, miseros autem faciat po-
 » pulos peccatum.

» V. Sed illud diligenter animadvertendum est, falsò sibi quem-
 » quam, et non nisi temerè persuasurum, reperiri semper, ac
 » præsto ubique esse, vel unà cum mutuo titulos alios legitimos,
 » vel secluso etiam mutuo, contractus alios justos, quorum vel titu-
 » lorum, vel contractuum præsidio, quotiescumque pecunia, fru-
 » mentum, aliudve id generis alteri cuicumque creditur, toties
 » semper liceat auctarium moderatum, ultra sortem integram sal-
 » vamque, recipere. Ita si quis censerit, non modò divinis docu-
 » mentis et Catholicæ Ecclesiæ de usura judicio, sed ipsi etiam
 » humano communi sensui, ac naturali rationi procul dubio ad-
 » versabitur. Neminem etiam id saltem latere potest, quòd mul-
 » tis in casibus teneatur homo, simplici ac nudo mutuo alteri
 » succurrere, ipso præsertim Christo Domino edocente: Volenti
 » mutuo à te, ne avertaris, et quòd similiter multis in cir-
 » cumstantiis, præter unum mutuum, alteri nulli vero justoque
 » contractui locus esse possit. Quisquis igitur suæ conscientiæ
 » consultum velit, inquiret priùs diligenter oportet, verè ne cum
 » mutuo justus alius titulus, verè ne justus alter à mutuo contrac-
 » tus occurrat, quorum beneficio, quod quærit lucrum, omnis
 » labis expers, et immune reddatur.»

His verbis complectuntur, et explicant sententias suas Car-
 dinales, ac Theologi, et viri Canonum peritissimi, quorum con-
 silium in hoc gravissimo negotio postulavimus. Nos quoque
 privatum studium nostrum conferre in eandem causam non præ-
 termisimus, antequam Congregationes haberentur, et quo tem-
 pore habebantur, et ipsis etiam peractis; nam præstantium viro-
 rum suffragia, quæ modò commemoravimus, diligentissimè
 percurrimus. « Cùm hæc ita sint, approbamus, et confirmamus
 » quæcumque in sententiis superiùs expositis continentur; » cùm
 Scriptores plane omnes Theologiæ, et Canonum Professores,
 plura sacrarum litterarum testimonia, Pontificum Decessorum
 nostrorum Decreta, Conciliorum, et Patrum auctoritas, ad eas-
 dem sententias comprobandas pene conspirare videantur. Insuper
 apertissimè cognovimus Auctores, quibus contrariæ sententiæ
 referri debent, et eos pariter, qui illas fovent, ac tuentur, aut illis
 ansam, seu occasionem præbere videntur. Neque ignoramus,
 quanta sapientia et gravitate, defensionem veritatis susceperint
 Theologi finitimi illis Regionibus, ubi controversiæ ejusmodi
 principium habuerunt. Quare has litteras Encyclicas dedimus

universis Italiae Archiepiscopis, Episcopis, et Ordinariis, ut hæc tibi, Venerabilis Frater, et cæteris omnibus innotescerent; et quoties Synodus celebrare, ad populum verba facere, eumque sacris doctrinis instruere contigerit, nihil omnino alienum proferatur ab iis sententiis, quas superius recensuimus. Admonemus etiam vehementer, omnem sollicitudinem impendere, ne quis in vestris Diocesisibus audeat litteris, aut sermonibus contrarium docere: si quis autem parere detrectaverit, illum obnoxium et subjectum declaramus pœnis per sacros Canones in eos propositis, qui mandata Apostolica contempserint ac violaverint.

De contractu autem, qui novas has controversias excitavit, nihil in præsentiarum statuimus, nihil etiam decernimus modò de aliis contractibus, pro quibus Theologi, et Canonum Interpretes in diversas abeunt sententias. Attamen pietatis vestræ studium, ac Religionem inflammandam existimamus, ut hæc, quæ subjicimus, executioni demandetis.

« Primum gravissimis verbis populis vestris ostendite, usuræ labem ac vitium à divinis litteris vehementer improbari; illud quidem varias formas atque species induere, ut fideles Christi sanguine restitutos in libertatem et gratiam, rursus in extremam ruinam præcipites impellat; quocirca si pecuniam suam collocare velint, diligenter caveant, ne cupiditate omnium malorum fonte rapiantur, sed potiùs ab illis, qui doctrinæ ac virtutis gloria supra cæteros afferuntur, consilium exposcant.

« Secundo loco, qui viribus suis, ac sapientiæ ita confidunt, ut responsum ferre de iis quæstionibus non dubitent, (quæ tamen haud exiguam sacræ Theologiæ et Canonum scientiam requirunt): ab extremis, quæ semper vitiosa sunt, longè se abstineant: etenim aliqui tanta severitate de iis rebus judicant, ut quamlibet utilitatem ex pecunia desumptam accusent, tanquam illicitam, et cum usura conjunctam: contra verò nonnulli indulgentes adeo, remissique sunt, ut quodcumque emolumentum ab usuræ turpitudine liberum existiment. Suis privatis opinionibus ne nimis adhæreant; sed priusquam responsum reddant, plures Scriptores examinent, qui magis inter cæteros prædicantur; deinde eas partes suscipiant, quas tum ratione, tum auctoritate plane confirmatas intelligent. Quòd si disputatio insurgat, dum contractus aliquis in examen adducitur, nullæ omnino contumeliæ in eos confingantur, qui contrariam sententiam sequuntur, neque illam gravibus Censuris notandam asserant, si præsertim ratione, et præstantium Virorum testimoniiis minimè careat: siquidem convicia, atque injuriæ vinculum Christianæ charitatis infringunt, et gravissimam populo offensionem et scandalum præ se ferunt.

« Tertio loco, qui ab omni usuræ labe se immunes, et integros præstare volunt, suamque pecuniam ita alteri dare, ut fructum legitimum solummodo percipiant, admonendi sunt, ut contractum instituentium antea declarent, et condiciones inserendas explicent, et quem fructum ex eadem pecunia postulent. Hæc

» magnopere conferunt non modò ad animi sollicitudinem et scrupulos evitandos, sed ad ipsum contractum in foro externo comprobandum : hæc etiam aditum intercludunt disputationibus, quæ non semel concitandæ sunt, ut clarè pateat, utrùm pecunia, quæ ritè data alteri esse videtur, revera tamen palliatam usuram contineat.

» Quarto loco vos hortamur ne aditum relinquatis ineptis illorum sermonibus, qui dicitant, de usuris hoc tempore quæstionem institui, quæ solo nomine contineatur, cum ex pecunia, quæ qualibet ratione alteri conceditur, fructus ut plurimum comparetur. Etenim quàm falsum id sit, et à veritate alienum, plane deprehendimus, si perpendamus naturam unius contractus ab alterius natura prorsus diversam et sejunctam esse; et ea pariter discrepare magnopere inter se, quæ à diversis inter se contractibus consequuntur. Revera discrimen apertissimum intercedit fructum inter, qui jure licito ex pecunia desumitur, ideoque potest in utroque foro retineri; ac fructum, qui ex pecunia illicitè conciliatur, ideoque fori utriusque judicio restituendus decernitur. Constat igitur, haud inanem de usuris quæstionem hoc tempore proponi ob eam causam, quòd ut plurimum ex pecunia, quæ alteri tribuitur, fructus aliquis excipiatur.»

Hæc potissimum vobis indicanda censuimus, sperantes fore, ut mandetis executioni quæcumque per has litteras à nobis præscribuntur; opportunis quoque remediis consulatis, uti confidimus, si fortè ob hanc novam de usuris controversiam in Diœcesi vestra turbæ concitentur, vel corruptelæ ad labefactandum sanæ doctrinæ candorem, et puritatem inducantur: postremo vobis, et Gregi curæ vestræ concredito, Apostolicam Benedictionem impertimur.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem die primâ Novembris MDCCXLV. Pontificatûs nostri anno sexto.

EPISTOLA ENCYCLICA VII.

SUPER MATRIMONIIS SECRETIS.

Satis vobis compertum esse non dubitamus, *Venerabiles Fratres*, eam semper fuisse piæ Matris Ecclesiæ vigilem curam, ut Sacramentum Matrimonii, *Magnum*, ab Apostolo nuncupatum publicè, et palam à fidelibus celebretur. Quod quidem ut diligentius, quàm antea factum fuerat, in posterum ab omnibus observaretur, sancta Tridentina Synodus Lateranensis Concilii sub Innocentio III. celebrati vestigiis inhærendo, præcepit, ut in posterum, antequam Matrimonium contrahatur, ter à proprio contrahentium Parocho tribus continuis diebus festivis in Ecclesia inter Missarum solemniam publicè denuntietur: deindeque, nullo legitimo concurrente impedimento, ad illius celebrationem in facie Ecclesiæ coram Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parocho, seu Ordinarii licentia, et duobus, vel tribus testibus præ-

sentibus ritè procedatur. Voluit etiam eadem sancta Synodus, apud Parochum diligenter librum custodiri, in quo conjugum et testium nomina, diesque, et locus Matrimonii describantur.

Providæ tamen hujusmodi leges, tanta auctoritate saluberrimè institutæ, prava horum temporum conditione sensim prolabi visæ sunt, et enerves propemodum reddi, ob Matrimonia usu nimis recepta, quæ occultè adeo celebrantur, ut illorum notitia, quantum fieri potest, oblietetur, et in tenebris ignorantiae perpetuò jaceat conspulta. In more etenim positum est, illa celebrari nullis præviis factis denunciationibus, coram solo Parocho, vel alio Sacerdote de ejus licentia, adhibita præsentia tantum duorum testium appositè à contrahentibus advocatorum, quorum fides nemini illorum est suspecta, remque peragi sæpe extra Ecclesiam, quandoque etiam intra illam, januis tamen occultis, vel eo temporis momento, quo semota alterius cujusvis præsentia, scientia initi Matrimonii præter Parochi, Contrahentium, testiumque personas, alios penitus effugiat.

Quantum à Sacramenti dignitate, et ab ecclesiasticarum legum præscripto occulta hæc Matrimonia, *Conscientiæ* vulgò nuncupata, ut plurimum abhorreant, satis superque conicere quis poterit, qui mentis aciem ad exitiosos illorum effectus convertiat. Hinc enim gravia ortum habent peccata, præsertim verò eorum, qui divini Judicii interminatione posthabita, priore uxore, cum qua clam contraxerunt, relicta, cum alia spe futuri Matrimonii decepta et in turpem secum vivendi licentiam abducta, palam contrahere promittunt. Quorundam verò mentem ita pravæ cupiditates excæcant, ut novum contrahere secretum Matrimonium audeant post alterum secretò itidem contractum, et nondum prioris conjugis morte solutum, seseque magno scelere polygamos reddant. Alii etiam eò impudentiæ devenere ut in hujus magni Sacramenti contemptum, post primas secretò initas, et alteras aut publicè, aut privatim nuptias contrahendo, sese audaciùs polygamia pariter innodare non perhorrescant. Age verò quàm gravia, quàm nullo pacto ferenda ex his Matrimoniis mala oriantur. Si enim ad quamcumque Matrimonii suspicionem summovendam, virum seorsim à muliere vivere contingat, sublata est illico individua vitæ consuetudo, et contemptum est verbum Domini: « Adhærebit » homo uxori suæ, et erunt duo in carne una. » Sin hæc vitæ consuetudo servetur, nemo est, qui illam criminis non arguat, et utpote detestabilem, in scandali materiam non traducat. Neque illata per scandalum dispendia rependit subsecuta celebratio occulti Matrimonii, quod in tenebris delitescit, et ab omnibus ignoratur.

Leviora quoque damna non sunt, quæ susceptæ proli irrogantur. Sæpe enim contingit, illam à parentibus, et à matre præsertim amotam, nec piè, nec liberaliter institui; sed incertis fortunæ casibus objectam relinqui; nisi etiam parentes ipsi contra naturæ leges, ausu nefario illius vitæ insidientur. Ubi verò tam immane facinus parentes deterreat, illosque ad sobolem alendam, insti-

tuendamque humanitas ipsa compellat; alia imminet liberis susceptis ex occulto Matrimonio lugenda avitarum facultatum, et honorum jactura, pro quorum possessione assequenda quamvis clament jura sanguinis, illis tamen careant necesse est propter occulta parentum Matrimonia et ademptam legitimitatis, et filiationis probationem. Huic etiam malorum origini sunt referenda ipsa quoque secreta Matrimonia contracta à filiis familiâs contra patris justè dissentientis voluntatem; ex quibus quàm gravia incommoda exoriri soleant, neminem latet. Quid plura? adeo invaluit malitia, ut quandoque in minoribus Ordîmibus constituti pensiones, et beneficia, ad divinum cultum et ecclesiastica munia instituta, etiam post initum clam Matrimonium retinuerint; sibi que de mammona iniquitatis oculos miserrimè comparaverint.

Deflenda hæc igitur potius uberibus lacrymis, quàm latiore calamo explicanda malorum congeries, cum ex hac Apostolicæ Sedis specula omnes sibi vindicet nostræ vigilantia curas; temperare non possumus, quin vos ipsos, Ven. Fratres, in partem nostræ sollicitudinis evocantes, vestram pietatem, et zelum excitemus ad custodiendas vigilias noctis super grege vobis credito, quem luctuosa horum temporum conditio in discrimen adducit. Primum itaque periculi non infrequens occasio vos reddat difficiliore ad remittendum publicationes, à quibus contracturi Matrimonium sæpe per malitiosam suggestionem petunt dispensari. Quàm cautè, solerterque oporteat ea in re Episcopos versari, non obscura vobis à Concilio Tridentino exhibentur argumenta. Si enim (ait eadem sancta Synodus) probabilis fuerit suspicio Matrimonium malitiosè impediri posse, si præcesserint denuntiationes; tunc vel una tantum denuntiatio fiat, vel saltem Parocho, et duobus testibus præsentibus Matrimonium celebretur, et deinde, ante illius consummationem denunciationes in Ecclesia fiant, ut si aliqua subsunt impedimenta, facilius detegantur. Præterea licèt Episcopo relictum sit omnimode super denunciationibus dispensare, hæc tamen facultas, non à sola dispensantis voluntate pendet, sed à Tridentino coercetur arcis prudentia, discretique arbitrii legibus; quod idem est, ac legitimam causam dispensationis requirere.

Parem quoque, imò fortasse majorem vigilantiam necesse est à vobis adhiberi, ne post remissas denunciationes celebretur Matrimonium coram Parocho, vel alio Sacerdote ab ipso Parocho, vel à vobis deputato, præsentibus duobus vel tribus testibus confidentibus, ne ulla celebrationis notitia, vel rumor oriatur. Id enim ut ad præscriptum sacrorum Canonum licitè fieri possit, non satis est obvia quævis, et vulgaris causa, sed gravis, urgens, et urgentissima requiritur. A sacro nostræ Pœnitentiariæ tribunali, eo potissimum casu fit potestas ita celebrandi Matrimonium, quo vir, et foemina in figura Matrimonii publicè degentes, et de quibus nulla viget criminis suspicio, in occulto tamen concubinato perseverent; facile enim quisque conjiciet, quàm absonum esset;

eos à statu damnationis per gratiam Sacramenti revocandos, ad publicè contrahendum Matrimonium præviis denunciationibus compelli. Hanc verò praxim vobis duximus proponendam, non quia dispensatio præmisso casui solum congruat, cum alii similes, et fortasse urgentiores esse possint, in quibus dispensari expediat; sed quia vestri pastoralis officii partes versari debent in sedulo investiganda et urgenti causa dispensationis, ne Matrimonia occultè celebrata luctuosos habeant exitus, quos intimo cordis mœnore recensuimus.

Hunc porro in scopum vos hortamur, et impensè admonemus, ut personarum Matrimonium secretò contrahere petentium diligens fiat à vobis inquisitio: an scilicet ejus qualitatis, gradûs, et conditionis sint; quæ id probè exposcant; an sint sui, vel alieni juris; an filiifamiliâs, quorum nuptiæ patri justè dissentienti sint invisæ: ab Episcopali etenim, quod geritis, munere nimium esset alienum, facilem præberi filio inobedientiæ occasionem; an res sit de personis ecclesiasticis, licèt in minoribus Ordinibus constitutis, pensiones, et beneficia ecclesiastica obtinentibus, ut detestabilis illorum retentio in statu uxurato congruis remediis postea compescatur. Potissimum verò curet vestra sollicitudo, antequam secreti Matrimonii licentia concedatur, ut contrahentes clara, et indubia, et à quavis fraude immunia exhibeant documenta statûs liberi, ad avertendum ab iis, qui improbi sunt ingenii, polygamix periculum.

Quod attinet ad Ministrum secreti Matrimonii, volumus ad id munus deputari Parochum alterius ex contrahentibus, quem notitia personarum, experientia, et diuturnus rerum usus quovis Sacerdote extraneo peritiorem effecisse præsumuntur. Si quæ tamen vobis occurrant circumstantiæ, quæ alium Sacerdotem loco Parochi exposcere videantur, gravi impellente causa, is sacerdos à vobis eligatur, qui probitate, et doctrina, et obeundi muneris peritia commendetur. Uni tamen, aut alteri Sacramenti Ministro à vobis deputando districtè præcipiatur, ne Matrimonio intersit, nisi pridè paterna charitate conjuges in Domino monuerit, sobolem procreandam regenerari quàmprimum oportere sacro Baptismatis lavacro; ac Christo Judici districtam reddituros esse rationem nisi filios ut legitimos agnoverint, eosque pietate, bonisque moribus imbuerint, et frui patiantur bonis temporalibus, à majoribus in supremis tabulis relictis, vel provida legum auctoritate delatis.

Celebrato autem Matrimonio, indilatè à Parocho, vel alio Sacerdote, coram quo initum est, exhibeatur Episcopo illius scriptum documentum, cum nota loci, et temporis, testiumque qui celebrationi interfuerunt. Vestrum erit postea diligenter incumbere, ut ad perennem gestæ rei memoriam præfatum documentum fideliter transcribatur in libro prorsus distincto ab altero, in quo Matrimonia publicè contracta de more annotantur. Hujusmodi liber pro Matrimoniis secretis appositè compactus, clausus et sigillis obsignatus, in vestra Episcopali Cancellaria cautè erit custo-

diendus : et eo tantum casu resignari, et aperiri vestra accedente licentia eum patiemi, quo alia id genus Matrimonia describi oporteat, vel id sibi vindicet justitiæ administrandæ necessitas, vel demum quo aliquod documentum ab eo exposcat verum interesse habentes, quibus probationum aliuunde petendarum non suppetit copia : sedulo tamen animadvertentes, ut, re absoluta, denuo claudatur, et sigillis, ut antea, obsignetur. Fides, seu attestations clam celebrati Matrimonii à Parocho, vel Sacerdote, qui vices Parochi gessit, exarandæ, vobisque exhibendæ, transcribantur in dicto libro, prout jacent de verbo ad verbum à persona à vobis deputanda, quæ apud omnes integritatis, probatiq; nominis luculentum habeat testimonium. Fides verò, et attestations ipsæ in secretiori loco sartæ, tectæque à vobis servantur.

Quòd si ex occulto hujusmodi Matrimonio prolem nasci contingat; eadem mundetur salutari aqua Baptismi in Ecclesia, in qua aliis infantibus hoc Sacramentum indistinctè confertur. Et quia ad operiendum clam initum Matrimonium facile est in libro baptizatorum nullam fieri mentionem parentum, et eorum nomina consultò reticere, volumus, ac expressè mandamus, ut à patre baptizati, eoque defuncto, ab illius matre suscepta proles vobis denunciatur, dictaque denunciatio fiat vel immediatè per parentes ipsos, vel per litteras eorum caractere exaratas, vel per fide dignam personam ab ipsis parentibus designatam, ut certò et clarè vobis constet, quòd proles tali loco et tempore, vel reticitis, vel falsò expressis nominibus Parentum, baptizata, est legitima, licèt occulti Matrimonii fœdere procreata. Quæ sanè omnia cum vobis innotuerint, ne illorum excidat memoria, in libro fideliter describentur ab eo, cui facta à vobis est potestas annotandi Matrimonia occultè celebrata. Liber, in quem baptizatorum, ac utriusque parentis nomina referentur, quamvis distingui debeat ab altero Matrimoniorum, eadem tamen diligentia, lisdemque cautelis in Cancellaria Episcopali clausus, et sigillis obsignatus erit custodiendus, prout librum Matrimoniorum cautè custodiri supra mandavimus.

Quia verò nonnulli deesse non possunt, qui propriæ conscientia vocibus obsurdescant, et nostris hisce mandatis parere negligant; debita pœnarum districtione pro modo culpæ à vobis puniantur. Quinimmo cum satis nobis experientia compertum sit, in hujusmodi negotiis homines, in terram oculos declinantes ob humanos respectus, tardiores effici, et à recta agendi semita revocari; mandamus idcirco, Matrimonia occulta à vobis evulgari, et nota fieri, si certò vobis constiterit, ex aliquo Matrimonio occulto procreatam fuisse sobolem, et baptizatam suppressis parentum nominibus, nulla præstita vobis notitia, ut par erat, ab illius parentibus intra triginta dies à nativitate numerandos.

Ne autem contumaces, et inobedientes, violatæ fidei, proditiq; secreti Pastores suos insimulent; sedulo à vobis curandum est, ut à Parocho, vel alio Sacerdote pro secreta celebratione

Matrimonii à vobis deputando, conjuges clarè, et apertè monentur, ea lege, et pacto illis permitti secreti Matrimonii celebrationem, ut soboles inde procreanda non solum regeneretur sacro Baptismate, sed post Baptisma denunciatur Episcopo cum nota loci, et temporis administrati Sacramenti, ac sincera indicatione parentum, à quibus ortum habuit, quemadmodum supra præmissum est: alioquin Matrimonium licèt contractum data per Episcopum secreti fide, in lucem proferetur in gratiam filiorum, et ad propulsandam ab illis gravem, nulloque pacto ferendam jacturam. Volumus denique, ac mandamus fidem, seu attestations Matrimonii clam initi, et sobolis ex eo procreatæ, excerptas ex dictis libris, modo, quo dictum est, apud vos cautè custodiendis, tantam promereri fidem, quantam sibi alii libri Parochiales Baptismatis, et Matrimonii vindicare consueverunt.

Hæc à vobis, Ven. Fratres, in hac temporum calamitate observari enixè præcipimus ad communem animarum salutem, et ad præsidium ecclesiasticæ disciplinæ, propter invalescentem hominum malitiam nova semper detrimenta vel patientis, vel reformidantis. Cæterum nostris hisce Litteris sublata nolumus ea validiora remedia, quæ huic malo, in diem ingruenti, consona dignoscet prudentia vestra, ad pastorale officium cumulatè obeundum. Vobis interea paternæ charitatis et benevolentia testem Apostolicam Benedictionem impertimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die 17 Novembris 1741. Pontificatûs nostri anno secundo.

CAPUT II.

DECRETUM I.

Contra sollicitantes, et complices peccati turpis.

Sacramentum Pœnitentiæ, quam secundam post naufragium deperditæ gratiæ tabulam sancti Patres aptè nuncupârunt, nos licèt immerentes ad universi Dominici Gregis curam superna dispositione vocati, omne studium et pastoralement sollicitudinem adhibere tenemur, ne, quod post amissam Baptismi innocentiam datum est divina benignitate perfugium, per dæmonum fraudem, et hominum Dei beneficiis perversè utentium malitiam, naufragis, ac miseris peccatoribus luctuosum evadat exitium; et quod in salutem et curationem animarum à Deo, qui dives est in misericordia, institutum est, execrabili scelestorum quorundam Sacerdotum improbitate in earum perniciem, atque interitum vertatur.

Dudum quidem à fel. rec. Gregorio Papa XV. Prædecessore nostro per suas litteras in forma Brevium sub datum Romæ apud S. Mariam Majorem die xxx. Augusti MDCXXII. Pontificatûs sui anno secundo, sapienter provisum fuit contra quoscumque Sacerdotes audiendis Confessionibus deputatos, ad turpia, et inhonesta sollicitantes: et deinceps successivis tem-

poribus ad earum litterarum interpretationem, ac declarationem plura subinde à Congregatione Vener. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium sub die XI mensis Februarii anno Domini MDCLXI. prodierunt decreta, et à rec. mem. Alexandro PP. VII. pariter Prædecessore nostro in Congregatione Generali die 24 Septembr. MDCLXV. coram eo habita, inter alias ab evangelica veritate et sanctorum Patrum doctrina alienas, et dissonas propositiones, sexta videlicet et septima, huc revocandæ, damnatæ, et prohibitæ fuerunt. Nos itaque maturè perpendentes, quanti momenti sit ad æternam animarum salutem ea ubique exactè observari, et quanti ad infirmas oves curandas et decorem S. Ecclesiæ Dei retinendum intersit, ne aliqui Sacerdotes Pœnitentiæ Sacramento nefariè abutentes pœnitentibus pro curatione vulnus, pro pane lapidem, pro pisce serpentem, pro medicina venenum porrigant; sed animo secum recolentes, se à Christo Domino Præsides, et Judices animarum constitutos, ea sanctitate, quæ sublimitati, ac dignitati muneris convenit, tam venerandum Sacramentum administrent: motu proprio, et ex certa scientia, ac matura deliberatione nostra præfatas litteras hujusmodi, ac omnia, et singula decreta prædicta ad illarum interpretationem, et declarationem emanata Apostolica auctoritate tenore præsentium approbamus, et confirmamus, illisque omnibus, et singulis inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus: atque etiam, quatenus opus sit, denuo committimus, et mandamus omnibus locorum Ordinariis omnium Regnorum, Provinciarum, civitatum, dominiorum, et locorum universi orbis Christiani in suis respectivè Diocæsibus, ut diligenter, omnique humano respectu postposito, inquirant, et procedant contra omnes, et singulos Sacerdotes, tam sæculares, quàm regulares quomodolibet exemptos, ac Sede Apostolicæ immediatè subjectos, quorumcumque Ordinum, Institutorum, Societatum, et Congregationum, et cujuscumque dignitatis, et præeminentis, aut quovis Privilegio, et indulto munitos, « qui aliquem pœnitentem, « quæcumque persona illa sit, vel in actu Sacramentalis Con- « fessionis, vel ante, vel immediatè post Confessionem, vel oc- « casione, aut prætextu Confessionis, vel etiam extra occasionem « Confessionis in Confessionali sive in alio loco ad Confessiones « audiendas destinato, aut electo simulatione audiendi ibidem « Confessionem, ad inhonesta et turpia sollicitare, vel provo- « care, sive verbis, sive signis, sive nutibus, sive tactu, sive per « scripturam, aut tunc, aut post legendam tentaverint, aut cum « eis illicitos et inhonestos sermones, vel tractatus temerario « ausu habuerint: » et quos in aliquo ex hujusmodi nefariis excessibus culpabiles repererint, in eos pro criminum qualitate et circumstantiis severè animadvertant per condignas pœnas juxta memoratam Gregorii Prædecessoris nostri Constitutionem, quam hæc de verbo ad verbum pro inserta haberi volumus: dantes etiam, si opus sit, et rursus concedentes facultatem, ne delictum tam enorme, et Ecclesiæ Dei injuriosum remaneat ob probatio-

omni defectum impunitum, jam aliàs in præfata Constitutione tributam procedendi cum testibus etiam singularibus, dummodo præsumptiones, indicia, et alia adminicula concurrant.

« Meminerint præterea omnes, et singuli Sacerdotes ad Confessiones audiendas constituti, teneri se, ac obligari suos pœnitentes, quos noverint fuisse ab aliis, ut supra, sollicitatos, sedulo monere juxta occurrentium casuum circumstantias de obligatione denunciandi locorum Ordinariis prædictis, personam, quæ sollicitationem commiserit, etiamsi Sacerdos sit, qui jurisdictione ad absolutionem validè impertiendam careat, aut sollicitatio inter Confessarium, et pœnitentem mutua fuerit, sive sollicitationi pœnitens consenserit, sive consensum minimè præstiterit, vel longum tempus post ipsam sollicitationem jam effluxerit, aut sollicitatio à Confessario, non pro se ipso, sed pro alia persona peracta fuerit. Caveant insuper diligenter Confessarii, ne pœnitentibus, quos noverint jam ab alio sollicitatos, Sacramentalem absolutionem impertiant, nisi prius denunciationem prædictam ad effectum perducentes delinquentem indicaverint competenti Judici, vel saltem se, cum primùm poterunt, delaturos spondeant, ac promittant.

« Et quoniam improbi quidam homines reperiuntur, qui vel odio, vel ira, vel alia indigna causa commoti, aliorum impiis suasionibus aut promissis, aut blanditiis, aut minis, aut alio quovis modo incitati, tremendo Dei judicio posthabito, et Ecclesiæ auctoritate contempta, innoxios Sacerdotes apud ecclesiasticos Judices falsò sollicitationis insimulant: ut igitur tam nefaria audacia, et tam detestabile facinus metu magnitudinis pœnæ coerceatur, quæcumque persona, quæ execrabili hujusmodi flagitio se inquinaverit, vel per seipsum innocentes Confessarios impiè calumniando, vel scelestè procurando, ut id ab aliis fiat, à quocumque Sacerdote quovis privilegio, auctoritate, et dignitate munito, præterquam à nobis, nostrisque successoribus, nisi in fine vitæ, et excepto mortis articulo, spe absolutionis obtinendæ, quam nobis, et successoribus prædictis reservamus, perpetuò careat. »

Denum magnopere cupientes à Sacerdotalis Judici, et Sacri tribunalis sanctitate omnem turpitudinis occasionem, et Sacramentorum contemptum, et Ecclesiæ injuriam longè suumovere et tam exitiosa hujusmodi mala prorsus eliminare, et quantum in Domino possumus, animarum periculis occurrere, quas sacrilegi quidam dæmonis potius, quam Dei ministri, loco eas per Sacramentum Creatori suo, ac nostro reconciliandi, « majori peccatorum mole onerantes in profundum iniquitatis barathrum nefariè submergant, nonnullorum Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium et aliorum in Theologia Magistrorum consilio desuper adhibito, accedentibus quoque iteratis plurium Episcoporum supplicationibus, hac nostra in perpetuum valitura sanctione, quemadmodum à pluribus Episcopis per Synodales suas Constitutiones jam factum esse novi-

poribus ad earum litterarum interpretationem, ac declarationem plura subinde à Congregatione Vener. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium sub die XI mensis Februarii anno Domini MDCLXI. prodierunt decreta, et à rec. mem. Alexandro PP. VII. pariter Prædecessore nostro in Congregatione Generali die 24 Septembr. MDCLXV. coram eo habita, inter alias ab evangelica veritate et sanctorum Patrum doctrina alienas, et dissonas propositiones, sexta videlicet et septima, huc revocandæ, damnatæ, et prohibitæ fuerunt. Nos itaque maturè perpendentes, quanti momenti sit ad æternam animarum salutem ea ubique exactè observari, et quanti ad infirmas oves curandas et decorem S. Ecclesiæ Dei retinendum intersit, ne aliqui Sacerdotes Pœnitentiæ Sacramento nefariè abutentes pœnitentibus pro curatione vulnus, pro pane lapidem, pro pisce serpentem, pro medicina venenum porrigant; sed animo secum recolentes, se à Christo Domino Præsides, et Judices animarum constitutos, ea sanctitate, quæ sublimitati, ac dignitati muneris convenit, tam venerandum Sacramentum administrent: motu proprio, et ex certa scientia, ac matura deliberatione nostra præfatas litteras hujusmodi, ac omnia, et singula decreta prædicta ad illarum interpretationem, et declarationem emanata Apostolica auctoritate tenore præsentium approbamus, et confirmamus, illisque omnibus, et singulis inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus; atque etiam, quatenus opus sit, denuo committimus, et mandamus omnibus locorum Ordinariis omnium Regnorum, Provinciarum, civitatum, dominiorum, et locorum universi orbis Christiani in suis respectivè Diocesisibus, ut diligenter, omnique humano respectu postposito, inquirent, et procedant contra omnes, et singulos Sacerdotes, tam sæculares, quàm regulares quomodolibet exemptos, ac Sede Apostolicæ immediatè subjectos, quorumcumque Ordinum, Institutorum, Societatum, et Congregationum, et cujuscumque dignitatis, et præeminentis, aut quovis Privilegio, et indulto munitos, « qui aliquem pœnitentem, « quæcumque persona illa sit, vel in actu Sacramentalis Confessionis, vel ante, vel immediatè post Confessionem, vel occasione, aut prætextu Confessionis, vel etiam extra occasionem « Confessionis in Confessionali sive in alio loco ad Confessiones « audiendas destinato, aut electo simulatione audiendi ibidem « Confessionem, ad inhonesta et turpia sollicitare, vel provocare, sive verbis, sive signis, sive nutibus, sive tactu, sive per « scripturam, aut tunc, aut post legendam tentaverint, aut cum « eis illicitos et inhonestos sermones, vel tractatus temerario « ausu habuerint: » et quos in aliquo ex hujusmodi nefariis excessibus culpabiles repererint, in eos pro criminum qualitate et circumstantiis severè animadvertant per condignas pœnas juxta memoratam Gregorii Prædecessoris nostri Constitutionem, quam hæc de verbo ad verbum pro inserta haberi volumus: dantes etiam, si opus sit, et rursus concedentes facultatem, ne delictum tam enorme, et Ecclesiæ Dei injuriosum remaneat ob probatio-

uum defectum impunitum, jam aliàs in præfata Constitutione tributam procedendi cum testibus etiam singularibus, dummodo præsumptiones, indicia, et alia adminicula concurrant.

« Meminerint præterea omnes, et singuli Sacerdotes ad Confessiones audiendas constituti, teneri se, ac obligari suos pœnitentes, quos noverint fuisse ab aliis, ut supra, sollicitatos, sedulo monere juxta occurrentium casuum circumstantias de obligatione denunciandi locorum Ordinariis prædictis, personam, quæ sollicitationem commiserit, etiamsi Sacerdos sit, qui jurisdictione ad absolutionem validè impertiendam careat, aut sollicitationi pœnitens consenserit, sive consensum minimè præstiterit, vel longum tempus post ipsam sollicitationem jam effluxerit, aut sollicitatio à Confessario, non pro se ipso, sed pro alia persona peracta fuerit. Caveant insuper diligenter Confessarii, ne pœnitentibus, quos noverint jam ab alio sollicitatos, Sacramentalem absolutionem impertiant, nisi prius denunciationem prædictam ad effectum perducentes delinquentem indicaverint competenti Judici, vel saltem se, cum primùm poterunt, delaturos spondeant, ac promittant.

« Et quoniam improbi quidam homines reperiuntur, qui vel odio, vel ira, vel alia indigna causa commoti, aliorum impiis suasionibus aut promissis, aut blanditiis, aut minis, aut alio quovis modo incitati, tremendo Dei judicio posthabito, et Ecclesiæ auctoritate contempta, innoxios Sacerdotes apud ecclesiasticos Judices falsò sollicitationis insimulant: ut igitur tam nefaria audacia, et tam detestabile facinus metu magnitudinis pœnæ coerceatur, quæcumque persona, quæ execrabili hujusmodi flagitio se inquinaverit, vel per seipsum innocentes Confessarios impiè calumniando, vel scelestè procurando, ut id ab aliis fiat, à quocumque Sacerdote quovis privilegio, auctoritate, et dignitate munito, præterquam à nobis, nostrisque successoribus, nisi in fine vitæ, et excepto mortis articulo, spe absolutionis obtinendæ, quam nobis, et successoribus prædictis reservamus, perpetuò careat. »

Denique magnopere cupientes à Sacerdotalis Judicii, et Sacri tribunalis sanctitate omnem turpitudinis occasionem, et Sacramentorum contemptum, et Ecclesiæ injuriam longè summovere et tam exitiosa hujusmodi mala prorsus eliminare, et quantum in Domino possumus, animarum periculis occurrere, quas sacrilegi quidam dæmonis potius, quam Dei ministri, loco eas per Sacramentum Creatori suo, ac nostro reconciliandi, « majori peccatorum mole onerantes in profundum iniquitatis barathrum nefariè submergunt, nonnullorum Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium et aliorum in Theologia Magistrorum consilio desuper adhibito, accedentibus quoque iteratis plurium Episcoporum supplicationibus, hac nostra in perpetuum valitura sanctione, quemadmodum à pluribus Episcopis per Synodales suas Constitutiones jam factum esse novi-

» mus, omnibus et singulis Sacerdotibus, tam secularibus quàm
 » regularibus cujuscumque Ordinis ac dignitatis, tametsi alioquin
 » ad Confessiones excipiendas approbatis et quovis Privilegio et
 » indulto, etiam speciali expressione, et specialissima nota, et
 » mentione digna suffultis, Auctoritate Apostolica, et nostræ po-
 » testatis plenitudine interdiciamus, et prohibemus, ne aliquis
 » eorum extra casum extremæ necessitatis, nimirum in ipsius
 » mortis articulo, et deficiente tunc quocumque alio Sacerdote,
 » qui Confessarii munus obire possit, Confessionem Sacramen-
 » talem personæ complicitis in peccato turpi atque inhonesto contra
 » sextum Decalogi præceptum commisso excipere audeat, sub-
 » lata propterea illi ipsi quacumque auctoritate, et jurisdictione
 » ad qualemcumque personam ab hujusmodi culpa absolvendam,
 » adeo quidem, ut absolutio, si quam impertierit, nulla, atque
 » irrita omnino sit, tanquam impertita à Sacerdote, qui juris-
 » dictione, ac facultate ad validè absolvendum necessaria privatus
 » existit, quam ei, per præsentés has nostras, adimere intendi-
 » mus : et nihilominus si quis Confessarius secus facere ausus
 » fuerit, majoris quoque excommunicationis pœnam, à qua ab-
 » solvendi potestatem nobis solis, nostrisque successoribus dum-
 » taxat reservamus, ipso facto incurrat. Declarantes etiam, et
 » decernentes, quòd nec etiam in vim cujuscumque Jubilæi, aut
 » etiam Bullæ, quæ appellatur Cruciatæ sanctæ, aut alterius
 » cujuslibet Indulti, Confessionem dicti complicitis hujusmodi
 » quisquam valeat excipere, eique Sacramentalem absolutionem
 » elargiri; cùm ad hunc effectum, et in hoc casu nullus Confes-
 » sarius, utpote qui in hujusmodi peccati, et pœnitentis genere,
 » jurisdictione, ut præfertur, careat, et absolvendi facultate à
 » nobis privatus existat, habendus sit pro Confessario legitimo,
 » et approbato. Non obstantibus Constitutionibus, et Ordina-
 » tionibus Apostolicis, præsertim, quæ nuncupantur Cruciatæ
 » sanctæ, vel Jubilæi universalis, et plenarii, necnon quibusvis
 » Ecclesiarum, et Monasteriorum, et Ordinum quorumlibet,
 » quorum ipsi Sacerdotes fuerint, etiam juramento, confirma-
 » tione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis
 » et consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, et Litteris
 » Apostolicis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum
 » quibusvis clausulis, et decretis, etiam motu proprio, aut alias
 » quomodolibet concessis, etiam iteratis vicibus approbatis, et
 » innovatis, quibus omnibus, eorum tenores præsentibus pro
 » expressis habentes hac vice dumtaxat specialiter, et expressè
 » derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. »

Volumus demum, ac præcipimus, ut omnes locorum Ordina-
 rii, tam præsentés, quàm futuri pro tempore existentes, in
 approbatione Confessoriorum, tam prædictam Constitutionem
 Gregorii Prædecessoris nostri, quàm præsentem hanc nostram
 ab omnibus Sacerdotibus approbandis attentè legi, et accuratè
 observari curent, moneantque eos in Domino, atque hortentur,
 ut sacrum Ministerium ipsorum fidei commissum summa animi

innocentia, morum puritate, iudicii integritate peragant, exhibeantque semetipsos, ut Ministros Christi, et dispensatores Mysteriorum Dei. Memores præterea sint, se locum tenere, ac vices obire summi, atque æterni Sacerdotis, qui Sanctus, innocens, impollutus per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, ut emundaret conscientiam nostram ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi. Sedulò igitur studeant, diligenterque caveant, ne quærentibus, et pulsantibus eorum culpa cælum claudatur, ne deperditæ oves ad ovile dominicum redire properantes eorum manibus ferarum dentibus dilaniandæ tradantur, ne prodigi filii egentes, et saucii, ad cœlestem Patrem revertentes, nefaria eorum improbitate gravioribus peccatorum vulneribus, dum adhuc in via sunt, confodiantur.

Ut autem præsentēs Litteræ ad omnium notitiam facilius deveniant, et nemo illarum ignorantiam allegare valeat, volumus illas, seu earum exempla ad valvas Ecclesiæ Lateranensis, et Basilicæ Principis Apostolorum, nec non Cancellariæ Apostolicæ, Curiaque Generalis in Monte Citorio, ac in Acie Campi Floræ de Urbe, ut moris est, affigi, et publicari, sicque publicatas, et affixas omnes, et singulos, quos illæ concernunt, perinde arctare, et afficere, ac si unicuique eorum nominatim, et personaliter intimatæ fuissent: utque ipsarum præsentium Litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo alicujus personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides tam in iudicio, quam extra illud, ubique adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostræ voluntatis, sanctionis, præcepti, mandati, et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quadragésimo primo, Kal. Junii Pontificatûs nostri anno primo.

DECRETUM II.

Contra eosdem complices etc.

Apostolici muneris partes in procuranda præcipuè rerum sacrarum pura illibataque penitus administratione versari debere probe intelligentes, non modò, et assiduis hortationibus, et justa, ubi res postulat, legum severitate, ut ab Ecclesiasticis quibusque Ministris sancta sanctè tractentur, quantum cum Domino possumus, providere studemus; verùm etiam leges ipsas, ne fortè sinisteris interpretationibus in alterutram extremam partem, aut immoderati rigoris, aut detestabilis laxitatis perperam detorqueantur, opportunè communire ac roborare pro earundem tuendo vigore, cum occasio poposcerit, non prætermittimus.

Sanè cum nos aliàs per quamdam nostram Constitutionem, cujus initium est, *Sacramentum poenitentiae*, anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quadragesimo primo Kal. Junii Pontificatûs nostri anno primo editam, omnibus, et singulis Sacerdotibus tam sæcularibus, quam regularibus interdixerimus, et prohibuerimus, « ne aliquis eorum, extra easam extremæ necessitatis, nimirum in ipsius mortis articulo, et deficiente tunc quocumque alio Sacerdote, qui Confessarii manus obire possit, » Confessionem Sacramentalem personæ complicitis in peccato turpi atque inhonesto, contra sextum Decalogi præceptum commissæ, excipere auderet; ita ut absolutio, si quam impertivisset, nulla, atque irrita omnino esset, tanquam impertita à Sacerdote, qui jurisdictione et facultate, ad validè absolvendum necessaria, ipsi per nos vigore ejusdem Constitutionis adempta, privatus existeret, et aliàs prout in memorata Constitutione, cujus tenorem præsentibus pro plenè et sufficienter expresso et inserto haberi volumus, uberius dicitur contineri. Cum nos subinde super ea dictæ Constitutionis parte, quæ mortis articulum respicit, dubitationes quasdam exortas fuisse acceperimus, quarum resolutionem privato cujusque judicio relinquendam minimè existimamus, ne lex incertis conjecturis, et opinionibus jactata in sensus à mente nostra alienos forsitan distrahatur, ejusque vigor paulatim langueat, atque enervetur: hæc est, quod nos omnem dubitandi rationem, quantum cum Domino possumus, de medio auferre cupientes, motu proprio, ac ex certa scientia, et matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine memoratam Constitutionem nostram cum omnibus, et singulis in ea contentis tenore præsentium, quatenus opus sit, confirmamus, illamque integrè, penitus, et omnino, atque ab illis, ad quos spectat, et pro tempore quodcumque spectabit, inviolabiliter, et inconcussè observari præcipimus, et mandamus. Præterea habita super his cum Venerabili Fratre nostro Vincentio Episcopo Prænestino sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali Petra nuncupato, Pœnitentiario nostro majori, ac dilectis filiis Officii Pœnitentiariæ Apostolicæ Ministris, qui rem jussu nostro maturè perpenderunt, deliberatione, motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus, edicimus, ac declaramus eadem « Constitutione singulis, ut supra, Sacerdotibus, quemadmodum interdicitum non est in mortis articulo personam in prædicto turpi peccato complicem confitentem audire, atque ab hujusmodi quoque culpa ritè contritam absolvere, deficiente tunc quocumque alio Sacerdote, qui Confessarii manus obire possit, ita interdici re ipsa, et prohiberi prædicto modo tunc audire, et absolvere, ut si alius aliquis Sacerdos non defuerit, etiamsi forte iste alius simplex tantummodo Sacerdos fuerit, sive aliàs ad confessiones audiendas non approbatus, possit nihilominus ipse Sacerdos simplex confessionem excipere ac absolutionem impartiri. Porro, si casus urgentis qualitas, et concurrentes circumstantiæ, quæ vitari non possint, ejusmodi fuerint, ut

» alius Sacerdos ad audiendam constitutæ in dicto articulo per-
 » sonæ confessionem vocari, aut accedere sine gravi aliqua exo-
 » ritura infamia, vel scandalo nequeat, tunc alium Sacerdotem
 » perinde haberi, censerique posse, ac si revera abesset, atque
 » deficeret: ac proinde in eo rerum statu non prohiberi socio
 » criminis Sacerdoti absolutionem poenitenti ab eo quoque crimi-
 » mine impertiri. Sciat autem complex ejusmodi Sacerdos, et
 » seriò animadvertat. fore se re ipsa coram Deo, qui irrideri
 » non potest. reum gravis adversus prædictam nostram Consti-
 » tutionem inobedientiæ, latisque in ea poenis obnoxium, si præ-
 » dictæ infamiæ, aut scandali pericula sibi utro ipse contingat,
 » ubi non sunt: imò intelligat, teneri se graviter hujusmodi
 » pericula, quantum in se erit, averttere, vel removere oppor-
 » tunis adhibitis mediis, unde fiat, ut alteri cuivis Sacerdoti
 » locus pateat illius confessionis absque ullius infamia, vel scan-
 » dalo audiendæ. Ita enim ipsum teneri vigore memoratæ nos-
 » træ Constitutionis declaramus, et nunc quoque ita ipsi facien-
 » dum esse districtè mandamus, et præcipimus. Quòd si idem
 » Sacerdos aut quovis modo sese nulla gravi necessitate compul-
 » sus ingesserit, aut ubi infamiæ, vel scandali periculum ti-
 » metur, si alterius Sacerdotis opera requirenda sit, ipse ad id
 » periculum avertendum congrua media adhibere de industria
 » neglexerit, atque ita personæ in dicto crimine complicitis, eoque
 » in articulo, ut præfertur, constitutæ Sacramentalem confessio-
 » nem excipere, ab eoque crimine absolutionem largiri nulla,
 » sicut præmittitur, necessaria causa cogente præsumpserit,
 » quamvis hujusmodi absolutio valida futura sit, dummodo ex
 » parte poenitentis dispositiones à Christo Domino ad Sacramenti
 » poenitentiae valorem requisitæ non defuerint (non intendimus
 » enim pro formidando mortis articulo eidem Sacerdoti, quan-
 » tumvis indigno, necessariam jurisdictionem auferre, ne hac
 » ipsa occasione aliquis pereat): nihilominus Sacerdos ipse vio-
 » late ausu ejusmodi temerario legis poenas nequaquam effugiet,
 » ac propterea latam in dicta Constitutione majorem excommuni-
 » cationem, eodemque plane modo, quo ibidem decernitur, no-
 » bis, et huic sanctæ Sedi reservatam incurret, prout illum eo
 » ipso incurrere declaramus, volumus, atque statimus. Non obs-
 » tantibus omnibus, et singulis illis, quæ in præfata nostra Cons-
 » titutione volumus non obstare, cæterisque contrariis quibus-
 » cumque. » Volumus autem, ut earumdem præsentium Litterarum
 » transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus
 » Notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in ecclesiastica di-
 » gnitate constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, et extra
 » illud ubique locorum habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus
 » si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam
 » Mariam Majorem sub annulo Piscatoris, die octava Februarii,
 » anno millesimo septingentesimo quadragésimo quinto, Pontifi-
 » catûs nostri anno quinto.

poribus ad earum litterarum interpretationem, ac declarationem plura subinde à Congregatione Vener. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium sub die XI mensis Februarii anno Domini MDCLXI. prodierunt decreta, et à rec. mem. Alexandro PP. VII. pariter Prædecessore nostro in Congregatione Generali die 24 Septembr. MDCLXV. coram eo habita, inter alias ab evangelica veritate et sanctorum Patrum doctrina alienas, et dissonas propositiones, sexta videlicet et septima, huc revocandæ, damnatæ, et prohibitæ fuerunt. Nos itaque maturè perpendentes, quanti momenti sit ad æternam animarum salutem ea ubique exactè observari, et quanti ad infirmas oves curandas et decorem S. Ecclesiæ Dei retinendum intersit, ne aliqui Sacerdotes Pœnitentiæ Sacramento nefariè abutentes pœnitentibus pro curatione vulnus, pro pane lapidem, pro pisce serpentem, pro medicina venenum porrigant; sed animo secum recolentes, se à Christo Domino Præsides, et Judices animarum constitutos, ea sanctitate, quæ sublimitati, ac dignitati muneris convenit, tam venerandum Sacramentum administrent: motu proprio, et ex certa scientia, ac matura deliberatione nostra præfatas litteras hujusmodi, ac omnia, et singula decreta prædicta ad illarum interpretationem, et declarationem emanata Apostolica auctoritate tenore præsentium approbamus, et confirmamus, illisque omnibus, et singulis inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus; atque etiam, quatenus opus sit, denuo committimus, et mandamus omnibus locorum Ordinariis omnium Regnorum, Provinciarum, civitatum, dominiolorum, et locorum universi orbis Christiani in suis respectivè Diocesisibus, ut diligenter, omnique humano respectu postposito, inquirent, et procedant contra omnes, et singulos Sacerdotes, tam sæculares, quàm regulares quomodolibet exemptos, ac Sede Apostolicæ immediatè subjectos, quorumcumque Ordinum, Institutorum, Societatum, et Congregationum, et cujuscumque dignitatis, et præeminentis, aut quovis Privilegio, et indulto munitos, « qui aliquem pœnitentem, « quæcumque persona illa sit, vel in actu Sacramentalis Confessionis, vel ante, vel immediatè post Confessionem, vel occasione, aut prætextu Confessionis, vel etiam extra occasionem « Confessionis in Confessionali sive in alio loco ad Confessiones « audiendas destinato, aut electo simulatione audiendi ibidem « Confessionem, ad inhonesta et turpia sollicitare, vel provocare, sive verbis, sive signis, sive nutibus, sive tactu, sive per « scripturam, aut tunc, aut post legendam tentaverint, aut cum « eis illicitos et inhonestos sermones, vel tractatus temerario « ausu habuerint: » et quos in aliquo ex hujusmodi nefariis excessibus culpabiles repperint, in eos pro criminum qualitate et circumstantiis severè animadvertant per condignas pœnas juxta memoratam Gregorii Prædecessoris nostri Constitutionem, quam hæc de verbo ad verbum pro inserta haberi volumus: dantes etiam, si opus sit, et rursus concedentes facultatem, ne delictum tam enorme, et Ecclesiæ Dei injuriosum remaneat ob probatio-

nam defectum impunitum, jam aliàs in præfata Constitutione tributam procedendi cum testibus etiam singularibus, dummodo præsumptiones, indicia, et alia adminicula concurrant.

« Meminerint præterea omnes, et singuli Sacerdotes ad Con-
 fessiones audiendas constituti, teneri se, ac obligari suos pœni-
 tentes, quos noverint fuisse ab aliis, ut supra, sollicitatos, sedulo
 monere juxta occurrentium casuum circumstantias de obliga-
 tione denunciandi locorum Ordinariis prædictis, personam,
 quæ sollicitationem commiserit, etiamsi Sacerdos sit, qui juris-
 dictione ad absolutionem validè impertiendam careat, aut sol-
 licitatione inter Confessarium, et pœnitentem mutua fuerit, sive
 sollicitationi pœnitens consenserit, sive consensum minimè
 præstiterit, vel longum tempus post ipsam sollicitationem jam
 effluerit, aut sollicitatio à Confessario, non pro se ipso, sed
 pro alia persona peracta fuerit. Caveant insuper diligenter
 Confessarii, ne pœnitentibus, quos noverint jam ab alio sollici-
 tatos, Sacramentalem absolutionem impertiant, nisi priùs de-
 nunciationem prædictam ad effectum perducentes delinquentem
 indicaverint competenti Judici, vel saltem se, cum primùm
 poterunt, delaturos spondeant, ac promittant.

« Et quoniam improbi quidam homines reperiuntur, qui vel
 odio, vel ira, vel alia indigna causa commoti, aliorum impiis
 suasionibus aut promissis, aut blanditiis, aut minis, aut alio
 quovis modo incitati, tremendo Dei judicio posthabito, et Ec-
 clesiæ auctoritate contempta, innoxios Sacerdotes apud eccle-
 siasticos Judices falsò sollicitationis insimulant : ut igitur tam
 nefaria audacia, et tam detestabile facinus metu magnitudinis
 pœnæ coerceatur, quæcumque persona, quæ execrabili hujus-
 modi flagitio se inquinaverit, vel per seipsum innocentes Con-
 fessarios impiè calumniando, vel scelestè procurando, ut id ab
 aliis fiat, à quocumque Sacerdote quovis privilegio, auctoritate,
 et dignitate munito, præterquam à nobis, nostrisque successo-
 ribus, nisi in fine vitæ, et excepto mortis articulo, spe absolu-
 tionis obtinendæ, quam nobis, et successoribus prædictis reser-
 vamus, perpetuò careat. »

Demum magnopere cupientes à Sacerdotalis Judiciù, et Sacri
 tribunalis sanctitate omnem turpitudinis occasionem, et Sacra-
 mentorum contemptum, et Ecclesiæ injuriam longè summovere
 et tam exitiosa hujusmodi mala prorsus eliminare, et quantum
 in Domino possumus, animarum periculis occurrere, quas sacrilegi
 quidam dæmonis potius, quam Dei ministri, loco eas per
 Sacramentum Creatori suo, ac nostro reconciliandi, « majori pec-
 catorum mole onerantes in profundum iniquitatis barathrum
 nefarie submergant, nonnullorum Venerabilium Fratrum pos-
 trorum S. R. E. Cardinalium et aliquorum in Theologia Ma-
 gistorum consilio desuper adhibito, accedentibus quoque ite-
 ratim plurium Episcoporum supplicationibus, hac nostra in
 perpetuum valitura sanctione, quemadmodum à pluribus Epi-
 scopis per Synodales suas Constitutiones jam factum esse novi-

Sanè cum nos aliàs per quamdam nostram Constitutionem, cujus initium est, *Sacramentum penitentiae*, anno Incarnationis Domini millesimo septingentesimo quadragésimo primo Kal. Junii Pontificatùs nostri anno primo editam, omnibus, et singulis Sacerdotibus tam sæcularibus, quam regulatibus interdixerimus, et prohibuerimus, « ne aliquis eorum, extra easam extreme necessitatis, nimirum in ipsius mortis articulo, et deficiente tunc quocumque alio Sacerdote, qui Confessarii munus obire possit, » Confessionem Sacramentalem personæ complicitis in peccato turpi atque inhonesto, contra sextum Decalogi præceptum commissò, excipere auderet; ita ut absolutio, si quam impertivisset, nulla, atque irrita omnino esset, tanquam impertita à Sacerdote, qui jurisdictione et facultate, ad validè absolvendum necessaria, ipsi per nos vigore ejusdem Constitutionis adempta, privatus existeret, et aliàs prout in memorata Constitutione, cujus tenorem præsentibus pro plenè et sufficienter expresso et inserto haberi volumus, uberius dicitur contineri. Cum nos subinde super ea dictæ Constitutionis parte, quæ mortis articulum respicit, dubitationes quasdam exortas fuisse acceperimus, quarum resolutionem privato cujusque judicio relinquendam minimè existimamus, ne lex incertis conjecturis, et opinionibus jactata in sensus à mente nostra alienos forsitan distrahatur, easque vigor paulatim langueat, atque enervetur: hinc est, quòd nos omnem dubitandi rationem, quantum cum Domino possumus, de medio auferre cupientes, motu proprio, ac ex certa scientia, et matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine memoratam Constitutionem nostram cum omnibus, et singulis in ea contentis tenore præsentium, quatenus opus sit, confirmamus, illamque integrè, penitus, et omnino, atque ab illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter, et inconcussè observari præcipimus, et mandamus. Præterea habita super his cum Venerabili Fratre nostro Vincentio Episcopo Prænestino sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali Petra nuncupato, Pœnitentiario nostro majori, ac dilectis filiis Officii Pœnitentiariæ Apostolicæ Ministris, qui rem jussu nostro mature perpenderunt, deliberatione, motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus, edicimus, ac declaramus eadem « Constitutione singulis, ut supra, Sacerdotibus, quemadmodum interdicitum non est in mortis articulo personam in prædicto turpi peccato complicitem consistentem audire, atque ab hujusmodi quoque culpa ritè contritam absolvere, deficiente tunc quocumque alio Sacerdote, qui Confessarii munus obire possit, ita interdici re ipsa, et prohiberi prædicto modo tunc audire, et absolvere, ut si alius aliquis Sacerdos non defuerit, etiamsi forte iste alius simplex tantummodo Sacerdos fuerit, sive aliàs ad confessiones audiendas non approbatus, possit nihilominus ipse Sacerdos simplex confessionem excipere ac absolutionem impartiri. Porro, si casus urgentis qualitas, et concurrentes circumstantiæ, quæ vitari non possint, ejusmodi fuerint, ut

» alius Sacerdos ad audiendam constitutæ in dicto articulo per-
 » sonæ confessionem vocari, aut accedere sine gravi aliqua exo-
 » ritura infamiae, vel scandalo nequeat. tunc alium Sacerdotem
 » perinde haberi, censerique posse, ac si revera abesset, atque
 » deficeret: ac proinde in eo rerum statu non prohiberi socio
 » criminis Sacerdoti absolutionem poenitenti ab eo quoque crimi-
 » mine impertiri. Sciat autem complex ejusmodi Sacerdos, et
 » serio animadvertat. fore se re ipsa coram Deo, qui irrideri
 » non potest. reum gravis adversus prædictam nostram Consti-
 » tutionem inobedientiæ, latisque in ea poenis obnoxium, si præ-
 » dictæ infamiae, aut scandali pericula sibi ultro ipse coningat,
 » ubi non sunt: imò intelligat, teneri se graviter hujusmodi
 » pericula, quantum in se erit, avertere, vel remove oportu-
 » nis adhibitis mediis, unde fiat, ut alteri cuivis Sacerdoti
 » locus pateat illius confessionis absque ullius infamiae, vel scan-
 » dalo audiendæ. Ita enim ipsum teneri vigore memoratæ nos-
 » træ Constitutionis declaramus, et nunc quoque ita ipsi facien-
 » dum esse districtè mandamus, et præcipimus. Quòd si idem
 » Sacerdos aut quovis modo sese nulla gravi necessitate compul-
 » sus ingesserit, aut ubi infamiae, vel scandali periculum ti-
 » metur, si alterius Sacerdotis opera requirenda sit, ipse ad id
 » periculum avertendum congrua media adhibere de industria
 » neglexerit, atque ita personæ in dicto crimine complicitis, eoque
 » in articulo, ut præfertur, constitutæ Sacramentalem confessio-
 » nem excipere, ab eoque crimine absolutionem largiri nulla,
 » sicut præmittitur, necessaria causa cogente præsumperit,
 » quamvis hujusmodi absolutio valida futura sit, dummodo ex
 » parte poenitentis dispositiones à Christo Domino ad Sacramenti
 » poenitentiae valorem requisitæ non defuerint (non intendimus
 » enim pro formidando mortis articulo eidem Sacerdoti, quan-
 » tumvis indigno, necessariam jurisdictionem auferre, ne hac
 » ipsa occasione aliquis pereat): nihilominus Sacerdos ipse vio-
 » latæ ausu ejusmodi temerario legis poenas nequaquam effugiet,
 » ac propterea latam in dicta Constitutione majorem excommuni-
 » cationem, eodemque plane modo, quo ibidem decernitur, no-
 » bis, et huic sanctæ Sedi reservatam incurret, prout illum eo
 » ipso incurrere declaramus, volumus, atque statuimus. Non obs-
 » tantibus omnibus, et singulis illis, quæ in præfata nostra Cons-
 » titutione voluimus non obstare, cæterisque contrariis quibus-
 » cumque. » Volumus autem, ut earumdem præsentium Litterarum
 » transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus
 » Notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in ecclesiastica di-
 » gnitate constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, et extra
 » illud ubique locorum habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus
 » si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam
 » Mariam Majorem sub annulo Piscatoris, die octava Februarii,
 » anno millesimo septingentesimo quadragésimo quinto, Pontifi-
 » catûs nostri anno quinto.

DECRETUM III.

Contra sollicitantes, et Sacrificio Missæ abutentes.

In Generali Congregatione sanctæ Romanæ et universalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico Quirinali coram Sanctissimo Domino nostro Domino BENEDICTO Divina Providentia Papa XIV, et Eminentiss. ac Reverendis. DD. S. R. E. Cardinalibus adversus hæreticam pravitatem Inquisitoribus Generalibus à Sancta Sede Apostolica specialiter deputatis.

Sanctissimus Dominus noster sollicitè animadvertens, quàm grave sit delictum illorum perditorum hominum, qui sacrosancto Missæ Sacrificio, ac salutaris pœnitentiæ Sacramento, ad animarum reparationem à Christo Domino institutis, in illarum perniciem et damnationem abutuntur « decrevit, quòd in posterum » Sacerdotes tam sæculares, quàm regulares cujuscumque Ordinis, Instituti, Congregationis, et Societatis etiam de necessitate » exprimendæ, vel in actu Sacramentalis Confessionis sive illius » occasione, aut prætextu, ad turpia sollicitantes, vel Sacrificio » Missæ abutentes ad sortilegia, præter pœnas Jure, et Apostolicis Constitutionibus, et signanter San. Mem. Sixti V. et Gregorii XV. contra eosdem inflictas perpetuam etiam inhabilitationem incurrant ad præfati Sacrificii celebrationem; » quòdque ejusmodi Decretum significetur singulis cujuscumque Ordinis Superioribus, ac Præpositis, ad hoc, ut de illo, sicuti et de prædictis, aliisque Summorum Pontificum Constitutionibus juxta præscriptum in generali Decreto supremæ Inquisitionis die 15 Decembris 1633 semel saltem in anno, id est Feria sexta post octavam Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis in publica Mensa, vel in Capitulo ad hoc specialiter convocato, ac insuper in quocumque Generali, vel Provinciali Capitulo, vel alio quovis nomine nuncupato Capitulari congressu suos subditos, ac Religiosos commonendos curent, ejusdemque commonitionis coram suprema Congregatione juratum testimonium exhibeant.

DECRETUM IV.

Contra Confessarios exquirentes nomen Complicis.

Ubi primùm de perversa quadam et absurda praxi in Sacramento pœnitentiæ administrando apud nonnullos Confessarios in Portugalliæ et Algarbiorum Regnis introduci cœpta, non sine animi nostri dolore, nuntium accepimus non levi aliquo incertoque rumore ad nos perlatum, sed ita gravibus, solidisque fundamentis innixum, ut prudentem omnino fidem de periculi cum veritate, tum magnitudine facerent; prætermittere non potuimus, quin continuò datis ad Venerabiles Fratres eorumdem Regnorum ac Ditionum Archiepiscopos et Episcopos Apostolicis nostris Litteris, remedium nascenti malo quàm promptissimè adhiberemus. Earum verò Litterarum die septima mensis Julii superioris anni

millesimi septingentesimi quadragesimi quinti editarum, quas præsentī huic nostræ Constitutioni inserendas existimamus, hic tenor erat.

« Suprema omnium Ecclesiarum sollicitudo, et divina Jesu
 » Christi omnium Pastorum Principis, cujus vices plane imme-
 » rentes gerimus, charitas assidue urget nos, ut pro commissa
 » divinitus imbecillitati nostræ universi Dominici gregis cura
 » semper advigilantes, periculis animarum, sicubi fortè superim-
 » penderit, per omnes Christiani Orbis populos ac nationes
 » opportunè, quantum cum Domino possumus, occurramus, atque
 » iis præcipuè Regnis, et locis peculiari quodam Apostolicæ nos-
 » træ charitatis studio, auctoritatisque providentia consulamus,
 » in quibus cum fides, religio, pietas quàm maximè floreat, cal-
 » lidus humani generis hostis nocere fidelibus dum aperto bello
 » desperat, per insidias molitur, in Angelum scilicet sese lucis
 » transfigurans, et ementita boni specie incautus illudens, qua ex
 » arte non minora sæpe animarum detrimenta, quàm ex aggres-
 » sione manifesta, esse proventura nequissimus veterator confidit.
 » In harum autem fraudum numero computamus, quod in flo-
 » rentissimis Portugalliæ, et Algarbiorum Regnis et ditionibus,
 » quibus vos Antistites summa cum Sacerdotalis virtutis vestræ
 » commendatione præsidetis, et quibus pro singulari erga Ca-
 » tholicam Ecclesiam, atque Apostolicam hanc sanctam Sedem
 » observantia meritæ debentur laudes, nuper evenisse non sine
 » ingenti animi nostri dolore cognovimus. » Pervenit enim haud
 » ita pridem ad aures nostras, nonnullos istarum partium Confes-
 » sarios falsa zeli imagine seduci se passos, sed à zelo secundum
 » scientiam longè aberrantes, perversam quamdam, et perniciosam
 » praxim in audiendis Christi fidelium confessionibus, et in salu-
 » berrimo pœnitentiæ Sacramento administrando, invehere atque
 » introducere cœpisse; ut videlicet, si fortè in pœnitentes incidis-
 » sent socium criminis habentes, ab iisdem pœnitentibus socii hu-
 » jusmodi, seu complicitis nomen passim exquirerent; atque ad illud
 » sibi revelandum non inducere modò suadendo conarentur; sed,
 » quod detestabilius est, denunciata quoque, nisi revelarent, abso-
 » lutionis Sacramentalis negatione, prorsus adigerent, atque com-
 » pellerent: imò etiam complicitis ejusdem nedum nomen, sed ha-
 » bitationis insuper locum sibi exigerent designari. « Quam illi qui-
 » dem intolerandam imprudentiam tum procurandæ complicitis
 » correctionis aliorumque bonorum colligendorum specioso præ-
 » textu colorare, tum emendicatis quibusdam Doctorum opinio-
 » nibus defendere non dubitarent; cum revera opiniones hujus-
 » modi vel falsas, et erroneas sequendo, vel veras, et sanas malè
 » applicando, perniciem tam suis, quàm pœnitentium animabus
 » conscierent; ac sese præterea plurium gravium damnorum,
 » quæ inde facile consecutura fore prævidere debuerant, reos co-
 » ram Deo æterno iudice constituerent. Et verò jam secuta fuisse
 » multa ejusmodi damna infelici experientia compertum est: nec
 » fieri potuit, quin ea de causa, et oblocutiones, et scandala, et

» non Ministrorum tantum, sed sacri etiam ipsius ministerii
 » odium, et amorem ingens conturbatio in populo fidei erecta
 » sint. Tristia nos hæc nunca cum accepimus, simul audivimus,
 » contra exitialem hujusmodi abusum protinus iusta indignatione
 » pro munere suo commotos fuisse dilectos Filios nostros S. R. E.
 » Cardinales Nunum à Canha in iisdem Portugaliæ, et Algar-
 » biorum Regnis Generalem Inquisitorem, et Thomam de Al-
 » meida Patriarcham Lisbonensem, atque utrumque sollicitè
 » gliscenti malo conspescendo, atque etiam eradicando allaborasse.
 » Nos autem, ne in tam gravi amararum discrimine ulla ex parte
 » Apostolico nostro Ministerio deesse videamur, neve mentem hæc
 » sæper re nostram apud vos obscuram et ambigam esse ana-
 » mus; » notum vobis esse volumus, memoratam superiùs præxim
 » penitus reprobendam esse, eandemque à nobis per præsentis
 » nostras in forma Brevis Litteras reprobari, atque damnari, tan-
 » quam scandalosam, et perniciosam, ac tam famæ proximorum,
 » quam ipsi etiam Sacramento injuriosam, tendentemque ad sacro-
 » sancti sigilli Sacramentalis violationem, atque ab ejusdem peni-
 » tentiæ Sacramenti tantopere proficuo, et necessario usu fideles
 » abalienantem. « Eapropter, Venerabiles Fratres, quamquam de
 » pastoralis vestra vigilantia nihil est, quod dubitemus: supremi
 » iamen officii quoque nostri esse censemus, alacritatem ipsam
 » vestram hæc Mentis nostræ aperta significatione, et Apostolicis
 » insuper hortationibus nostris intentius acuere, et excitare, ut
 » pro se quisque vestrum opportunioribus, quascumque prædientia
 » suggesserit, initis rationibus, et efficacioribus quibusque juris
 » remediis, quoad opus fuerit, contra delinquentes Ministros
 » adhibitis, noxiam hujusmodi novitatem strenuè insectemini,
 » ac pene nascentem opprimatis, neque patiamini traditis curæ
 » vestræ ovibus ibi offendiculam parari, ubi salus à Christo po-
 » sita est, ab eoque divinæ misericordiæ fonte illas averti, ac de-
 » terreri, ad quem ab eodem Redemptore nostro ad abluendas,
 » dealbandasque in sanguine suo animas amantissimè invitantur.
 » Interea, dum à zelo vestro, ac prudentia luculentiora nobis certo
 » pollicemur vestræ pietatis et observantiæ argumenta, Aposto-
 » licam Benedictionem cum uberrima celestium charismatum
 » copia conjunctam vobis, Venerabiles Fratres, ex animo imper-
 » timur. Volumus autem, ut præsentium transumptis, sive exem-
 » plis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis,
 » et sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis,
 » eadem prorsus ubique fides adhibeatur, quæ præsentibus adhi-
 » beretur, et adhiberi posset, si forent exhibitæ, vel ostensæ.
 » Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub annulo
 » Piscatoris die VII mensis Julii MDCCXLV, Pontificatûs nos-
 » tri anno quinto. *Cajetanus Amatus.* »

Has porro nos Litteras in forma Brevis tunc datas iterum præ-
 sentibus nostris confirmamus, et roboramus, easque ab omnibus,
 et singulis fideliter, exactèque observari iungimus, atque præ-
 cipimus.

« Statuentes insuper, ac decernentes, ut quicumque cujusvis
 » status, gradus, conditionis, dignitatis, et ordinis. etiam speciali
 » et individua, ad effectum ut hisce nostris presentibus com-
 » prehendantur, mentione et expressione digni, ausus in posterum
 » fuerit docere licitam esse hujusmodi praxim, propterea in relato
 » nostro Brevi exponitur ac reprobatur, vel scribere, aut loqui
 » præsumpserit in ejusdem damnatæ praxis defensionem; vel ea,
 » quæ in dicto Brevi contra eandem praxim decreta sunt, im-
 » pugnare, aut in alienos sensus temere detorqueere, seu inter-
 » pretari, incidat ipso facto in excommunicationem, à qua non
 » possit, præterquam in articulo mortis, ab alio, quacumque
 » etiam dignitate fulgente, vel auctoritate suffulto, nisi à nobis,
 » vel à pro tempore existente Romano Pontifice, absolvi. »

Et quia non modò cavendum est, ut, quæ sunt à nobis in
 præinsertis Litteris decreta, ab omni impugnatione, contradic-
 tione, pravaque interpretatione salva sint, et immunia, veram
 etiam, ne quis in Sacramenti Pœnitentiæ administratione ab
 eorum omnimoda observantia unquam recedat; idcirco omnibus
 et singulis Confessariis utriusque Cleri tam sæcularis, quam regu-
 laris, quantumvis exempti, et quacumque speciali et expressa
 mentione aliàs fortasse nominandi, graviter et districtè, divini
 interminatione judicii, atque in virtute sanctæ obedientiæ, pro-
 hibemus, « ne conformiter ad prædictam reprobam praxim
 » pœnitentes, qui peccatum, seu crimen aliquod, cujus sociam,
 » aut socios habuerint, ipsis in Tribunali Pœnitentiæ confiteantur,
 » interrogare præsument de nomine socii, seu complicitis, locò
 » habitationis, vel aliis hujusmodi adjunctis, sive circumstantiis,
 » expressionem, magisque individuum ejusdem complicitis mani-
 » festationem concernentibus; eidem pœnitenti, si manifestare
 » renuerit, Sacramentalem absolutionem denegando: alioquin
 » noverint sese, ultra peccati lethalis incursum, suspensionem ab
 » officio audiendarum confessionum, aliisque etiam gravioribus
 » pœnis fore subijciendos. »

Præterea quoniam contra damnatam hujusmodi exitialem
 abusam, ne cum animarum pernicie radices agat, necesse duci-
 mus modum, ac formam etiam in foro externo procedendi, et
 ultiores adversus reos pœnas imponendi, statuere, atque ordinare;
 omnesque super hoc exorturas, vel etiam jam exortas dissen-
 siones componere, et penitus amputare; volumus, decernimus,
 ac declaramus, « quòd docentes, ut supra, licitam esse praxim à
 » nobis jam reprobam, vel in ejusdem praxis defensionem
 » scribentes, aut loquentes, vel ejusdem reprobationem in me-
 » morato nostro Brevi contentam impugnantes, aut perversè
 » interpretantes, in Officio sanctæ Inquisitionis prædictorum
 » Regnorum atque ditionum severè puniantur, et contra eos, et
 » eorum quemlibet in eodem Officio procedatur, non minus ac
 » contra filios ibidem procedi solet, qui asserunt, tradunt, tenentur
 » opiniones scandalosæ, perniciosas, et uti tales à Sede Aposto-
 » lica rejectas, et condemnatas.

« Similiter in eodem Officio procedendum erit et procedi
 » volumus ac statuimus contra Confessarios quoque, ut supra
 » delinquentes, ac de nomine complices pœnitentem interro-
 » gantes, eidemque pœnitenti, nisi illud sibi manifestet, absolu-
 » tionem denegantes. Dummodo tamen hujusmodi interrogandi,
 » ac denegandi actus talibus circumstantiis conjunctus sit, ac con-
 » vestitus, quæ sic agentem Confessarium de adhæsione ad præ-
 » dictam reprobata[m] praxim, tamquam ad licitam, vel alio quo-
 » vis modo de prava credulitate suspectum reddant.»

Itaque contra prædictos omnes et singulos delinquentes tam
 sæculares, quàm quorumvis etiam quomodolibet exemptorum,
 ac sedi Apostolicæ immediatè subjectorum Ordinum, Institutio-
 rum, Societatum, et Congregationum Regulares, cujuscumque
 dignitatis, ac præeminentiæ, aut quovis privilegio muniti exis-
 tant, et quorum specialis et nominatim mentio facienda sit,
 prædictorum regnorum, ac ditionum Inquisitores, potestate à
 nobis tradita, et quatenus opus sit, præsentium tenore de novo
 concessa, prout in causis fidei, juxta sacrorum Canonum formam,
 nec non sancti Officii Inquisitionis hujusmodi constitutio-
 nes, privilegia, consuetudines, et decreta, diligenter inquirent,
 et procedant, et quos in aliquo ex hujusmodi excessibus culpa-
 biles repperint, in eos, pro criminum qualitate, et circumstan-
 tantiis, suspensionis ab officio confessiones audiendi, vel etiam
 ab executione Ordinum, privationis Beneficiorum, Dignitatum,
 ac perpetuæ inhabilitatis ad illa, nec non vocis activæ ac passivæ,
 si Regulares fuerint, aliasque pœnas decernant; omnes etiam,
 vel earum tantùm aliquas, in perpetuum, vel ad tempus infligendo.

« Quicumque verò alium quemlibet aliquo ex supradictis mo-
 » dis deliquisse cognoverint, eum intra terminum dierum, in
 » Edictis sancti Officii ejusmodi Inquisitionis præfigi solitum,
 » eidem sancto Officio denunciare teneantur: alioquin pœnas
 » non denunciantibus per eadem Edicta infligi consuetas incur-
 » rant. Verumtamen ab hujusmodi onere denunciandi justis de
 » causis eximi volumus et eximimus personam ipsam pœnitentem
 » dumtaxat in causa propria, id est in casu, quòd suum peccatum
 » confitens, à Confessario adigatur ad sibi manifestandum no-
 » men complices in eodem peccato: tunc enim pœnitentem hu-
 » jusmodi ab obligatione eundem Confessarium denunciandi
 » liberamus. Sed quando aliunde, quàm ex propria, ut dictum
 » est, confessione, noverit Confessarium aliquo ex superius enu-
 » meratis, et sancto Officio denunciandis modis deliquisse, tunc
 » eum et ipse denunciare ex ista aliunde habita notitia teneatur.

« Quòd si Confessarii de complices nomine perperam interro-
 » gantis, absolutionemque, ni sibi detegatur, denegantis actum
 » contingat ejusmodi esse, ut, quamvis imprudens, et malus,
 » simplex tamen quidam, et nudus actus fuerit, id est iis cir-
 » cumstantiis destitutus, quæ de prava credulitate, vel de mala
 » adhæsione ad praxim in sæpe dicto nostro Brevi reprobata[m]

» tamquam ad licitam, eundem Confessarium suspectum red-
 » dant; tunc istiusmodi delictum, neque denuntiationis oneri,
 » neque sancti Officii prædicti cognitioni subjectum erit; sed de
 » illo cognoscere, atque in delinquentem Confessarium per sus-
 » pensionem ab audiendis confessionibus, vel alias canonicas et
 » legitimas pœnas pro delicti modo animadvertere, ad locorum
 » Ordinarios in sua cujusque Diœcesi omnino spectabit. »

His igitur circa ordinem, formam, modumque contra ejusmodi delinquentes procedendi, ut præfertur, constitutis, ac suis unicuique Judici ecclesiastico juribus assignatis, et distributis; hanc nos deinceps regulam ab omnibus observari ac custodiri volumus, et mandamus, si quando talia delicta deprehendi contigerit, quæ tamen haud unquam posthac eventura in Domino confidimus, accedente insuper præclara inclytæ Lusitanæ nationis universæ erga Sedem Apostolicam observantia et obedientia, nec non eximia tum istius sanctæ Inquisitionis Officii, tum cujusque loci Ordinariorum nunquam defutura vigilantia. Quapropter quæcumque aliter, quam præsentibus nostris decrevimus et constituimus, sive in Edictis præfati Officii Inquisitionis, sive in quibuslibet quorumvis Ordinariorum mandatis, aut pastoralibus Litteris, vel decretis antehac statuta prodierunt, ea nos, quoniam post Apostolicam hanc à nobis propositam agendi, seu judicandi normam, minus necessaria fore censemus, desinere jam, et cessare, ac, veluti nunquam emanassent, omnem obligandi vim amittere, motu proprio et ex certa scientia, deque Apostolicæ potestatis plenitudine declaramus, statuimus, atque sancimus.

Decernentes easdem præinsertas, nec non præsentibus nostras Litteras, et in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quòd quicumque cujusvis status, gradus, ordinis, præminentia, et dignitatis existant, seu aliàs speciali et individua mentione et expressione digni, in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, et auditi, neque causæ, propter quas tum præinsertæ, tum præsentibus emanaverint, sufficienter adductæ, verificatæ, et justificatæ fuerint, aut ex alia qualibet etiam privilegiata causa, colore, prætextu, et capite, de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, vel interesse habentium consensus, aliove quolibet defectu notari, impugnari, aut in controversiam vocari posse; sed ipsas præsentibus, easdemque præfatas in forma Brevis Litteras, firmas, validas, et efficaces existere et fore; suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et ab omnibus et singulis præmissis, ad quos spectat, seu pro tempore spectabit, exactè, et inviolabiliter observari.

Sicque et non aliter in præmissis censi, atque ita per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam S. R. E. Cardinales, et contra hæreticam pravitatem Generales Inquisitores, Legatos quoque de latere, et Apostolicæ Sedis Nuntios, aliosve quoslibet quacumque auctoritate, potestate, et præeminentia fungentes et functuros, sublata eis, et eorum cuilibet aliter judi-

« Similiter in eodem Officio procedendum erit et procedi
 » volumus ac statuimus contra Confessarios quoque, ut supra
 » delinquentes, ac de nomine complicitis pœnitentem interro-
 » gantes, eidemque pœnitenti, nisi illud sibi manifestet, absolu-
 » tionem denegantes. Dummodo tamen hujusmodi interrogandi,
 » ac denegandi actus talibus circumstantiis conjunctus sit, ac con-
 » vestitus, quæ sic agentem Confessarium de adhæsione ad præ-
 » dictam reprobam praxim, tamquam ad licitam, vel alio quo-
 » vis modo de prava credulitate suspectum reddant.»

Itaque contra prædictos omnes et singulos delinquentes tam
 sæculares, quàm quorumvis etiam quomodolibet exemptorum,
 ac sedi Apostolicæ immediatè subjectorum Ordinum, Institutio-
 rum, Societatum, et Congregationum Regulares, cujuscumque
 dignitatis, ac præeminentiæ, aut quovis privilegio muniti existant,
 et quorum specialis et nominatim mentio facienda sit, prædictorum regnorum, ac ditionum Inquisitores, potestate à
 nobis tradita, et quatenus opus sit, præsentium tenore de novo
 concessa, prout in causis fidei, juxta sacrorum Canonum formam,
 nec non sancti Officii Inquisitionis hujusmodi constitutiones,
 privilegia, consuetudines, et decreta, diligenter inquirent,
 et procedant, et quos in aliquo ex hujusmodi excessibus culpabiles
 reppererint, in eos, pro criminum qualitate, et circumstantiis,
 suspensionis ab officio confessiones audiendi, vel etiam ab executione
 Ordinum, privationis Beneficiorum, Dignitatum, ac perpetuæ
 inhabilitatis ad illa, nec non vocis activæ ac passivæ, si Regulares
 fuerint, aliasque pœnas decernant; omnes etiam, vel earum tantum
 aliquas, in perpetuum, vel ad tempus infligendo.

« Quicumque verò alium quemlibet aliquo ex supradictis modis
 » deliquisse cognoverint, eum intra terminum dierum, in
 » Edictis sancti Officii ejusmodi Inquisitionis præfigi solitum,
 » eidem sancto Officio denunciare teneantur: alioquin pœnas
 » non denunciantibus per eadem Edicta infligi consuetas incur-
 » rant. Verumtamen ab hujusmodi onere denunciandi justis de
 » causis eximi volumus et eximimus personam ipsam pœnitentem
 » dumtaxat in causa propria, id est in casu, quòd suum peccatum
 » confitens, à Confessario adigatur ad sibi manifestandum nomen
 » complicitis in eodem peccato: tunc enim pœnitentem hujusmodi
 » ab obligatione eundem Confessarium denunciandi liberamus.
 » Sed quando aliunde, quàm ex propria, ut dictum est, confessione,
 » noverit Confessarium aliquo ex superius enumeratis, et sancto
 » Officio denunciandis modis deliquisse, tunc eum et ipse denunciare
 » ex ista aliunde habita notitia teneatur.

« Quòd si Confessarii de complicitis nomine perperam interrogantis,
 » absolutionemque, ni sibi detegatur, denegantis actum contingat
 » ejusmodi esse, ut, quamvis imprudens, et malus, simplex tamen
 » quidam, et nudus actus fuerit, id est iis circumstantiis destitutus,
 » quæ de prava credulitate, vel de mala adhæsione ad praxim in sæpe dicto nostro Brevi reprobam,

» tamquam ad licitam, eundem Confessarium suspectum red-
 » dant; tunc istiusmodi delictum, neque denuntiationis oneri,
 » neque sancti Officii prædicti cognitioni subjectum erit; sed de
 » illo cognoscere, atque in delinquentem Confessarium per sus-
 » pensionem ab audiendis confessionibus, vel alias canonicas et
 » legitimas pœnas pro delicti modo animadvertere, ad locorum
 » Ordinarios in sua cujusque Diœcesi omnino spectabit. »

His igitur circa ordinem, formam, modumque contra ejusmodi delinquentes procedendi, ut præfertur, constitutis, ac suis unicuique Judici ecclesiastico juribus assignatis, et distributis; hanc nos deinceps regulam ab omnibus observari ac custodiri volumus, et mandamus, si quando talia delicta deprehendi contigerit, quæ tamen haud unquam posthac eventura in Domino confidimus, accedente insuper præclara inclytæ Lusitanæ nationis universæ erga Sedem Apostolicam observantia et obedientia, nec non eximia tum istius sanctæ Inquisitionis Officii, tum cujusque loci Ordinariorum nunquam defutura vigilantia. Quapropter quæcumque aliter, quàm præsentibus nostris decrevimus et constituimus, sive in Edictis præfati Officii Inquisitionis, sive in quibuslibet quorumvis Ordinariorum mandatis, aut pastoralibus Litteris, vel decretis antehac statuta prodierunt, ea nos, quoniam post Apostolicam hanc à nobis propositam agendi, seu judicandi normam, minùs necessaria fore censemus, desinere jam, et cessare, ac, veluti nunquam emanassent, omnem obligandi vim amittere, motu proprio et ex certa scientia, deque Apostolicæ potestatis plenitudine declaramus, statuimus, atque sancimus.

Decernentes easdem præinsertas, nec non præsentibus nostras Litteras, et in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quòd quicumque cujusvis statûs, gradûs, ordinis, præminentia, et dignitatis existant, seu alias speciali et individua mentione et expressione digni, in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, et auditi, neque causæ, propter quas tum præinsertæ, tum præsentibus emanaverint, sufficienter adductæ, verificatæ, et justificatæ fuerint, aut ex alia qualibet etiam privilegiata causa, colore, prætextu, et capite, de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, vel interesse habentium consensus, aliove quolibet defectu notari, impugnari, aut in controversiam vocari posse; sed ipsas præsentibus, easdemque præfatas in forma Brevis Litteras, firmas, validas, et efficaces existere et fore; suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et ab omnibus et singulis præmissis, ad quos spectat, seu pro tempore spectabit, exactè, et inviolabiliter observari.

Sicque et non aliter in præmissis censi, atque ita per quoscumque judices ordinarios et delegatos, etiam S. R. E. Cardinales, et contra hæreticam pravitatem Generales Inquisitores, Legatos quoque de latere, et Apostolicæ Sedis Nuntios, aliosve quoslibet quacumque auctoritate, potestate, et præminentia fungentes et functuros, sublata eis, et eorum cuilibet aliter judi-

candi et interpretandi facultate, judicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his à quoquam scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus quibusvis Apostolicis, et in Universalibus, ac Provincialibus, aut Synodalibus Conciliis editis generalibus, sive specialibus Constitutionibus, et Ordinationibus, Editis quoque prædicti Inquisitionis Officii, et quorumcumque Ordinariorum, etiam Episcoporum et Metropolitanorum Mandatis, Litteris Pastoralibus, sive decretis, nec non ejusdem Officii, et quorumcumque Ecclesiarum etiam Episcopaliū et Metropolitanarum, et quorumcumque Ordinum, Congregationum, Religionum, et Institutorum, etiam Societatis JESU, aliisve quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, stilis, usibus, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et Litteris Apostolicis eidem Inquisitionis Officio, illiusque Inquisitoribus, Commissariis, aliisque Officialibus, tum etiam Ecclesiis, eorumque Prælatibus, Ordinibus, Congregationibus, Institutis, Societatibus, illorumque Superioribus, et personis quibuslibet, sub quibusvis verborum tenoribus et formis, et cum quibuscumque etiam efficacissimis et insolitis derogationibus, clausulis, atque decretis, etiam motu, et Apostolicæ potestatis plenitudine similibus, seu ad quorumcumque personarum, etiam Regia, aliave qualibet mundana, vel ecclesiastica potestate, fulgentiam instantiam, vel alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, confirmatis, et innovatis.

Quibus omnibus, et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores prædictos pro sufficienter et de verbo ad verbum expressis et insertis, formasque hujusmodi pro plenè et exactè observatis habentes, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expressè derogamus. Volumus autem, ut earundem præsentium transumptis etc. Datum in Arce Gandulphi Albanensis Diocesis anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quadragesimo sexto, quarto nonas Junii, Pontificatus nostri anno sexto.

DECRETUM V.

Super Oratoriis privatis.

Cùm duo Nobiles Conjuges Diocesis Marsicæ. obtinuissent à Sede Apostolica Indultum pro celebratione Missæ in privato suæ domûs Oratorio sic conceptum: « Dilecte filii, et dilecta in Christo
» filia salutem, et Apostolicam Benedictionem. Spirituali conso-
» lationi vestræ, quantum cum Domino possumus, benignè con-
» sulere, vosque spiritualibus favoribus, et gratis prosequi vo-
» lentes, et vestrùm singulares personas à quibusvis excommuni-
» cationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis

» sententiis, censuris, et poenis à jure, vel ab homine quavis
 » occasione, vel causa latis, si quibus, quomodolibet innodatas
 » existant, ad effectum præsentium damnatas consequendam
 » harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, supplica-
 » tionibus vestro nomine nobis super hoc humiliter porrectis in-
 » clinati, vobis, qui (ut asseritis) locorum Galliciani, et Messanelli
 » Marsiceni, seu alterius Diocesis jurisdictionem temporalem
 » in illis, seu eorum altero exercentes, Baro, et Baromissa respec-
 » tive existitis, ut in privatis domorum vestrarum habitationis in
 » Civitate, et Diocesi Marsicensi. existen. Oratoris ad hoc de-
 » center muro extractis, et ornatis, seu extruendis, et ornandis,
 » ab omnibus domesticis usibus liberis, per Ordinarium loci prius
 » visitandis, et approbandis, ac de ipsius Ordinarii licentia ejus
 » arbitrio duratura, unam Missam pro unoquoque die, dummodo
 » in eisdem domibus celebrandi licentia, quæ adhuc duret, alteri
 » concessa non fuerit, per quemcumque Sacerdotem ab eodem
 » Ordinario approbatum sæcularem, seu de Superiorum suorum
 » licentia regularem, sine tamen quorumcumque Jurium Paro-
 » chialium præjudicio, ac Paschatis Resurrectionis, Pentecostes,
 » et Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi, aliisque solemniori-
 » bus anni festis diebus exceptis, in vestra, ac natorum, consan-
 » guineorum, et affinium in eadem domo vobiscum insimu;
 » habitantium, familiaresque et quoad Oratoria ruri existentia,
 » etiam in hospitum nobilium, vestrorumque præsentia celebrari
 » facere, liberè et licitè possitis, et valeatis, ac vestrum quilibet
 » possit, et valeat, auctoritate Apostolica tenore præsentium con-
 » cedimus et indulgemus: non obstantibus Constitutionibus, et
 » Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscum-
 » que. Volumus autem, quòd familiares servitiis vestris tempore
 » dictæ Missæ actu non necessarij ibidem Missæ hujusmodi in-
 » teressentes ab obligatione audiendi Missam in Ecclesia diebus
 » festis de præcepto minimè liberi censeantur. Datum Romæ
 » apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 12
 » Februarii 1739. » Cùmque exorta esset dubitatio, an ex vi hu-
 » jusmodi indulti liceret Missam celebrare in privato Oratorio,
 » etiam sine præsentia alterutrius ex dictis Conjugibus, in quos
 » Indulti concessio directa erat, cui quidem dubitationi locum
 » dedit opinio nonnullorum Doctorum pro affirmativa, et negativa
 » respectivè sententia inter se certantium, sacra Congr. Concilii,
 » ad quam hujus quæstionis resolutio delata fuit, de tertia Dec.
 » 1740, censuit: **NON LICERE**; deinde verò Sanctissimus Do-
 » minus noster reprobata contraria Doctorum sententia, prædictam
 » sacræ Congregationis resolutionem nedum approbavit, verùm
 » etiam præsentis Decreto publicè evulgando voluit omnibus notum
 » fieri, non posse vigore similis Indulti celebrari Missam in privatis
 » Oratoriis, quando eidem Missæ actu non interest aliquis ex iis,
 » quibus principaliter Indultum concessum est; Indultum verò
 » principaliter concessum intelligi iis tantum, quibus Breve diri-
 » gitur, nimirum personis illis, quæ à tergo ejusdem Brevis propria

nomine nuncupantur, adeo ut sine præsentia alicujus ex dictis personis minimè liceat Missæ Sacrificium peragi, etiamsi præsens sit aliquis sive ex filiis, sive ex consanguineis, sive ex affinibus, sive ex familiaribus, sive demum ex hospitibus nobilibus in eodem Brevis memoratis, quippe quibus nihil aliud per ejusmodi Brevis conceditur, quàm quòd unusquisque eorum (dummodo, quòd attinet ad familiares, juxta clausulam iisdem Brevis insertam, non sit ex illis actu necessariis) assistens Missæ, quæ celebratur in Oratorio privato in præsentia alicujus ex personis à tergo Brevis proprio nomine nuncupatis, satisfaciatur obligationi audiendi Missam diebus festis de præcepto. Sublata igitur, et proscripta quæcumque minus germana interpretatione ejusmodi Brevis, et Indultorum in contrarium hactenus facta, SANCTITAS SUA ita declaravit, et servari omnino mandavit, districtè præcipientes, ut omnes Episcopi, alique locorum Ordinarii, etiam tanquam à Sede Apostolica Delegati executioni, et observantiæ hujus Decreti diligenter incumbant per Canonicas pœnas contra inobedientes eorum arbitrio constituendas.

DECRETUM VI.

Super Clausura Monialium.

Salutare in Catholica Ecclesia institutum ab ipsa antiquitate susceptum, ac tanta cum sollicitudine et pastorali zelo custoditum, ut flos ille ecclesiastici germinis, decus atque ornamentum gratiæ spiritualis, læta in dolens, laudis et honoris opus integrum atque incorruptum, Dei imago respondens ad sanctimoniam Domini illustrior portio regis Christi, sacræ Virgines, quarum, quò sublimior gloria est, major et cura est, intra Monasteriorum septa, et claustra vigili sollicitaque custodia servarentur, tam ante, quàm post Tridentinæ Synodi Decreta Romani Pontifices Prædecessores nostri tot sanctissimis Legibus, et initis Apostolicæ providentiæ caritatisque consiliis communire et confirmare studuerunt; ut, quæ se Christo dicaverint, et à carnali concupiscentia recedentes, tam carne, quàm mente se Deo voverint, consumment opus suum magno præmio destinatum.

Quoniam autem, etsi providas hujusmodi Sanctiones Constitutionesque, si ea, qua decet, regularis disciplinæ observantia custodirentur, satis esse scimus, ut Virgines ea, quæ cœlestis earumdem Sponsi Jesu Christi sunt, cogitantes, sint sanctæ et corpore, et spiritu; longa tamen experientia edocti, et assiduis Venerabilium Fratrum aliarum Ecclesiarum Antistitum querelis admoniti, supremas Apostolicæ auctoritatis providentiæque partes requiri, ut « abusibus quamplurimis ex nimia quorumcumque, » aut sibi quocumque pacto arrogantium, aut prætendentium, » aut obtendentium, facultatem aliàs sibi quomodolibet sive à jure, » sive ab homine concessam, vel demandatorum munerum ratione debitam esse, ut sive ipsi, sive alii ingredi clausuram Monialium, aut ipsæ Moniales è clausura ob quascumque etiam

» non legitimas causas egredi, et extra clausuram hujusmodi com-
 » morari possint, licentiam concedendi, indulgentia sensim in-
 » vectis opportunè occuratur : Hinc est, quòd nos pro suprema
 » omnium Christi fidelium procuratione imbecillitati nostræ in
 » universalis Orthodoxæ Ecclesiæ regimine divinitus imposita,
 » opportunum abusibus hujusmodi remedium, quantum cum Do-
 » mino possumus, adhibere satagentes, auctoritate Apostolica,
 » tenore præsentium omnes et singulas Constitutiones à Romanis
 » Pontificibus Prædecessoribus nostris tam ante, quàm post
 » Concilii Tridentini Decreta super clausura Monialium editas
 » renovamus, et confirmamus, nec non posterum ab omnibus
 » et singulis, ad quos spectat, et in futurum spectabit sub iisdem
 » pœnis in Constitutionibus eorundem Prædecessorum nostrorum
 » Romanorum Pontificum et Decretis Concilii Tridentini præ-
 » fati contentis inviolabiliter observandas esse statuimus, decer-
 » nimus, præcipimus atque mandamus. »

Præterea motu proprio, et ex certa scientia, ac matura delibe-
 ratione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine earum-
 dem præsentium tenore omnia, et singula indulta, privilegia,
 prærogativas, facultates, licentias, et quocumque alio pacto nun-
 cupatas concessionibus omnibus et singulis *quibuscumque ecclesiasticis*
 personis, quacumque auctoritate, dignitate, honore, præeminen-
 tia ac jurisdictione fungentibus, etiam Venerabilibus Fratribus
 nostris sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, sive singulis, sive
 eorundem Cardinalium Congregationibus, etiam de Latere Le-
 gatis, sive qui Provinciis, et Legationibus Statûs nostri eccle-
 siastici pro tempore præsent, sive quos ad Charissimos in Christo
 filios nostros Romanorum Regem in Imperatorem pro tempore
 eligendum, vel electum, Reges et Reginas illustres, aliasque
 summas potestates, prout rerum conditio postulaverit, mitti et
 ablegari contigerit; sive qui, licèt aliarum insignium Ecclesiarum
 Antistites, tamen tanquam Apostolicæ hujus S. Sedis Legati de
 Latere aliàs nuncupati et habiti sunt, et fortasse habentur, aut
 haberi, et esse prætendunt, et in posterum habendi sunt; sive
 Ordinarii, sive Extraordinarii nostri, et ejusdem Apostolicæ Se-
 dis ubicumque, etiam apud ipsos Imperatorem et Reges ac sum-
 mas potestates Nuntii, sive internuntii resident « (exceptis dum-
 » taxat, locorum Ordinariis, iisque omnibus Superioribus, quibus
 » tanquam Ordinariis, et ordinaria jurisdictione utentibus, Mo-
 » nialium Monasteria subjecta et addicta sunt, in casibus tamen
 » necessariis, et servatis aliis de jure servandis, et non aliter om-
 » nino) » ac demum quibuscumque aliis quocumque nomine, et
 » expressione nuncupatis personis, quocumque tempore à quibusvis
 etiam ab ipsis Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris qua-
 cumque de causa, occasione, titulo, colore et prætextu per quas-
 cumque Apostolicas sive in simili forma Brevis, sive sub Plumbo
 expeditas Litteras, sub quibuscumque verborum formis factas,
 » data, concessa, et impertita, sive factas, datas, concessas, et in-
 » pertitas super hujusmodi ingressu « revocamus, abolemus, an-
 » 9.

» nullamus atque irritamus ; » nec non à datarum earumdem præsentium die revocata, abolita, annullata, et irrita, ac nullius prorsus momenti, ac vigoris esse et fore, neminique cuiuslibet quocumque tempore suffragari ; ac quemlibet omnium antedictorum, etiam speciali mentione dignorum, quacumque facultate hujusmodi sive pro se, sive pro aliis temerè uti audentem, ipso facto absque ulla alia declaratione pœnas et ecclesiasticas censuras contra violantes Clausuram Monialium inflictas, à quibus, præterquam à nobis et pro tempore existente Romano Pontifice, nisi in mortis articulo, absolvi possit, incurrere et incursum esse ; licentiamque hujusmodi concessam nullo modo suffragari, atque nullius momenti, perinde ac si minimè concessa fuisset, ipso facto fore, et haberi, ac pœnas et censuras ecclesiasticas ipso etiam facto, ut præmittitur, per contrafacientem incurrì et incursum esse statuimus, decernimus ac declaramus. Decernentes easdem præsentis Litteras, et in eis contenta quæcumque etiam ex eo, quòd quicumque in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet præterdentes, cujusvis statûs, gradûs, ordinis, præeminentiæ et dignitatis existant, seu alia specifica et individua mentione et expressione digni, illis non consenserint, nec ad ea vocatû, citatû et auditû, causæque, propter quas præsentis emanarint, sufficienter adductæ, verificatæ, et justificatæ non fuerint, aut ex alia qualibet etiam quantumvis juridica et privilegiata causa, colore, prætextu et capite, etiam in corpore juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, et totalis læsionis, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, aut intentionis nostræ, vel interesse habentium consensus, aliove quomodolibet, etiam quantumvis magno, et substantiali, ac incogitato, et inexcogitabili individuumque expressionem requirentem defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversùs illas aperiitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientia et potestatis plenitudine paribus concessio vel emanato quempiam in iudicio, vel extra illud uti, seu se juvare nullo modo posse ; sed ipsas præsentis Litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter et inconcusse observari : sicque, et non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios et delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, et Sedis prædictæ Nuntios, aliosve quolibet quacumque præeminentia et potestate fungentes, et functuros, sublata eis et eorum cuiuslibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate et auctoritate, judicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his à quopiam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, ac, quatenus opus sit, nostra et Cancellariæ Apostolicæ Regula *de jure*

quæsto non tollendo, aliisque Constitutionibus Apostolicis: nec non quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, ac usibus et styliis, etiam immemorabilibus: privilegiis quoque, indultis et Litteris Apostolicis prædictis, aliisque quibuslibet personis etiam quacumque ecclesiastica vel mundana dignitate fulgentibus, et aliis quomodolibet qualificatis, ac specialem expressionem requirentibus, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, ac irritantibus, et aliis decretis, etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus, ac consistorialiter, et aliis quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, editis, factis ac pluries iteratis, et quantiscumque vicibus approbatis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita, observata, exprimerentur, et insererentur, præsentibus pro plenè et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliis in suo robore permanentibus, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expressè derogamus, ac derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut earumdem præsentium Litterarum transumptis etc. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die tertia Januarii anno millesimo septingentesimo, quadragesimo secundo, Pontificatus nostri anno secundo.

DECRETUM VII.

Super Clausura Religiosorum.

Regularis disciplinæ observantiam, ante etiam quàm et generalium ac particularium alicujus nationis, aut Provinciæ Conciliorum decretis confirmaretur, et Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum legibus sanctionibusque præscriberetur, quoad vetitum mulieribus quibuscumque, etiam consanguineis, intra quorumcumque religiosorum virorum clausuram ingressum, tam integerrimè custoditam fuisse constat, ut, nedum foeminis quibuscumque, sed masculis quoque, non tam ad Monasteriorum claustra seu septa, quàm ad ipsa eorumdem Monasteriorum Oratoria, et Ecclesias nullus patuerit aditus, et accessus; quin imò sub gravissimis pœnis fuerit interdictus; ne scilicet, ut inquit S. Gregorius PP. I Prædecessor noster, in servorum Dei recessibus occasio præbeatur popularibus conventibus, et simplicioribus ex hoc animas plerumque, quod absit, in scandalum trahat.

Hujusmodi autem regularis disciplinæ observantia, et si pro temporum varietate ac necessitate tot tantasque subiit vices, ut

iisdem Prædecessores nostri aditum et accessum ad publicas Monasteriorum Ecclesias dumtaxat sive masculis, sive foeminis Sacrosanctum Missæ sacrificium audiendi, prædicationibus verbi Dei interessendi, et Sacramentum sanctissimæ Eucharistiæ sumendi, ac peccata sua confitendi causa, sine tamen Parochorum præiudicio, interdum concesserint; vicissim tamen ipsi Prædecessores nostri tam ante Concilii Tridentini decreta, quam post eorumdem decretorum promulgationem denuntiationemque providis saluberrimisque constitutionibus ordinationibusque sub poena etiam excommunicationis latæ sententiæ foeminis quibuscumque aditum ingressumque huiusmodi intra Monasteriorum clausuram interdixerunt. « Quoniam autem, sicut dolentes accepimus, alii quidem Apostolicas leges ac præcepta huiusmodi vel ausu temerario parvipendentes, vel ad eorum arbitrium interpretantes, foeminis quibuscumque aditum ingressumque tam manifestè ac tanta solemnitate vetitum permittunt; alii verò privilegia, indulta, prærogativas, facultates, licentias, et alias quocumque pacto excogitatas concessionibus sibi sive à jure, sive ab homine factas et impertitas, seu facta et impertita, ac quorumcumque munerum, dignitatum, ac præeminentiarum ratione debitas seu debita arrogantes, prætendentesque obtendentesque, foeminas quaslibet intra Monasteriorum claustra, septa, cœnacula, cubicula, aliasque officinas aut admitti ac recipi sinunt, mandantque, aut unà secum ducunt; alii denique sub pietatis ac religionis prætextu, cum supplicationibus sive cum sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, sive cum Sanctorum Sanctarumque Reliquiis, Statuis, et Imaginibus per claustra, et septa, alia Monasteriorum loca de more, ut asserunt, habentur, sine ullo prorsus discrimine masculos et foeminas supplicationes huiusmodi per eadem loca sequi et comitari licitum, quin imò, ut Indulgentias lucrari valeant, necessarium esse obtendunt. » Hinc est, quòd nos, qui, dum in minoribus essemus, quamplurimos huiusmodi abusos compertos habebamus, in hac sublimi sacrosancti Apostolatûs specula constituti, non tam assiduis nonnullorum aliarum Ecclesiarum Antistitum documentis, quam iustis etiam Superiorum, aliorumque virorum ex religiosis Ordinibus Dei honorem, et instituti sui disciplinam zelantium expostulationibus de antedictis similibusque abusibus in dies admonemur, ut opportunum ac salutare iisdem abusibus tollendis, quantum cum Domino possumus, remedium afferamus; auctoritate Apostolica, tenore præsentium primum quidem omnes, et singulas *Constitutiones* Sanctionesque à Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris tam ante, quam post Concilii Tridentini decreta super Clausura Monasteriorum quorumcumque religiosorum virorum editas *renovamus, et confirmamus*, nec non in posterum ab omnibus et singulis, ad quos spectat, et in futurum spectabit, sub iisdem poenis in Constitutionibus Sanctionibusque eorumdem Prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum, et decretis ejusdem Concilii Trident. contentis, inviolabiter ob-

servandas esse statuimus, decernimus, præcipimus, atque mandamus. Deinde motu proprio, et ex certa scientia ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, earumdem præsentium tenore, *omnia, et singula indulta*, privilegia, prærogativas, facultates, licentias, et quocumque alio pacto nuncupatas concessionones omnibus et singulis quibuscumque ecclesiasticis personis quacumque auctoritate, dignitate, honore, præeminentia ac jurisdictione fungentibus, etiam Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus; sive singulis, sive eorumdem Cardinalium Congregationibus, etiam de Latere Legatis, sive qui Provinciis, et Legationibus Statûs nostri Ecclesiastici pro tempore præsent, sive quos ad Charissimos in Christo filios nostros Romanorum Regem in Imperatorem pro tempore eligendum, vel electum, Reges, et Reginas illustres, aliasque summas Potestates, prout rerum conditio postulaverit, mitti et ablegari contigerit, sive, qui licet aliarum insignium Ecclesiarum Antistites, tamen tanquam Apostolicæ hujus S. Sedis Legati de Latere alias nuncupati et habiti sunt, et fortasse habentur, aut haberi et esse prætendunt, et in posterum habendi sunt: sive Ordinarii, sive Extraordinarii nostri, et ejusdem Apostolicæ Sedis ubicumque, etiam ad ipsos Imperatorem, et Reges, ac summas Potestates Nuntii, sive Inter-Nuntii resident, ac demum quibuscumque aliis quocumque nomine et expressione nuncupatis personis, quocumque tempore, à quibusvis, etiam ab ipsis Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris, quacumque de causa, occasione, titulo, colore, et prætextu, per quascumque Apostolicas sive in simili forma Brevis, sive sub Plumbo expeditas litteras, sub quibuscumque verborum formis facta, data, concessa, et impertita, sive factas, datas, concessas et impertitas, super hujusmodi accessu et ingressu *revocamus, abolemus, annullamus atque irritamus*, nec non à datarum earumdem præsentium die revocata, abolita, annullata et irrita, ac nullius prorsus momenti ac vigoris esse, et fore, neminique cuilibet quocumque tempore suffragari statuimus, decernimus, et declaramus. Quemadmodum etiam statuimus, decernimus et declaramus quemlibet omnium antedictorum, etiam speciali mentione dignorum, quacumque facultate hujusmodi temerè uti audentem, ipso facto absque ulla alia declaratione pœnas et ecclesiasticas censuras, à quibus, præterquam à nobis et pro tempore existente Romano Pontifice, nisi in mortis articulo, absolvi possit, incurrere et incursum esse, licentiamque hujusmodi cuicumque concessam nullo modo suffragari, atque nullius momenti perinde, ac si minimè concessa fuisset, ipso facto fore, et haberi, ac pœnas et censuras ecclesiasticas ipso etiam facto, ut præmittitur, per contrafacientem incurri et incursum esse. Decernentes easdem præsentis Litteras, et in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod quicumque in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, cujusvis statûs, gradûs, ordinis, præeminentia et dignitatis existant, seu alia specifica et individua mentione et expressione digni, illis non

consenserint, nec ad ea vocati, citati, et auditi, causæque, propter quas præsentibus emanarint, sufficienter adductæ, verificatæ, et justificatæ non fuerint, aut ex alia qualibet etiam quantumvis juridica et privilegiata causa, colore, prætextu et capite, etiam in corpore juris clauso, etiam enormis, enormissimæ et totalis læsionis, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, aut intentionis nostræ, vel interesse habentium consensus, aliove quomodolibet, etiam quantumvis magno et substantiali, ac incogitato, et inexcogitabili, individuamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperiitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu scientia et potestatis plenitudine paribus concessio vel emanato quempiam in iudicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse; sed ipsas præsentibus Litteras semper firmas, validas, et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, et pro tempore quodcumque spectabit inviolabiliter et inconcussè observari; sicque et non aliter in præmissis per quoscumque Iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, et Sedis prædictæ Nuntios, aliosve quoslibet quacumque præeminentia, et potestate fungentes, et functuros, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate, et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, ac quatenus opus sit, nostra, et Cancellariæ Apostolicæ regula de jure quæsitio non tollendo, aliisque Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, nec non quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, ac usibus et styliis, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indulgiis, et litteris Apostolicis prædictis, aliisque quibuslibet personis, etiam quacumque Ecclesiastica, vel mundana dignitate fulgentibus, et aliis quomodolibet qualificatis, ac special. expressionem requirentibus, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, et insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis, etiam motu, scientia et potestatis plenitudine similibus, ac consistorialiter, et aliis quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, editis, factis, ac pluries iteratis, et quantiscumque vicibus approbatis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret tenores hujusmodi,

ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, exprimerentur, et insererentur, præsentibus pro plenè et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expressè derogatum ac derogatum esse volumus; cæterisque contrariis quibuscumque. « Cæterùm per » præsentibus non intendimus derogatum esse iis concessionibus, » quæ ad favorem quarumcumque Nobilium fœminarum ex eo, » quòd sive earundem majores, ac pro tempore existentes de » familia, fuerint et habeantur Fundatores, vel insignes Bene- » factores illius Monasterii, intra cujus claustra vel septa fœminas » etiam de familia ingredi vel concessum, vel cautum esse sibi » voluerunt, et de concessione hujusmodi confirmationem ab » Apostolica hac Sancta Sede obtinuerunt; sive fœminæ hujus- » modi sint consanguineæ et affines eorum, qui sunt Domini in » temporalibus locorum, in quibus Monasteria sita reperiuntur; » et quacumque legitima tituli vel consuetudinis causa et occa- » sione, ingressu hujusmodi de præsentibus gaudent, factæ et im- » pertitæ fuerunt; dummodo concessionibus hujusmodi per Apos- » tolicas in simili forma Brevis, vel sub plumbro desuper expeditas » litteras dumtaxat, et non aliter omnino factas et impertitas » fuisse priùs Ordinariis locorum, Antistitibus, vel Præsulis » per legitima et authentica documenta constare fecerint; et dum- » modo nec vagandi, nec otandi, nec comedendi cœnandique, » nec per ambulacra, cubicula, cœnacula, aliaque loca et offi- » cinas discurrendi causa, sed ad Ecclesias accedendi, Sacrosanc- » tum Missæ Sacrificium audiendi, aliaque erga Deum pietatis » officia et opera exercendi studio ingrediantur; et dummodo de » earum adventu, et ingressu interdum et opportunè faciendo, » Superiores pro tempore existentes priùs certos fiant, ad hoc, » ut absque Fratrum incommodo et offensione, recto tramite ad » Ecclesiam pergatur, et alia de jure servanda serventur. » Vo- » lumus autem, ut earundem præsentium litterarum transump- » ptis, etc. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub » annulo Piscatoris die tertia Januarii millesimo septingentesimo » quadragesimo secundo, Pontificatûs nostri anno secundo.

DECRETUM VII.

Super Matrimonii Hæreticorum.

Matrimonia, quæ in locis fœderatorum Ordinum dominio in Belgio subjectis iniri solent, sive inter Hæreticos ex utraque parte; sive inter Hæreticum ex una parte Virum, et Catholicam fœminam ex alia, aut viceversa, non servata forma à Sacro Tridentino Concilio præscripta, utrum valida habenda sint, nec ne, diu multumque disceptatum est, animis hominum, ac sententiis in diversa distractis: id quod satis uberem anxietatis, ac periculorum sementem per multos annos subministravit, cum præsertim Episcopi, Parochi, atque illarum regionum Missionarii

nihil certi hac super re haberent, nihil verò inconsulta Sancta Sede auderent statuere, ac declarare. Cùm autem, proximè evolutis annis, in tam ancti, gravique causa Apostolicae Sedis iudicium vehementiùs exposceretur, urgeretque id inprimis vigilantissimus Iprensis Episcopus, dum pro debito Officii sui, et sua erga Beati Petri Cathedram observantia, de Ecclesiae sibi concreditae statu ad Romanum Pontificem referebat, ponendumque omnino esse tam proluxae dubitationi finem gravissimis verbis, ac rationibus persuaderet: Clemens XII. id temporis Romanus Pontifex, qui rei gravitatem, quanti oportebat, aestimaret, sacrae Congregationi eminentiss. Cardinalium Concilii Trid. Interpretum in mandatis dedit, ut de tota controversia diligenter more suo cognosceret. In re itaque tanti momenti volens eadem Sacra Congregatio quam accuratissimè procedere, commissae sibi cognitionis initium ab exquisitis aliorum quoque Belgii Episcoporum relationibus, atque sententiis, quas desuper explorari satagit, petendum duxit, eodemque tempore audire voluit praestantes aliquot hujus Almae Urbis Theologos, quibus injunxit, ut rem totam ea, qua decet, maturitate discerent, suamque opinionem proferrent. At dum haec maximè agerentur, supersedendum per aliquot menses fuit ab istiusmodi causae expeditione, propter viduitatem, quae intercidit Romanae Ecclesiae, donec ad Summum Pontificatum feliciter evector Sanctissimus D. N. BENEDICTUS XIV. inter primas Regiminis sui curas, causae hujus cognitionem repeti jussit à memorata Sacra Congregatione Concilii, quam voluit coram se haberi, ut, auditis Eminentissimorum Patrum Sententiis, ipse demum, quid hac in re tenendum foret, supremo suo pronuntiaret oraculo. Cùm igitur Congregatio praefata sub die 13 Maii currentis anni 1741, coram Sanctitate sua fuerit habita, idem Sanctissimus D. N. spatio aliquo temporis, ad rem secum expediendam accepto, hanc nuper declarationem, et instructionem exarari praecipit, qua veluti certa regula, ac norma, omnes Belgii Antistites, Parochi, earumque Regionum Missionarii, et Vicarii Apostolici deinceps in hujusmodi negotiis uti debeant.

Primò scilicet, quod attinet ad Matrimonia ab Haereticis inter se in locis foederatorum Ordinum dominio subjecta celebrata, non servata forma per Tridentinum praescripta, licet Sanctitas sua non ignoret, alias in casibus quibusdam particularibus, et attentis tunc expositis circumstantiis, Sacram Congregationem Concilii pro eorum invaliditate respondisse, aequè tamen compertum habens, nihil adhuc generatim, et universè super ejusmodi Matrimoniis fuisse ab Apostolica Sede definitum, et alioquin oportere omnino ad consulendum universis fidelibus in iis locis degentibus, et plura avertenda gravissima incommoda, quid generaliter de hisce Matrimoniis sentiendum sit, declarare; negotio maturè perpensio, omnibusque rationum momentis hinc inde sedulò libratis, declaravit, statuitque, Matrimonia in dictis foederatis Belgii Provinciis inter Haereticos usque modò contracta, quaeque imposterum contrahentur, etiamsi forma à Tri-

dentino præscripta non fuerit in iis celebrandis servata, dummodo aliud non obstiterit canonicum impedimentum, pro validis habenda esse; adeoque si contingat, utrumque Conjugem ad Catholicæ Ecclesiæ sinum se recipere, eodem quo antea, conjugali vinculo ipsos omnino teneri, etiãmsi mutuus consensus coram Parocho Catholico ab eis non renovetur; sin autem unus tantùm ex Conjugibus sive masculus, sive fœmina convertatur, neutrum posse, quamdiu alter superstes erit, ad alias nuptias transire.

Quod verò spectat ad ea Conjugia, quæ pariter in iisdem fœderatis Belgii Provinciis, absque forma à Tridentino statuta contrahuntur à Catholicis cum Hæreticis, sive Catholicus Vir hæreticam fœminam in Matrimonium ducat, sive Catholica fœmina Hæretico Viro nubat, dolens inprimis quàm maximè Sanctitas sua, eos esse inter Catholicos, qui insano amore turpiter dementati ab hisce detestabilibus Connubiis, quæ S. Mater Ecclesia perpetuò damnavit, atque interdixit, ex animo non abhorrent, et prorsus sibi abstinendum non ducunt, laudansque magnopere zelum illorum Antistitum, qui severioribus propositis spiritualibus pœnis Catholicos coercere student, ne sacrilegè hoc vinculo sese Hæreticis jungant; Episcopos omnes, Vicarios Apostolicos, Parochos, Missionarios, et alios quoscumque Dei, et Ecclesiæ fideles Ministros in his Partibus degentes seriò graviterque hortatur, et monet, ut Catholicos utriusque sexûs ab hujusmodi nuptiis in propriarum animarum perniciem ineundis quantum possint, absterreant, easdemque Nuptias omni meliori modo intervertere, atque efficaciter impedire satagant. At, si fortè aliquod hujus generis Matrimonium, Tridentini forma non servata, ibidem contractum jam sit, aut imposterum (quod Deus avertat) contrahi contingat, declarat Sanctitas Sua, Matrimonium hujusmodi, alio non concurrente canonico impedimento, validum habendum esse, et neutrum ex Conjugibus, donec alter eorum supervixerit, ullatenus posse sub obtentu dictæ formæ non servatæ novum Matrimonium inire; id verò debere sibi potissimè in animum inducere Conjugem Catholicum sive Virum, sive Fœminam, ut pro gravissimo scelere, quod admisit, pœnitentiam agat, ac veniam à Deo precetur, coneturque pro viribus alterum Conjugem à vera fide deerrantem ad gremium Catholicæ Ecclesiæ pertrahere, ejusque animam lucrari, quod porro ad veniam de patrato crimine impetrandam opportunissimum foret, sciens de cætero, ut mox dictum est, se istius Matrimonii vinculo perpetuò ligatum iri.

Ad hæc declarat Sanctitas Sua, ut quidquid hactenus sancitum, dictumque est de Matrimoniis sive ab hæreticis inter se, sive inter Catholicos, et Hæreticos initis in locis fœderatorum Ordinum dominio in Belgio subjectis, sancitum, dictumque intelligatur etiã de similibus Matrimoniis extra fines Domini eorundem fœderatorum Ordinum contractis ab iis, qui addicti sunt Legionibus, seu militaribus copiis, quæ ab iisdem fœderatis Ordinibus transmitti solent ad custodiendas, muniendasque Arces conter-

minas, vulgò dictas *di Barrera*; ita quidem, ut Matrimonia ibi præter Tridentini formam, sive inter Hæreticos utrumque, sive inter Catholicos, et Hæreticos inita valorem suum obtineant, dummodo uterque Conjux ad easdem Copias, sive Legiones pertineat; et hanc declarationem vult Sanctitas Sua complecti etiam civitatem Mosæ Trajectensis à Republica fœderatorum Ordinum, quamvis non jure dominii, sed tantum oppignorationis, ut aiunt, nomine possessam.

Tandem circa Conjugia, quæ contrahuntur, vel in Regionibus Principum Catholicorum ab iis, qui in Provinciis fœderatis domicilium habent, vel in fœderatis Provinciis ab habentibus domicilium in Regionibus Catholicorum Principum, nihil Sanctitas Sua de novo decernendum, aut declarandum esse duxit, volens, ut de iis, juxta canonica Juris communis principia, probatasque in similibus casibus aliàs editas à Sacra Congregatione Concilii resolutiones, ubi disputatio contingat, decidatur; et ita declaravit, statuitque, ac ab omnibus imposterum servari præcepit. Die 4 Novembris 1741.

DECRETUM IX.

Super Dispensationibus in Matrimoniis.

Ad Apostolicæ servitutis nostræ ministerium pertinet sedula invigilare cura, ut dispensationes super gradibus affinitatis, seu consanguinitatis, intra quos Matrimonia contrahi prohibentur, vel super aliis à Sacris Canonibus statutis impedimentis, nisi ex debitis causis non concedantur, et omnia inde amoveantur, unde nota aliqua ab improbis aspergi possit nomini, ac decori Romanæ Ecclesiæ, cui, licet immeritò, Divina benignitate præsidemus.

Sanè quidem ad dispensationes obtinendas ab iis, qui eas postulant, in supplici libello causæ pro illis consequendis exprimi solent, quæ si ejusmodi fuerint, ut juxta canonicas Sanctiones, et prudens ecclesiasticæ Provisionis arbitrium, locus ad dispensandum esse videatur, dispensatio concedi solet, ejusque executio Ordinario ut plurimum committi, cui onus incumbit diligenter inquirendi, an causæ expositæ veritate nitantur, ut, veris illis existentibus, gratia executioni demandetur, secus verò, si causæ nullatenus veritati consentaneæ sint. Si autem contingat ob causas minimè veras existentes, ut dispensatio executioni non tradatur, qui eam impetrarunt, apud negotiorum Gestores, seu Litterarum Apostolicarum expeditores conqueruntur, à quibus nonnumquam responderi solet, executionem perperam, et injuria denegatam fuisse, quia expressio causarum, earumque verificatio in dispensationibus non est aliquid substantiale, sed formalitas quædam, et Forensis, styli consuetudo: quod non minus veritati adversatur, quam executionis ordinem ac modum bene, ac prudenter constitutum subvertit: « cum expressio causarum earumque verificatio » ad substantiam, et validitatem dispensationis pertineat, illisque deficientibus, gratia nulla ac irrita sit, nullamque executionem mereatur. »

Id autem ut plurimum evenit in dispensationibus, in quibus apponi solet clausula : *Et Oratoribus vitæ periculum immineret*, quæ cum sæpe in dispensationibus in primo et secundo, vel in secundo gradu, et in nonnullis aliis canonicis impedimentis sine ulla ratione, causa, et veritate expressa reperitur, Ordinarii locorum qui cautiùs et accuratiùs se gerunt, nisi vitæ periculum immineat, dispensationem exequi recusant; alii verò, fortasse falso rumore inducti, quòd hujusmodi clausula sit mera formalitas, indulgentiùs quàm necesse est procedentes, periculo vitæ neque argumentis probabilibus verificato, eoque Oratoribus saltem verisimiliter imminere comperto, gratiam dispensationis exequantur.

S. M. Prædecessor noster Pius PP. V. in sua Constitutione per viam motûs proprii expedita, et publicata sub die 5 Decemb. ann. MDLXVI, cujus initium est : *Sicut accepimus* : « decrevit, » omnes et singulos Procuratores tam Officii Sacræ Pœnitentiariæ, seu Contradictarum, quàm alios quoscumque Sollicitatores, » et Scriptores, qui veritatem facti à narratione, quam ab ipsis » Partibus habuerunt, quoad substantialia, et qualitates necessariò exprimendas diversam faciunt, seu quoquo modo inter- » vertunt, aut immutant, aut depravant, et per subreptionem, » et obreptionem gratias à Romanis Pontificibus extorquent, » pœnam falsi incurrere, et ea puniri omnino debere. »

Hujusmodi autem constitutio, quamquam videatur pertinere dumtaxat ad Procuratores, Sollicitatores, et Scriptores Officii sacrae Pœnitentiariæ, ubi per id temporis Matrimoniales dispensationes etiã in foro externo concedi solebant, nihilominus pro pastorali nostra, et paterna ex alto nobis commissa cura hortamur, monemus, ac præcipimus omnibus et singulis negotiorum Gestoribus, Procuratoribus, et Expeditoribus « Litterarum Apostolicarum, etiam Dataria nostræ, ut cum supplices preces pro » aliqua matrimoniali dispensatione porrecturi sunt, id primò » ante omnia agant, ut plenam atque exactam facti notitiã asse- » qui curent, sciscitantes ab ipsis Oratoribus, an hæc et illæ causæ » adsint, ex quibus sciunt dispensationem concedi solere in hoc » vel illo gradu, deinde in supplici libello facti speciem nitidè, » ac sincerè exponant, caveantque diligenter, ne illam aliquatenus » in rebus substantialibus alterent, immutent, invertant, cor- » rumpant, sed strictè adhæreant iis, quæ ab oratoribus sibi » exposita fuerunt, et multò magis absterneant, ne quid falsi aut » ficti proprio ingenio inventum vel excogitatum ad gratiam dis- » pensationis faciliùs obtinendam in precibus obtundant; demum » præ oculis habentes », se operam suam in ecclesiasticis negotiis in hac alina Urbe exhibere, ubi Cathedra veritatis est, ipsam se- » lam ament, et sectentur veritatem, non lucrum, aut gratiam, et favorem supplicantium, diligenterque videant, ne mendacii aut erroris merito argui cum animæ suæ detrimento possint, falso, et perperam asserentes causas, earumque verificationes ex provida nostrorum Prædecessorum dispositione in hujusmodi gratiis ad

ecclesiasticæ disciplinæ vigorem, et Canonicarum legum, et Apostolicarum Constitutionum voluntatem servandam apponi, et respectivè demandari solitas; vanas, et superfluas esse, et tanquam inanes Curiae formalitates parvi aut nihili esse faciendas.

Præterea hujusmodi graves abusus, quibus honor, et decus hujus Almæ Urbis dehonatur, et Sedis Apostolicæ splendor, ac dignitati officitur, penitus abolere cupientes, motu proprio, ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine præfatam « Constitutionem s. m. Pii V. Prædecessoris nostri extendimus, dilatamus ac producimus ad omnes prædictos negotiorum Gestores, Procuratores, et Expeditores litterarum Apostolicarum cujuscumque status, gradus, ordinis, et conditionis, et quocumque indulto, privilegio, et dignitate munitis te quatenus opus sit, eam de novo ferimus, statuimus, et innovamus; volentes, ac decernentes, ut in omnibus superius expressis casibus poena falsi contra delinquentes locum habeat, sine tamen præjudicio obligationis refundendi expensas oratoribus, qui ob illorum culpam ejusmodi dispensationes, quæ executioni de- mandari nequeunt, obtinuerunt. »

Denique omnes et singulos Venerabiles Fratres Archiepiscopos, Episcopos, et locorum ordinarios, cæterosque « Executores Litterarum Apostolicarum, quibus hujusmodi dispensationum executio committi solet, enixè rogamus, et obsecramus, ut sedulo ac diligenter attendant priusquam dispensationis gratiam exequantur, an causæ in Apostolicis litteris expressæ, et quarum verificatio eorum curæ et vigilantia à Sede Apostolica commissa est, veræne, an secus existant, an potius Sedi Apostolicæ falsum expositum, et veritas reticita fuerit: quæ super re eorum conscientiam oneramus. » Et quoniam in iisdem Apostolicis litteris super dispensationibus in gradibus prohibitis, aliisque præfatis impedimentis nonnulla observata sunt, quæ negotium executoribus quandoque exhibere, et scrupulos eorum animis ingerere solent, Apostolicæ nostræ sollicitudinis erit, ea dilucidius et apertius in iisdem dispensationum litteris Apostolicis exponere, ac declarare, ut omni dubitatione sublata, et causis coram executore hujusmodi probationum genere probatis, quo de illarum veritate moraliter certus reddatur, Apostolicæ litteræ matrimonialium dispensationum sine ulla hæsitatione ad debitam executionem deduci possint.

Mandamus quoque, et injungimus dilecto filio nostro Pompeio tituli sancti Eusebii S. Romanæ Ecclesiæ Presbytero Cardinali Aldovrando nuncupato Produlario nostro, ejusque successoribus Datarie Apostolicæ, Produlariis seu Dataris pro tempore existentibus, ut in præmissis reos, et culpabiles repertos poena falsi, ut præfertur, puniant, cum potestate citandi, etiam per edictum, constito summarè de non tuto accessu, aliaque dicendi, et faciendi in præmissis necessaria, seu quomodolibet opportuna. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, statutis, et consuetudinibus, et quibusvis indultis et privilegiis qui-

buscumque personis etiam speciali mentione dignis, datis, etc. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem quinto Cal. Martis anno Incarnationis Dominicæ 1742, Pontificatus nostri anno secundo.

Hic juvat addere SS. D. N. Clementis XIII Constitutionem de Jejunio, quæ est ut sequitur.

Venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, et Episcopis.

CLEMENS PAPA XIII.

Venerabiles Fratres, salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Appetente Sacro Quadragesimali tempore, quod plenum mysteriis non sine mysterio magnam illam Paschæ celebritatem præcedit, qua una omnium solemnitatum dignitas est consecrata, providendum, Venerabiles Fratres, ut sacratissimum Jejunium sanctè religiosèque à Fidelibus observetur, quod Legis et Prophetarum testimoniis commendatum, à Christo Domino consecratum, ab Apostolis traditum, Ecclesia Catholica perpetuò retinuit, ut per macerationem carnis, et animæ humiliationem ad Dominicæ Passionis, Paschaliisque Sacramentorum Mysteria paratiores accedamus, et in ejus Resurrectione resurgamus, in cujus Passione, deposito veteri homine, sumus commortui. Cujus tam sanctæ tamque salubris institutionis retinendæ studio fel. record. Prædecessor noster Bened. XIV. etsi binis ad vos Litteris in forma Brevis eximium Fraternalitatis Vestrarum zelum excitavit, quo pluribus labefactata corruptelis Quadragesimalis jejunii disciplina ad pristinam observantiam vestra opera et studio revocaretur, ob eamque rem nonnullas cavillationes, quibus omnium sacrarum vis jejuniorum infringebatur, de medio sustulit; tamen cum ab infensissimo teterrimoque humani generis hoste tam multæ et assiduæ sint Gregi Dominico insidiæ; verendumque propterea sit, ne subinde infirmiorum animis novas veteratorum ille rationes, pravasque suggerat consuetudines, quibus enervata jejunii severitas, unde revocata dudum fuerat, illuc iterum relabatur; necessarium existimavimus vobis has Litteras dare, quantoque in timore simus, ne qua vetus remanserit corruptela, vel nova labe cum fidelium animarum pernicie ecclesiasticæ in hac re disciplinæ inferatur, Fraternalitatis vestris significare. De quo quidem timore nostro tantum intelligimus minus oportere, quantum ex eo sollicitudinis ad pastorem vestram vigilantiam accesserit; qua sive quidpiam de veteri corruptela post memoratas supradicti Prædecessoris nostri Litteras fortasse reliquum fuerit, sive pro infringendis jejunii legibus vel opinionum commenta, vel à vera jejunii vi et natura abhorrentes consuetudines humani pravitatis ingenii novissimè sint inventæ, ea omnia, quantum juvante Domino fieri potest, radicitus convellenda curetis. In quibus profectò ab usum illum censemus omnino numeran-

nihil certi hac super re haberent, nihil verò inconsulta Sanctæ Sede auderent statuere, ac declarare. Cum autem, proximè evolutis annis, in tam ancipiti, gravique causa Apostolicæ Sedis iudicium vehementius exposceretur, urgeretque id inprimis vigilantissimus Iprensis Episcopus, dum pro debito Officii sui, et sua erga Beati Petri Cathedram observantia, de Ecclesiæ sibi concreditæ statu ad Romanum Pontificem referrebat, ponendumque omnino esse tam prolixæ dubitationi finem gravissimis verbis, ac rationibus persuaderet : Clemens XII. id temporis Romanus Pontifex, qui rei gravitatem, quanti oportebat, æstimaret, sacræ Congregationi eminentiss. Cardinalium Concilii Trid. Interpretum in mandatis dedit, ut de tota controversia diligenter more suo cognosceret. In re itaque tanti momenti volens eadem Sacra Congregatio quàm accuratissimè procedere, commissæ sibi cognitionis initium ab exquisitis aliorum quoque Belgii Episcoporum relationibus, atque sententiis, quas desuper explorari satagit, petendum duxit, eodemque tempore audire voluit præstantes aliquot hujus Almæ Urbis Theologos, quibus injunxit, ut rem totam ea, qua decet, maturitate discerent, suamque opinionem proferrent. At dum hæc maximè agerentur, supersedendum per aliquot menses fuit ab istiusmodi causæ expeditione, propter viduitatem, quæ intercidit Romanæ Ecclesiæ, donec ad Summum Pontificatum feliciter evectus Sanctissimus D. N. BENEDICTUS XIV. inter primas Regiminis sui curas, causæ hujus cognitionem repeti jussit à memorata Sacra Congregatione Concilii, quam voluit coram se haberi, ut, auditis Eminentissimorum Patrum Sententiis, ipse demum, quid hac in re tenendum foret, supremo suo pronuntiaret oraculo. Cum igitur Congregatio præfata sub die 13 Maii currentis anni 1741, coram Sanctitate sua fuerit habita, idem Sanctissimus D. N. spatio aliquo temporis, ad rem secum expendam accepto, hanc nuper declarationem, et instructionem exarari præcepit, qua veluti certa regula, ac norma, omnes Belgii Antistites, Parochi, earumque Regionum Missionarii, et Vicarii Apostolici deinceps in hujusmodi negotiis uti debeant.

Primò scilicet, quod attinet ad Matrimonia ab Hæreticis inter se in locis fœderatorum Ordinum dominio subjectis celebrata, non servata forma per Tridentinum præscripta, licet Sanctitas sua non ignoret, alias in casibus quibusdam particularibus, et attentis tunc expositis circumstantiis, Sacram Congregationem Concilii pro eorum invaliditate respondisse, æquè tamen compertum habens, nihil adhuc generatim, et universè super ejusmodi Matrimoniis fuisse ab Apostolica Sede definitum, et alioquin oportere omnino ad consulendum universis fidelibus in iis locis degentibus, et plura avertenda gravissima incommoda, quid generaliter de hisce Matrimoniis sentiendum sit, declarare; negotio maturè perpenso, omnibusque rationum momentis hinc inde sedulò libratis, declaravit, statuitque, Matrimonia in dictis fœderatis Belgii Provinciis inter Hæreticos usque modò contracta, quæque imposterum contrahentur, etiamsi forma à Tri-

dentino præscripta non fuerit in iis celebrandis servata, dummodo aliud non obstiterit canonicum impedimentum, pro validis habenda esse; adeoque si contingat, utrumque Conjugem ad Catholicæ Ecclesiæ sinum se recipere, eodem quo antea, conjugali vinculo ipsos omnino teneri, etiãmsi mutuos consensus coram Parocho Catholico ab eis non renovetur; sin autem unus tantum ex Conjugibus sive masculus, sive fœmina convertatur, neutrum posse, quamdiu alter superstes erit, ad alias nuptias transire.

Quod verò spectat ad ea Conjugia, quæ pariter in iisdem fœderatis Belgii Provinciis, absque forma à Tridentino statuta contrahuntur à Catholicis cum Hæreticis, sive Catholicus Vir hæreticam fœminam in Matrimonium ducat, sive Catholica fœmina Hæretico Viro nubat, dolens inprimis quàm maximè Sanctitas sua, eos esse inter Catholicos, qui insano amore turpiter dementati ab hisce detestabilibus Connubiis, quæ S. Mater Ecclesia perpetuò damnavit, atque interdixit, ex animo non abhorrent, et prorsus sibi abstinendum non ducunt, laudansque magnopere zelum illorum Antistitum, qui severioribus propositis spiritualibus pœnis Catholicos coercere student, ne sacrilegè hoc vinculo sese Hæreticis jungant; Episcopos omnes, Vicarios Apostolicos, Parochos, Missionarios, et alios quoscumque Dei, et Ecclesiæ fideles Ministros in his Partibus degentes seriò graviterque hortatur, et monet, ut Catholicos utriusque sexûs ab hujusmodi nuptiis in propriarum animarum perniciem ineundis quantum possint, absterreant, easdemque Nuptias omni meliori modo intervertere, atque efficaciter impedire satagant. At, si fortè aliquod hujus generis Matrimonium, Tridentini forma non servata, ibidem contractum jam sit, aut imposterum (quod Deus avertat) contrahi contingat, declarat Sanctitas Sua, Matrimonium hujusmodi, alio non concurrente canonico impedimento, validum habendum esse, et neutrum ex Conjugibus, donec alter eorum supervixerit, ullatenus posse sub obtentu dictæ formæ non servatæ novum Matrimonium inire; id verò debere sibi potissimè in animum inducere Conjugem Catholicum sive Virum, sive Fœminam, ut pro gravissimo scelere, quod admisit, pœnitentiam agat, ac veniam à Deo precetur, coneturque pro viribus alterum Conjugem à vera fide deerrantem ad gremium Catholicæ Ecclesiæ pertrahere, ejusque animam lucrari, quod porro ad veniam de patrato crimine impetrandam opportunissimum foret, sciens de cætero, ut mox dictum est, se istius Matrimonii vinculo perpetuò ligatum iri.

Ad hæc declarat Sanctitas Sua, ut quidquid hactenus sancitum, dictumque est de Matrimoniis sive ab hæreticis inter se, sive inter Catholicos, et Hæreticos initis in locis fœderatorum Ordinum dominio in Belgio subjectis, sancitum, dictumque intelligatur etiãmsi de similibus Matrimoniis extra fines Domini eorundem fœderatorum Ordinum contractis ab iis, qui addicti sunt Legionibus, seu militaribus copiis, quæ ab iisdem fœderatis Ordinibus transmitti solent ad custodiendas, muniendasque Arces conter-

minas, vulgò dictas *di Barriera*; ita quidem, ut Matrimonia ibi præter Tridentini formam, sive inter Hæreticos utrimque, sive inter Catholicos, et Hæreticos inita valorem suum obtineant, dummodo uterque Conjux ad easdem Copias, sive Legiones pertineat; et hanc declarationem vult Sanctitas Sua complecti etiam civitatem Mosæ Trajectensis à Republica fœderatorum Ordinum, quamvis non jure dominii, sed tantum oppignoracionis, ut aiunt, nomine possessam.

Tandem circa Conjugia, quæ contrahuntur, vel in Regionibus Principum Catholicorum ab iis, qui in Provinciis fœderatis domicilium habent, vel in fœderatis Provinciis ab habentibus domicilium in Regionibus Catholicorum Principum, nihil Sanctitas Sua de novo decernendum, aut declarandum esse duxit, volens, ut de iis, juxta canonica Juris communis principia, probatasque in similibus casibus aliàs editas à Sacra Congregatione Concilii resolutiones, ubi disputatio contingat, decidatur; et ita declaravit, statuitque, ac ab omnibus imposterum servari præcepit. Die 4 Novembris 1741.

DECRETUM IX.

Super Dispensationibus in Matrimoniiis.

Ad Apostolicæ servitutis nostræ ministerium pertinet sædula invigilare cura, ut dispensationes super gradibus affinitatis, seu consanguinitatis, intra quos Matrimonia contrahi prohibentur, vel super aliis à Sacris Canonibus statutis impedimentis, nisi ex debitis causis non concedantur, et omnia inde amoveantur, unde nota aliqua ab improbis aspergi possit nomini, ac decori Romanæ Ecclesiæ, cui, licet immerito, Divina benignitate præsidemus.

Sanè quidem ad dispensationes obtinendas ab iis, qui eas postulant, in supplici libello causæ pro illis consequendis exprimi solent, quæ si ejusmodi fuerint, ut juxta canonicas Sanctiones, et prudens ecclesiasticæ Provisionis arbitrium, locus ad dispensandum esse videatur, dispensatio concedi solet, ejusque executio Ordinario ut plurimum committi, cui onus incumbit diligenter inquirendi, an causæ expositæ veritate nitantur, ut, veris illis existentibus, gratia executioni demandetur, secus verò, si causæ nullatenus veritati consentaneæ sint. Si autem contingat ob causas minimè veras existentes, ut dispensatio executioni non tradatur, qui eam impetrarunt, apud negotiorum Gestores, seu Litterarum Aposolicarum expeditores conqueruntur, à quibus nonnumquam responderi solet, executionem perperam, et injuria denegatam fuisse, quia expressio causarum, earumque verificatio in dispensationibus non est aliquid substantiale, sed formalitas quædam, et Forensis styli consuetudo: quod non minus veritati adversatur, quàm executionis ordinem ac modum bene, ac prudenter constitutum subvertit: « cum expressio causarum earumque verificatio » ad substantiam, et validitatem dispensationis pertineat, illisque » deficientibus, gratia nulla, ac irrita sit, nullamque executionem » mereatur. »

Id autem ut plurimum evenit in dispensationibus, in quibus apponi solet clausula : *Et Oratoribus vitæ periculum immineret*, quæ cum sæpe in dispensationibus in primo et secundo, vel in secundo gradu, et in nonnullis aliis canonicis impedimentis sine ulla ratione, causa, et veritate expressa reperiatur, Ordinarii locorum qui cautiùs et accuratiùs se gerunt, nisi vitæ periculum immineat, dispensationem exequi recusant; alii verò, fortasse falso rumore inducti, quòd hujusmodi clausula sit mera formalitas, indulgentiùs quàm necesse est procedentes, periculo vitæ neque argumentis probabilibus verificato, eoque Oratoribus saltem verisimiliter imminere comperto, gratiam dispensationis exequuntur.

S. M. Prædecessor noster Pius PP. V. in sua Constitutione per viam motùs proprii expedita, et publicata sub die 5 Decemb. ann. MDLXVI., cujus initium est : *Sicut accepimus* : « decrevit, » omnes et singulos Procuratores tam Officii Sacræ Pœnitentiariæ, seu Contradictariæ, quàm alios quoscumque Sollicitatores, » et Scriptores, qui veritatem facti à narratione, quàm ab ipsis » Partibus habuerunt, quoad substantialia, et qualitates necessariò exprimendas diversam faciunt, seu quoquo modo intervertunt, aut immutant, aut depravant, et per subreptionem, » et obreptionem gratias à Romanis Pontificibus extorquent, » pœnam falsi incurrere, et ea puniri omnino debere. »

Hujusmodi autem constitutiò, quanquam videatur pertinere dumtaxat ad Procuratores, Sollicitatores, et Scriptores Officii sacre Pœnitentiariæ, ubi per id temporis Matrimoniales dispensationes etiàm in foro externo concedi solebant, nihilominus pro pastoralis nostræ, et paternæ ex alto nobis commissa cura hortamur, monemus, ac præcipimus omnibus et singulis negotiorum Gestoribus, Procuratoribus, et Expeditoribus « Litterarum Apostolicarum, etiam Datarie nostræ, ut cum supplices preces pro aliqua matrimoniali dispensatione porrecturi sunt, id primò ante omnia agant, ut plenam atque exactam facti notitiàm assequi curent, sollicitantes ab ipsis Oratoribus, an hæc et illæ causæ adsint, ex quibus sciunt dispensationem concedi solere in hoc vel illo gradu, deinde in supplici libello facti speciem nitidè, ac sincerè exponant, caveantque diligenter, ne illam aliquatenus in rebus substantialibus alterent, immutent, invertant, corrumpant, sed strictè adhæreant iis, quæ ab oratoribus sibi exposita fuerunt, et multò magis absterneant, ne quid falsi aut ficti proprio ingenio inventum vel excogitatum ad gratiam dispensationis faciliùs obtinendam in precibus obtendant; demum præ oculis habentes », se operam suam in ecclesiasticis negotiis in hac alià Urbe exhibere, ubi Cathedra veritatis est, ipsam solum ament, et sectentur veritatem, non lucrum, aut gratiam, et favorem supplicantium, diligenterque videant, ne mendacii aut erroris merito argui cum animæ suæ detrimento possint, falsò, et perperam asserentes causas, earumque verificationes ex provida nostrorum Prædecessorum dispositione in hujusmodi gratiis ad

ecclesiasticæ disciplinæ vigorem, et Canoniarum legum, et Apostolicarum Constitutionum voluntatem servandam apponi, et respectivè demandari solitas, vanas, et superfluas esse, et tanquam inanes Curiae formalitates parvi aut nihili esse faciendas.

Præterea hujusmodi graves abusus, quibus honor, et decus hujus Almæ Urbis dehonestatur, et Sedis Apostolicæ splendori, ac dignitati officitur, penitus abolere cupientes, motu proprio, ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine præfatam « Constitutionem s. m. Pii V. Prædecessoris nostri exten-
» dimus, dilatamus ac producimus ad omnes prædictos negotio-
» rum Gestores, Procuratores, et Expeditores litterarum Apos-
» tolicarum cujuscumque statûs, gradûs, ordinis, et conditionis, et
» quocumque indulto, privilegio, et dignitate munitos te quate-
» nus opus sit, eam de novo ferimus, statuimus, et innovamus;
» volentes, ac decernentes, ut in omnibus superius expressis casi-
» bus pœna falsi contra delinquentes locum habeat, sine tamen
» præjudicio obligationis refundendi expensas oratoribus, qui ob
» illorum culpam ejusmodi dispensationes, quæ executioni de-
» mandari nequeunt, obtinuerunt. »

Denique omnes et singulos Venerabiles Fratres Archiepiscopos, Episcopos, et locorum ordinarios, cæterosque « Execu-
» tores Litterarum Apostolicarum, quibus hujusmodi dispensa-
» tionum executio committi solet, enixè rogamus, et obsecramus,
» ut sedulo ac diligenter attendant priusquam dispensationis
» gratiam exequantur, an causæ in Apostolicis litteris expressæ,
» et quarum verificatio eorum curæ et vigilantia à Sede Apos-
» tolica commissa est, veræne, an secus existant, an potius Sedi
» Apostolicæ falsum expositum, et veritas reticita fuerit : qua
» super re eorum conscientiam oneramus. » Et quoniam in iis-
dem Apostolicis litteris super dispensationibus in gradibus pro-
» hibitis, aliisque præfatis impedimentis nonnulla observata sunt,
quæ negotium executoribus quandoque exhibere, et scrupulos eorum animis ingerere solent, Apostolicæ nostræ sollicitudinis erit, ea dilucidius et apertius in iisdem dispensationum litteris Apostolicis exponere, ac declarare, ut omni dubitatione sublata, et causis coram executoribus hujusmodi probationum genere probatis, quo de illarum veritate moraliter certus reddatur, Apostolicæ litteræ matrimonialium dispensationum sine ulla hæsitatione ad debitam executionem deduci possint.

Mandamus quoque, et injungimus dilecto filio nostro Pompeo tituli sancti Eusebii S. Romanæ Ecclesiæ Presbytero Cardinali Aldovrando nuncupato Prodatorio nostro, ejusque successoribus Datarie Apostolicæ, Prodatoriis seu Dataris pro tempore existentibus, ut in præmissis reos, et culpabiles repertos pœna falsi, ut præfertur, puniant, cum potestate citandi, etiam per edictum, constito summarie de non tuto accessu, aliaque dicendi, et faciendi in præmissis necessaria, seu quomodolibet opportuna. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, statutis, et consuetudinibus, et quibusvis indultis et privilegiis qui-

buscumque personis etiam speciali mentione dignis, datis, etc. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem quinto Cal. Martis anno Incarnationis Dominicæ 1742, Pontificatûs nostri anno secundo.

Hic juvat addere SS. D. N. Clementis XIII Constitutionem de Jejunio, quæ est ut sequitur.

Venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, et Episcopis.

CLEMENS PAPA XIII.

Venerabiles Fratres, salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Appetente Sacro Quadragesimali tempore, quod plenum mysteriis non sine mysterio magnam illam Paschæ celebritatem præcedit, qua una omnium solemnitatum dignitas est consecrata, providendum, Venerabiles Fratres, ut sacratissimum Jejunium sanctè religiosèque à Fidelibus observetur, quod Legis et Prophetarum testimonium commendatum, à Christo Domino consecratum, ab Apostolis traditum, Ecclesia Catholica perpetuè retinuit, ut per macerationem carnis, et animæ humiliationem ad Dominicæ Passionis, Paschaliūque Sacramentorum Mysteria paratiores accedamus, et in ejus Resurrectione resurgamus, in cujus Passione, deposito veteri homine, sumus commortui. Cujus tam sanctæ tamque salubris institutionis retinendæ studio fel. record. Prædecessor noster Bened. XIV. etsi binis ad vos Litteris in forma Brevis eximium Fraternalitatum Vestrarum zelum excitavit, quo pluribus labefactata corruptelis Quadragesimalis jejunii disciplina ad pristinam observantiam vestra opera et studio revocaretur, ob eamque rem nonnullas cavillationes, quibus omnis sacrorum vis jejuniorum infringebatur, de medio sustulit; tamen cum ab infensissimo teterrimoque humani generis hoste tam multæ et assiduæ sint Gregi Dominico insidiæ; verendumque propterea sit, ne subinde infirmiorum animis novas veterator ille rationes, pravasque suggerat consuetudines, quibus enervata jejunii severitas, unde revocata dudum fuerat, illuc iterum relabatur; necessarium existimavimus vobis has Litteras dare, quantoque in timore simus, ne qua vetus remanserit corruptela, vel nova labes cum fidelium animarum pernicie ecclesiasticæ in hac re disciplinæ inferatur, Fraternalitibus vestris significare. De quo quidem timore nostro tantum intelligimus minui oportere, quantum ex eo sollicitudinis ad pastoralementem vestram vigilantiam accesserit; qua sive quidpiam de veteri corruptela post memoratas supradicti Prædecessoris nostri Litteras fortasse reliquum fuerit, sive pro infringendis jejunii legibus vel opinionum commenta, vel à vera jejunii vi et natura abhorrentes consuetudines humani pravitatis ingenii novissimè sint invectæ, ea omnia, quantum juvante Domino fieri potest, radicitus convellenda curetis. In quibus profectò abusum illum censemus omnino numeran-

dum, quem rumor quidam ad nos pertulit; cùm nonnulli, quibus ob justas et legitimas causas ab abstinentia carniùm dispensatum fuerit, licere sibi putant potiones lacte permixtas sumere, contra quàm prædicto Prædecessori nostro visum fuerit, qui censuit, tam dispensatos à carniùm abstinentia, quàm quovis modo jejunantes, unica excepta comestione, in omnibus æquiparandos iis, esse, quibuscum nulla est dispensatio, ac propterea tantummodo ad unicam comestionem posse carnem, vel quæ ex carne trahunt originem, adhibere.

Verùm neque commodiùs, nec majori proficiendi spe revocare homines aggrediemini ad sacrosanctam jejunii legem observandam, quàm si illud populos doceatis: Christiani hominis Pœnitentiam, præter cessationem à peccatis et malè anteaectæ vitæ detestationem, eorundemque peccatorum Sacramentalem confessionem, illud etiam postulare, ut per jejunia, eleemosynas, orationes, et alia spiritualis vitæ opera divinæ justitiæ satisfaciamus: omnem enim iniquitatem, parva, magnave sit, aut ab ipso pœnitente, aut à Deo vindicante puniri oportere; nisi igitur à Deo puniri velimus, id non aliter vitare nos posse, quàm si ipsi nos puniamus. Quæ quidem doctrina si constanter populorum animis inculcetur, et à fidelibus denique altè imbibatur, minùs profectò verendum erit, ne qui profligatos mores abjecerint, ac per Sacramentalem Confessionem peccata sua eluerint, non eadem peccata velint, atterenda carnis concupiscentia, per jejunium expiare. Præterea, quibus persuasum fuerit, se peccatorum minùs dubiè pœnitere, cùm se impunitos esse non sinant, ii profectò pœnitentiæ amore capti, lætabuntur, Quadragesimali tempore cæterisque certis diebus, cùm S. Mater Ecclesia edicit fidelibus jejunandum, oblatam sibi esse occasionem, qua dignos pœnitentiæ fructus faciant: Cùmque nullo non tempore oporteat domitas habere concupiscentias; scriptum est enim: Post concupiscentias non eas, et à voluntate tua avertere: facilè animum inducant, Sacratissimo totius anni potissimùm tempore, corporis intemperantiam mitigare jejunio; ut anima cognitione suæ recepta intelligat, qua compunctione parare se debeat ad Sanctissima Passionis, Mortis, et Resurrectionis Jesu Christi recolenda mysteria. Itaque pœnitentiæ stimulis tacti, minùs suavitates exquirant in dapibus, minùs sectentur cupediarum delicias, quæ quamvis cum abstinentia à vêtitis cibus non discrepare videantur, tamen eas, qui mensæ apponat suæ, illum non immeritò dixeris, non tam usitatas abjecisse delicias, quàm cupiditatem suam ad inusitatas illecebras traduxisse: minùs denique, aut, quibus se subducant à jejunio, quærant effugia, aut argutiis studeant Ecclesiasticam legem infringere.

Vestrum igitur est, Venerabiles Fratres, exemplo æquè ac verbo populis præeuntes, tantum in eorum animos pœnitentiæ studium et amorem injicere, ut alacriter jejunium aggressi, et illud ad præscriptas à Catholica Ecclesia leges observent, et eleemosynis etiam, atque oratione sanctificent: et id, quod maxime

spectat Ecclesia, denique consequantur, ut corpore mortificati et Christo consepulti, ad novam in Paschali sôlemnitate novi hominis vitam revocati, magna cum fiducia reviviscenti Christo Domino possint occurrere. Gratia Domini Nostri Jesu Christi cum vobis omnibus, quibus Apostolicam benedictionem benevolentiae in vos et charitatis nostrae pignus, amantissimè imper-

Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem die xx. Decembris anno MDCCIX. Pontificatûs nostri anno II.

minas, vulgò dictas *di Barriera*; ita quidem, ut Matrimonia ibi præter Tridentini formam, sive inter Hæreticos utrimque, sive inter Catholicos, et Hæreticos inita valorem suum obtineant, dummodo uterque Coniux ad easdem Copias, sive Legiones pertineat; et hanc declarationem vult Sanctitas Sua complecti etiam civitatem Mosæ Trajectensis à Republica fœderatorum Ordinum, quamvis non jure domini, sed tantum oppignorationis, ut aiunt, nomine possessam.

Tandem circa Conjugia, quæ contrahuntur, vel in Regionibus Principum Catholicorum ab iis, qui in Provinciis fœderatis domicilium habent, vel in fœderatis Provinciis ab habentibus domicilium in Regionibus Catholicorum Principum, nihil Sanctitas Sua de novo decernendum, aut declarandum esse duxit, volens, ut de iis, juxta canonica Juris communis principia, probatasque in similibus casibus aliàs editas à Sacra Congregatione Concilii resolutiones, ubi disputatio contingat, decidatur; et ita declaravit, statuitque, ac ab omnibus imposterum servari præcepit. Die 4 Novembris 1741.

DECRETUM IX.

Super Dispensationibus in Matrimoniis.

Ad Apostolicæ servitutis nostræ ministerium pertinet sedula invigilare cura, ut dispensationes super gradibus affinitatis, seu consanguinitatis, intra quos Matrimonia contrahi prohibentur, vel super aliis à Sacris Canonibus statutis impedimentis, nisi ex debitis causis non concedantur, et omnia inde amoveantur, unde nota aliqua ab improbis aspergi possit nomini, ac decori Romanæ Ecclesiæ, cui, licet immeritò, Divina benignitate præsidemus.

Sanè quidem ad dispensationes obtinendas ab iis, qui eas postulant, in supplici libello causæ pro illis consequendis exprimi solent, quæ si ejusmodi fuerint, ut juxta canonicas Sanctiones, et prudens ecclesiasticæ Provisionis arbitrium, locus ad dispensandum esse videatur, dispensatio concedi solet, ejusque executio Ordinario ut plurimum committi, cui onus incumbit diligenter inquirendi, an causæ expositæ veritate nitantur, ut, veris illis existentibus, gratia executioni demandetur, secus verò, si causæ nullatenus veritatæ consentaneæ sint. Si autem contingat ob causas minimè veras existentes, ut dispensatio executioni non tradatur, qui eam impetrarunt, apud negotiorum Gestores, seu Litterarum Aposolicarum expeditores conquirentur, à quibus nonnumquam responderi solet, executionem perperam, et injuria denegatam fuisse, quia expressio causarum, earumque verificatio in dispensationibus non est aliquid substantiale, sed formalitas quædam, et Forensis styli consuetudo: quod non minus veritati adversatur, quam executionis ordinem ac modum bene, ac prudenter constitutum subvertit: « cum expressio causarum earumque verificatio. » ad substantiam, et validitatem dispensationis pertineat, illisque deficientibus, gratia nulla, ac irrita sit, nullamque executionem mereatur. »

Id autem ut plurimum evenit in dispensationibus, in quibus apponi solet clausula : *Et Oratoribus vitæ periculum immineret*, quæ cum sæpe in dispensationibus in primo et secundo, vel in secundo gradu, et in nonnullis aliis canonicis impedimentis sine ulla ratione, causa, et veritate expressa reperiatur, Ordinarii locorum qui cautiùs et accuratiùs se gerunt, nisi vitæ periculum immineat, dispensationem exequi recusant; alii verò, fortasse falso rumore inducti, quòd hujusmodi clausula sit mera formalitas, indulgentiùs quàm necesse est procedentes, periculo vitæ neque argumentis probabilibus verificato, eoque Oratoribus saltem verisimiliter imminere comperto, gratiam dispensationis exequentur.

S. M. Prædecessor noster Pius PP. V. in sua Constitutione per viam motùs proprii expedita, et publicata sub die 5 Decemb. ann. MDLXVI., cujus initium est : *Sicut accepimus* : « decrevit, » omnes et singulos Procuratores tam Officii Sacræ Pœnitentiariæ, seu Contradictarum, quàm alios quoscumque Sollicitatores, » et Scriptores, qui veritatem facti à narratione, quàm ab ipsis » Partibus habuerunt, quoad substantialia, et qualitates necessariò exprimendas diversam faciunt, seu quoquo modo inter- » vertunt, aut immutant, aut depravant, et per subreptionem, » et obreptionem gratias à Romanis Pontificibus extorquent, » pœnam falsi incurrere, et ea puniri omnino debere. »

Hujusmodi autem constitutio, quamquam videatur pertinere dumtaxat ad Procuratores, Sollicitatores, et Scriptores Officii sacrae Pœnitentiariæ, ubi per id temporis Matrimoniales dispensationes etiam in foro externo concedi solebant, nihilominus pro pastoralis nostra, et paterna ex alto nobis commissa cura hortamur, monemus, ac præcipimus omnibus et singulis negotiorum Gestoribus, Procuratoribus, et Expeditoribus « Litterarum Apostolicarum, etiam Datariaè nostræ, ut cum supplices preces pro » aliqua matrimoniali dispensatione porrecturi sunt, id primum » ante omnia agant, ut plenam atque exactam facti notitiàm assequi curent, sciscitantes ab ipsis Oratoribus, an hæc et illæ causæ » adsint, ex quibus sciunt dispensationem concedi solere in hoc » vel illo gradu, deinde in supplici libello facti speciem nitidè, » ac sincerè exponant, caveantque diligenter, ne illam aliquatenus » in rebus substantialibus alterent, immutent, invertant, corrumpant, sed strictè adhæreant iis, quæ ab oratoribus sibi » exposita fuerunt, et multo magis abstineant, ne quid falsi aut » ficti proprio ingenio inventum vel excogitatum ad gratiam dispensationis faciliùs obtinendam in precibus obtrudant; demùm » præ oculis habentes », se operam suam in ecclesiasticis negotiis in hac alia Urbe exhibere, ubi Cathedra veritatis est, ipsam solum ament, et sectentur veritatem, non lucrum, aut gratiam, et favorem supplicantium, diligenterque videant, ne mendacii aut erroris merito argui cum animæ suæ detrimento possint, falso, et perperam asserentes causas, earumque verificationes ex provida nostrorum Prædecessorum dispositione in hujusmodi gratiis ad

ecclesiasticæ disciplinæ vigorem, et Canoniarum legum, et Apostolicarum Constitutionum voluntatem servandam apponi, et respectivè demandari solitas, vanas, et superfluas esse, et tanquam inanes Curiaè formalitates parvi aut nihili esse faciendas.

Præterea huiusmodi graves abusus, quibus honor, et decus hujus Almæ Urbis dehonestatur, et Sedis Apostolicæ splendori, ac dignitati officitur, penitus abolere cupientes, motu proprio, ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine præfatam « Constitutionem s. m. Pii V. Prædecessoris nostri extendimus, dilatamus ac producimus ad omnes prædictos negotiorum Gestores, Procuratores, et Expeditores litterarum Apostolicarum cujuscumque statûs, gradûs, ordinis, et conditionis, et quocumque indulto, privilegio, et dignitate munitos te quatenus opus sit, eam de novo ferimus, statuimus, et innovamus; volentes, ac decernentes, ut in omnibus superiùs expressis casibus pœna falsi contra delinquentes locum habeat, sine tamen præjudicio obligationis refundendi expensas oratoribus, qui ob illorum culpam ejusmodi dispensationes, quæ executioni demandari nequeunt, obtinuerunt. »

Denique omnes et singulos Venerabiles Fratres Archiepiscopos, Episcopos, et locorum ordinarios, cæterosque « Executores Litterarum Apostolicarum, quibus huiusmodi dispensationum executio committi solet, enixè rogamus, et obsecramus, ut sedulò ac diligenter attendant priusquam dispensationis gratiam exequantur, an causæ in Apostolicis litteris expressæ, et quarum verificatio eorum curæ et vigilantia à Sede Apostolica commissa est, veræne, an secus existant, an potiùs Sedi Apostolicæ falsum expositum, et veritas reticita fuerit: quæ super re eorum conscientiam oneramus. » Et quoniam in iisdem Apostolicis litteris super dispensationibus in gradibus prohibitis, aliisque præfatis impedimentis nonnulla observata sunt, quæ negotium executoribus quandoque exhibere, et scrupulos eorum animis ingerere solent, Apostolicæ nostræ sollicitudinis erit, ea dilucidius et apertius in iisdem dispensationum litteris Apostolicis exponere, ac declarare, ut omni dubitatione sublata, et causis coram executore huiusmodi probationum genere probatis, quo de illarum veritate moraliter certus reddatur, Apostolicæ litteræ matrimonialium dispensationum sine ulla hæsitatione ad debitam executionem deduci possint.

Mandamus quoque, et injungimus dilecto filio nostro Pompeio tituli sancti Eusebii S. Romanæ Ecclesiæ Presbytero Cardinali Aldovrando nuncupato Produlario nostro, ejusque successoribus Datariaè Apostolicæ, Produlario sen Dataris pro tempore existentibus, ut in præmissis reos, et culpabiles repertos pœna falsi, ut præfertur, puniant, cum potestate citandi, etiam per edictum, constito summarè de non tuto accessu, aliaque dicendi, et faciendi in præmissis necessaria, seu quomodolibet opportuna. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, statutis, et consuetudinibus, et quibusvis indultis et privilegiis qui-

buscumque personis etiam speciali mentione dignis, datis, etc. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem quinto Cal. Martis anno Incarnationis Dominicæ 1742, Pontificatûs nostri anno secundo.

Hic juvat addere SS. D. N. Clementis XIII Constitutionem de Jejunio, quæ est ut sequitur.

Venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Primalibus, Archiepiscopis, et Episcopis.

CLEMENS PAPA XIII.

Venerabiles Fratres, salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Appetente Sacro Quadragesimali tempore, quod plenum mysteriis non sine mysterio magnam illam Paschæ celebritatem præcedit, qua una omnium solemnitatum dignitas est consecrata, providendum, Venerabiles Fratres, ut sacratissimum Jejunium sanctè religiosèque à Fidelibus observetur, quod Legis et Prophetarum testimonio commendatum, à Christo Domino consecratum, ab Apostolis traditum, Ecclesia Catholica perpetuò retinuit, ut per macerationem carnis, et animæ humiliationem ad Dominicæ Passionis, Paschaliūque Sacramentorum Mysteria paratiores accedamus, et in ejus Resurrectione resurgamus, in cujus Passione, deposito veteri homine, sumus commortui. Cujus tam sanctæ tamque salubris institutionis retinendæ studio fel. record. Prædecessor noster Bened. XIV. etsi binis ad vos Litteris in forma Brevis eximium Fraternitatum Vestrarum zelum excitavit, quo pluribus labefactata corruptelis Quadragesimalis jejunii disciplina ad pristinam observantiam vestra opera et studio revocaretur, ob eamque rem nonnullas cavillationes, quibus omnis sacrorum vis jejuniorum infringebatur, de medio sustulit; tamen cum ab intensissimo teterrimoque humani generis hoste tam multæ et assiduæ sint Gregi Dominico insidiæ; verendumque propterea sit, ne subinde infirmiorum animis novas veterator ille rationes, pravasque suggerat consuetudines, quibus enervata jejunii severitas, unde revocata dudum fuerat, illuc iterum relabatur; necessarium existimavimus vobis has Litteras dare, quantoque in timore simus, ne qua vetus remanserit corruptela, vel nova labes cum fidelium animarum pernicie ecclesiasticæ in hac re disciplinæ inferatur, Fraternalibus vestris significare. De quo quidem timore nostro tantùm intelligimus minui oportere, quantum ex eo sollicitudinis ad pastoralementem vestram vigilantiam accesserit; qua sive quidpiam de veteri corruptela post memoratas supradicti Prædecessoris nostri Litteras fortasse reliquum fuerit, sive pro infringendis jejunii legibus vel opinionum commenta, vel à vera jejunii vi et natura abhorrentes consuetudines humani pravitate ingenii novissimè sint invectæ, ea omnia, quantum juvante Domino fieri potest, radicitus convellenda curetis. In quibus profectò abusum illum censemus omnino numeran-

dum, quem rumor quidam ad nos pertulit; cùm nonnulli, quibus ob justas et legitimas causas ab abstinentia carniū dispensatum fuerit, licere sibi putant potiones lacte permixtas sumere, contra quàm prædicto Prædecessori nostro visum fuerit, qui censuit, tam dispensatos à carniū abstinentia, quàm quovis modo jejunantes, unica excepta comestione, in omnibus æquiparandos iis, esse; quibuscum nulla est dispensatio, ac propterea tantummodo ad unicam comestionem posse carnem, vel quæ ex carne trahunt originem, adhibere.

Verùm neque commodius, nec majori proficiendi spe revocare homines aggrediemini ad sacrosanctam jejuniū legem observandam, quàm si illud populos doceatis: Christiani hominis Pœnitentiam, præter cessationem à peccatis et malè anteactæ vitæ detestationem, eorundemque peccatorum Sacramentalem confessionem, illud etiam postulare, ut per jejunia, elemosynas, orationes, et alia spiritualis vitæ opera divinæ justitiæ satisficiamus: omnem enim iniquitatem, parva, magnave sit, aut ab ipso pœnitente, aut à Deo vindicante puniri oportere; nisi igitur à Deo puniri velimus, id non aliter vitare nos posse, quàm si ipsi nos puniamus. Quæ quidem doctrina si constanter populorum animis inculcetur, et à fidelibus denique altè imbibatur, minùs profectò verendum erit, ne qui profligatos mores abjecerint, ac per Sacramentalem Confessionem peccata sua eluerint, non eadem peccata velint, atterenda carnis concupiscentia, per jejunium expiare. Præterea, quibus persuasum fuerit, se peccatorum minùs pœnitere, cum se impunitos esse non sinant, ii profectò pœnitentiæ amore capti, lætabuntur, Quadragesimali tempore cæterisque certis diebus, cùm S. Mater Ecclesia edicit fidelibus jejunandum, oblatam sibi esse occasionem, qua dignos pœnitentiæ fructus faciant: Cùmque nullo non tempore oporteat domitas habere concupiscentias; scriptum est enim: Post concupiscentias non eas, et à voluntate sua avertere: facillè animum inducant, Sacratissimo totius anni potissimum tempore, corporis intemperantiam mitigare jejunio; ut anima cognitione suâ recepta intelligat, qua compunctione parare se debeat ad Sanctissima Passionis, Mortis, et Resurrectionis Jesu Christi recolenda mysteria. Itaque pœnitentiæ stimulis tacti, minùs suavitates exquirant in dapibus, minùs sectentur cupediarum delicias, quæ quamvis cum abstinentia à velitis cibis non discrepare videantur, tamen eas, qui mensæ apponat suæ, illum non immeritò dixeris, non tam usitatas abjecisse delicias, quàm cupiditatem suam ad inusitatas illecebras traduxisse: minùs denique, aut, quibus se abducant à jejunio, quærant effugia, aut argutiis studeant Ecclesiasticam legem infringere.

Vestrum igitur est, Venerabiles Fratres, exemplo æquè ac verbo populis præeuntes, tantum in eorum animos pœnitentiæ studium et amorem injicere, ut alacriter jejunium aggressi, et illud ad præscriptas à Catholica Ecclesia leges observent, et electiosynis etiam, atque oratione sanctificent: et id, quod maxime

spectat Ecclesia, denique consequantur, ut corpore mortificati et Christo consepulti, ad novam in Paschali solemnitatem novi hominis vitam revocati, magna cum fiducia reviviscenti Christo Domino possint occurrere. Gratia Domini Nostri Jesu Christi cum vobis omnibus, quibus Apostolicam benedictionem benevolentiae in vos et charitatis nostrae pignus, amantissime imper-
timur.

Dat. Romae apud S. Mariam Majorem die **xx.** Decembris
anno **MDCCLXIX.** Pontificatus nostri anno **II.**

APPENDIX II.^(a)

DE PRIVILEGIIS.

CAPUT I.

De Privilegiis in communi.

Differentia inter Privilegium, Dispensationem, et Licentiam. — 1. Quando Privilegium deroget juri communi. — 2. Quando Privilegiatus teneatur uti Privilegio. — 3. Utrùm extra Sacramentum censuræ, etc. — 4. De Clausulis, *Ad instar etc. Quatenus sacris Canonibus non adversetur etc. Supplentes defectus etc.* — 5. De interpretatione Privilegiorum. 6. 7. et 8. De Communicatione. 9. 10. et 11. De Privilegiis Regularium revocatis, cum Declarationibus S. Pii. — 12. De Rescriptis Gratia, et Justitiæ, utrùm expirent morte Pontificis. — 13. Quot modis cesset Privilegium. — 14. Quomodo cesset per Revocationem. — 15. De revocatione Expressa. — 16. De Tacita, et utrùm sit intimanda, vel saltem publicanda Revocatio. — 17.

1. — Privilegium definitur: *Lex privata, aliquod speciale concedens beneficium.* Privilegium differt à Dispensatione, quæ eximit à lege, et ideo semper est odiosa; differt etiam à Licentia quæ conceditur tantùm ad paucos actus. De Privilegiis in particulari inferiùs proprio loco dicemus; hîc tantummodo annotabimus quasdam regulas advertendas circa Privilegia in communi.

2. — Et I. Ut Privilegium deroget juri communi, non requiritur clausula derogatoria, præsumitur enim Princeps jam scire leges communes; excipitur tamen 1. Quando Privilegium non posset suum effectum sortiri sine hac expressa derogatione. 2. Si in lege, cui derogatur, esset apposita clausula: *Non obstante quocumque privilegio*: hoc intelligitur, dummodo in Privilegio non extet clausula: *Ex certa scientia*; vel: *Ex plenitudine potestatis*. Salm. tract. 18. c. 1. n. 42. et 43. cum aliis. 3. Quando Privilegium est contra aliquam consuetudinem, aut legem Municipalem? His enim non derogatur, nisi de illis specialis mentio fiat. Suar. de leg. l. 8. c. 14. n. 4. Castrop. t. 1. tr. 3. D. 4. p. 10. n. 9. et Salm. l. c. c. 1. n. 8. cum Pelliz. Tambur. etc.

3. — II. Privilegiatus non tenetur, regulariter loquendo, uti Privilegio. Reg. 16. Jur. in 6. Sed excipiendum est 1. Si non utendo grave damnum Proximo inferret: hoc tamen intellige, si per se, non verò consequenter; E. G. Si Confessarius habeat privilegium absolvendi à peccatis reservatis, post auditam confessionem tenetur eo uti. Vide Salm. tr. 18. c. 1. n. 11. cum aliis. 2. Si privilegium cedat in bonum commune, quemadmodum

(a) *Appendix prima De Dispensationibus invenitur ad calcem Tractatus de Legibus, Tom. I, pag. 187.*

est Privilegium Immunitatis, quo unusquisque tenetur uti ex cap. Si diligenti, de Foro compet. 3. Si privilegium tollat impedimentum ad observandum præceptum : E. G. Si infirmus habet Domi Oratorium privatum, et facile potest audire Sacrum, tenetur privilegio uti. Suar. c. 35. n. 8. Pal. p. 7. n. 3. Sanch. de Matr. l. 6. D. 6. n. 14. Salm. c. 1. n. 12. cum Sylvest. Avila etc. 4. Si Privilegium non est Personale, sed reale, addictum loco, vel Dignitati, vel Statui, quemadmodum sunt Privilegia concessa Episcopis, et Regularibus. Vide Salm. c. 1. n. 17. et 18.

4. — III. Qui habet Privilegium pro foro pœnitentiali, etc. absolvendi à censuris, et pœnis Ecclesiasticis, valde probabiliter potest eo uti etiam extra Sacramentum, etiamsi facultas concepta esset in terminis : *Sacerdoti Confessario*. Suar. l. 8. c. 6. n. 15. Castrop. D. 4. p. 2. §. 5. n. 6. et Salm. c. 1. n. 33. cum Silvest. Tamb. etc. contra alios qui probabiliter etiam negant.

5. — IV. Loquendo de clausulis : clausula *Ad instar* importat tunc valere Privilegium, quando aliud (ad cujus formam secundum concessum est) fuit validum saltem à principio, quamvis postea revocatum fuerit, vel non acceptatum, ut advertit P. Mazzotta. Aliàs enim, si primum Privilegium fuerit nullum, nullum quoque erit secundum, dummodo in secundo non exprimat id quod conceditur. Suar. c. 15. n. 2. Castrop. D. 3. p. 2. §. 8. n. 1. Salm. c. 1. n. 39. cum Bonac. etc. et P. Mazzotta tom. 1. de Privil. p. 221. v. Sexto. Hoc tamen currit (ut aiunt præfati Auctores) quando dicitur : *Ad instar*; non verò si dicatur, *sicut concessum est*, etc. ut limitant Bonac. et Garcias apud Salmanticens. Clausula : *Quatenus sacris Canonibus non adversetur*, intelligitur de iis tantummodo Canonibus in quibus est expressum : *Non obstant quocumque Privilegio*. Salm. c. 1. nu. 50. cum Nav. Suar. Garc. etc. Clausula, *Supplentes singulos defectus* intelligitur tantum de defectibus earum rerum, quæ requiruntur solum de *Jure positivo*, et qui sunt tantummodo accidentales; non verò de defectibus naturalibus, aut substantialibus, utpote esset, si Supplicans foret excommunicatus, aut si Supplicatio foret subreptitia, vel fraudulenta; aut si defectus esset circa causam, aut personam Supplicantis. Salm. c. 1. n. 51, cum Barbosa, et Tambur. Aliæ clausulæ videri possunt apud Salm. c. 1. ex n. 40.

6. — V. Loquendo de interpretatione Privilegorum, plura annotanda sunt. Notetur 1. omne privilegium interpretandum esse eo modo, quo Privilegiato non sit neque inutile, neque onerosum. Salm. c. n. 70-71. 2. Privilegia solum Princeps, vel alii, quibus à Principe foret commissum authenticè, vel juridicè possunt interpretari. Doctrinaliter verò potest ea interpretari quicumque vir doctus, cujus resolutioni licitè potest acquiesci; ut omnes affirmant; et quando in Privilegio prohibetur quæcumque interpretatio, de sola authentica et juridica est intelligendum; Vide Salm. c. 1. n. 72 et 73, aut ad summum intelligi debet de interpretatione quæ fit *ex professo*, ut dictum est de Legibus (Tract. II. n. 75.) 3. à Clemente IV., et ab aliis Pon-

tificibus prohibentur Episcopi interpretari juridicè privilegia Regularium. Solùm id ab Alexand. VI. et Paulo III. (quando Apostolica Sedes consuli nequit) concessum est jurisperitis, cæterisque iudicibus in favorem Regularium. Idem concessum est Generalibus Visitoribus, et etiã Provincialibus, et Prælatiis immediatis, quoties ipsi Peritos consulunt. Idem locum habet in interpretatione Regularum, Constitutionum, et Consuetudinum. Eodem modo possunt iidem Prælati auferre, vel limitare subditis usum Privilegiorum. Vide Salm. c. 1. n. 74. 75. et 76.

7. — Notandum 4. Quòd generaliter loquendo de Privilegiis, omne Privilegium largè sit interpretandum ut habemus ex Cap. Olim 6 de Verb. sign. ubi dicitur : *cum beneficia Principum interpretanda largissimè* etc. Et ex l. ult. ff. de Constit. Princ. Contra verò Privilegia odiosa strictè sunt interpretanda, cujusmodi sunt illa quæ sunt derogatoria Juris communis, aut Statutorum, et consuetudinum particularium, dummodo hæc statuta non sint contra Jus commune; aut dummodo Privilegium non sit insertum *corpori juris*; ideoque aiunt Sanch. et Mazzotta, Sanch. de Matr. l. 8. D. 1. n. 8. et Mazzotta l. c. p. 223. c. 2. v. Resp. omnia Privilegia realia latè esse interpretanda; ob suam enim perpetuitatem habentur tanquam inserta Juri communi. Insuper excipitur si aliàs Privilegium redderetur inutile, aut si eo extaret clausula; *ex certa scientia*, vel *ex motu proprio*. Vel si Privilegium esset absolvendi, dispensandi, aut communicandi illud cum aliis. Salm. tr. 18. c. 1. n. 78, ad 80. Privilegia verò in præjudicium aliorum, cujusmodi essent ad obtinenda plura Beneficia, aut ad conferenda Beneficia vacantia, aut contra observantiam regularem, strictè sunt interpretanda, etiamsi concessa fuerint *ex motu proprio*. Salm. n. 83. et 84.

8. — Hoc verò intelligendum est de Privilegiis concessis personis particularibus: sed ea, quæ sunt concessa alicui Ordini, Conventui, Communitati, aut ad aliam piam Causam, omnia sunt interpretanda non modò latè, sed etiã latissimè, etiamsi adversentur juri communi, vel alicui Tertio, quemadmodum communissimè affirmant DD. Suar. c. 27. n. 7. Castrop. D. 4. p. 10. n. 6. Mazzotta l. c. et Salm. c. 1. n. 27 et 29, et iterum n. 85 et 86, cum Azor. Laym. Sylv. Bon. Henr. Cochinch. Lezana, Bord. et aliis. Privilegia enim Communitatibus concessa præsumuntur omnia esse remuneratoria servitiorum præstitorum, et ideo omnia habentur tanquam favorabilia, ex l. Sicut persona, ff. de Relig. Vid. Salm. c. 1. n. 23. ad 27.

9. — VI. Loquendo de Communicatione Privilegiorum notetur 1. quòd Religiones Mendicantes communicent in totum inter se de Privilegiis præteritis, et futuris, tum circa personas, tum circa loca, Festivitates, et indulgentias, prout habetur ex Bullis Sixti IV. Clementis VIII. et Leonis X. Vide Salm. n. 88. et 89. Et hoc currit, quamvis Religio, cui concessum est Privilegium, vel non acceptaverit, vel eo usa non fuerit. Insuper quando am-

phatur Privilegium alicui Religioni concessum, intelligitur ampliatum etiam quoad alias. Salm. c. 8. n. 98 et 99. Insuper hæ Religiones Mendicantes communicant Privilegiis cæterarum Religionum, vel Congregationum, vel Collegiorum Monasticorum, vel non Monasticorum. *Ita communisime* Salm. t. 18. c. 1. n. 90, cum Rodr. Pelliz, Tamb. etc. Et hoc valet, etiamsi in Privilegio concesso alteri Religioni, vel Congregationi, adsit clausula quod non communicetur; nam in aliis Bullis de Communicatione dicitur, quod tollatur quodcumque impedimentum communicationis. Salm. n. 107, cum Rodr. Basseo, Miranda, Bon. Diana, Donato, etc. Hujusmodi Privilegiis perfuuntur tam Conversi, ipsi enim verè Religiosi sunt, Vide Salm. Tract. 15. de Statu Relig. c. 1. n. 33., quam Novitii, quemadmodum declaravit Clemens VIII., et est communis sententia (quidquid dicant quidam pauci) cum Suarez, Sanch. Castrop. etc. Suarez Tom. 4. De Relig. Tract. 10. lib. 9. c. 1. n. 18. et Salm. ibid. c. 3. n. 85., cum Sanch. Castrop. Lezana, et Pelliz. et aliis; fruuntur quoque Religiosi ad Episcopatum promoti, dummodo non agatur de rebus, quibus Episcopi si uterentur, aliquod Religioni præjudicium proveniret, ut esset habitatio in Monasterio, datio suffragii, etc. Vide Salm. dict. tr. 15. c. 5. n. 43, cum Suar. Lez. et Castrop. Tertiarii autem, et Tertiariæ (vel Beatæ) subditæ Mendicantibus, et quæ Habitum Religionis deferunt, et votum habent Castitatis, (quibusdam tantum rebus exceptis) eorum quoque Privilegiis gaudent, sed quatenus sunt capaces. Confratres Scapularis, et Cinguli (vocati *Cordonis*) fruuntur tantum, et participant in omnibus Indulgentiis et Remissionibus peccatorum, sed non in alio. Salm. ibid. n. 94, cum aliis.

10. — Notandum 2. Moniales tam Ordinum Mendicantium, quam non Mendicantium, gaudere Privilegiis Monachorum sui Ordinis, et consequenter cujuscumque alterius Ordinis in omnibus, quorum sunt capaces (intellige de favorabilibus). Hoc valet, etiamsi Privilegium tantum de hominibus loqueretur, ut deducitur ex Bulla Leonis X. Atque ita è contrariò Fratres gaudent Privilegiis Monialium Ordinum, ex eo quia ipsi communicant (ut superius dictum est) Privilegiis concessis cuicumque Religioni, Congregationi, aut Monasterio. Vide Salm. Tract. 18, de Priv. c. 1. n. 91. Sed redeundo ad Moniales; hujusmodi Privilegiis gaudent etiam illæ, quæ Pontifici, aut Episcopo subjiciuntur, atque ita, quando Religiosis conceditur Privilegium, ut absolvantur, vel cum eis dispensetur à suo Prælato, Moniales subjectæ Episcopo possunt quidem ab eodem absolvi, et dispensationem obtinere. Et hoc currit etiamsi in Privilegio nominarentur tantum Moniales, quæ Regularibus subditæ sunt. Suar. de Leg. l. 8. c. 10. n. 7. Bon. Dist. 1. q. 3. p. 7. §. 2. n. 2. et Salm. Tr. 18. c. 1. n. 92, cum Castrop. Lez. Pelliz. Bordonio, Boss. et aliis contra paucos.

11. — Notandum 3. Privilegia non communicari quando sunt odiosa, vel contraria propriis Statutis, adeo ut præjudicent bono

sive communi observantiæ Religionis. Castr. Dist. 4. §. 9. n. 2, et Salm. c. 1. n. 100., cum Pelliz. Lez. Portell. Tamb. Bord. Notetur 4. Privilegia alicui concessa non tanquam personæ particulari, sed ratione sui officii, seu dignitatis, vel tanquam membro illius Communitatis, intelligi concessa omnibus aliis ejusdem officii, aut ejusdem Communitatis. Et Privilegia concessa Subditis, seu Prælati inferioribus, etiam Prælati Superioribus concessa intelliguntur. Salm. c. 1. n. 110 et 111. Similiter Privilegia concessa alicui Conventui, aut Ecclesiæ, aut Particularibus alicujus Conventus, sed tanquam membris illius, intelliguntur quoque concessa cæteris Religiosis tam illius Ordinis, quam aliorum, qui communicationem habent, quando scilicet eadem, vel similis ratio militat. Salm. ibid. cum Pelliz. Garcia. Quint. Tamb. etc. Sed hoc non est intelligendum de Privilegiis, quæ conceduntur alicui Congregationi ad tempus determinatum, vel per Brevia particularia sunt concessa alicui Monasterio ob specialem aliquam causam, vel quando agitur de rebus, quæ difficile solent concedi. Salm. c. 1. n. 118, cum Peyrin. Tamb. Merula etc.

12. — VII. Certum est, ut habetur ex Propos. 36. damnata ab Alexandro VII. Religiosos non posse amplius uti Privilegiis jam revocatis per Concilium Tridentinum. Verum hoc non obstante, attendendæ sunt quædam Declarationes Concilii factæ per S. Pium V. in sua Bulla : *Etsi mendicantium*. Hæ sunt : 1. Quod Sæculares possunt audire Sacrum et Conciones in Ecclesiis Regularium. 2. Quod Episcopus nequeat impertiri licentiam ingrediendi Monasteria Monialium exemptarum. 3. Quod Quarta Funerum non intelligitur nisi de eo quod affertur. Vid. Salm. tr. 18. c. 1. n. 137. 4. Quod Confessarii Monialium exemptarum, et Concionatores Regulares in propriis Ecclesiis non examinentur ab Ordinario ; verum quod attinet ad Confessarios, hoc Privilegium abrogatum est per varias Apostolicas Constitutiones, et præsertim per Bullam Apostolici Ministerii, emanatam ab Innoc. XIII. ann. 1723, et confirmatam per Benedictum XIII. die 23. Septembris anni 1724. Ibi §. 18. declaratur, quod Confessarii Monialium exemptarum debeant examinari, et approbari ab Episcopo Diocesis, « remota quacumque contraria consuetudine etiam immemorabili. »

13. — VIII. Distinguendum est *Rescriptum Gratia*, ut esset absolvendi, dispensandi etc... à *Rescripto Justitiæ*, ut exercendi jurisdictionem, appellandi etc. In Rescripto Gratia dicitur, *Gratia facta*, quando Delegatus habetur tanquam merus necessarius executor : *Gratia facienda*, quando conceditur facultas dispensandi, et relinquitur arbitrio Delegati. Rescriptum Justitiæ expirat morte Principis, dummodo res adhuc sit integra ; et idem de Rescripto Gratia faciendæ. Oppositum verò dicendum de Rescripto Gratia factæ, ut absolvendi, recipiendi Ordines *extra tempora*, de Oratorio privato etc. Castrop. D. 3. p. 16. §. 4. n. 11. Sanch. de Matr. l. 8. D. 38. n. 43. Salm. c. 1. à n. 141, ad

146, cum Suar. Privilegium concessum cum clausula, *Donec voluero*, probabiliter non expirat post mortem Concedentis. Salm. c. 16. n. 149. Quòd si in Concessione exprimat^r Officium Delegati, mortuo Delegato, transit etiam ad Successorem. Salm. n. 150.

14. — IX. Privilegium multis modis cessare potest, et 1. per decursum termini constituti. 2. Per cessationem causæ finalis : intellige quando Privilegium est concessum sub conditione dictæ causæ ; sed quando concessum esset absolute, adest opinio valde probabilis, quòd etiamsi cessaret causa nalis, non cesset tamen Privilegium ; neque cessat, quamvis semel privilegio usi fuerimus. Salm. c. 3. n. 3 et 4, juxta id, quod diximus de Dispensatione, cap. II. n. 66, in fin. 3. Ob renuntiationem privilegiati ; in quo notandum est, quòd Particulares nequeunt renuntiare Privilegiis Communitatis ; et ut valida sit renuntiatio, fieri debet in manu illius qui Privilegium concessit, et ab eodem acceptanda. Vide Salm. Tr. 18. c. 2. n. 5, ad 8. 4. Per usum contrarium, vel per non usum : in dubio tamen præsumptio semper est pro usu. Sed in hoc advertendum est, quòd Privilegia gratiosa, quæ non sunt aliis gravamina, ut absolvendi, dispensandi, vel jejunandi, et his similia, nunquam amittuntur per non usum, et etiam per usum contrarium, quamvis temporis longissimi. Suar. de Leg. l. 8. c. 34. n. 17., Bonac. D. 1. q. 3. p. 8. §. 5. n. 4. Castrop. Tr. 3. D. 4. p. 18 n. 3. et p. 19. n. 1. et Salm. c. 2. n. 13, cum Laym. Pont. Lez. Garcia, etc. Privilegia contra, quæ tertio sunt onerosa, ut non solvendi Decimas et similia, præscribuntur per usum contrarium, et etiam per non usum privativum (non verò dumtaxat negativum) quod accidit, quando Privilegiatus conscius jam sui Privilegii, occasionibus oblatis, sponte uti recusavit. Hoc autem currit, dummodo in Privilegio non sit clausula *utendi ad Sui arbitrium*. Castrop. p. 18. n. 4. Bonac. n. 3, et Salm. n. 14, cum Laym. Garc. Lez. etc. Insuper hoc intelligitur pro foro externo, nam in conscientia non amittit Privilegium qui animum non habet renuntiandi. Vid. Salm. cap. 2. n. 18. Potest cessare etiam Privilegium per abusum sive in totum, sive in partem. Salm. n. 17.

15. — Cessat 5. Privilegium ob revocationem Principis. In hoc autem distinguere oportet Privilegia Gratuita à Remunerativis, et ab Onerosis ; si Privilegium est merè gratuitum, revocari potest validè etiam sine justa causa : quamvis hoc non excusetur saltem à culpa veniali, si scandalum absit. Pont. l. 8. c. 19. n. 15. Castr. p. 21. §. 3. n. 3, et Salm. c. 2. n. 37, cum Suar. Sanch. Bon. etc. Si verò cum Privilegio translatum fuisset dominium alicujus rei in Privilegiatum, illud revocari nequit nec licitè nec validè, nisi ob causam urgentissimam boni communis, vel gravis delicti, vel ob illas causas, ob quas revocari quit quælibet donatio. Castr. p. 21. §. 2. n. 2. Bonac. p. 8. §. 2. n. 5. Suar. l. 8. c. 37. n. 7, et Salm. c. 3. n. 29, cum Pont. Garc. Lez. etc. Sed si Privilegium est remuneratorium, vel ob justitiam, vel ob gratitudi-

nem, semper requiritur justa causa, ut validè revocetur. Et si insuper est onerosum, ut exempli causa, concessum ob pretium acceptum, vel ob aliquod onus Privilegiato impositum, tunc et revocetur (ultra justam causam), requiritur compensatio. Et hoc dicendum de Privilegiis Remuneratoriis ob justitiam, ut dicunt communiter DD. Suar. l. c. n. 6. et 7. Pont. num. 13, et Salm. tract. 18. c. 2. n. 30. et 85, cum aliis.

16. — Revocatio verò Privilegiorum alia est *Expressa*, alia verò *Tacita*; quoad *Expressam* regulariter loquendo sufficit clausula generalis, non obstantibus Privilegiis etc. ut revocentur omnia Privilegia in contrarium. Excipiuntur tamen 1. Privilegia concessa per modum contractus, sive onerosa sint, sive remunerativa ob justitiam (ut supra dictum est) in quibus mentio specialis fit meritorum in particulari. 2. Privilegia quæ clausulam habent, quod non intelligantur derogata, nisi mentio particularis fiat. 3. Privilegia Regularium, quæ etiam specialem mentionem requirunt, quia sunt remunerativa, et videntur clausulam habere derogatoriam futuræ revocationis, nisi eorum mentio specialis fiat, ut affirmant Rodriq. Portel. et Miranda apud P. Mazz. 4. Privilegia incerta *corpori juris*, quia tunc sunt veræ leges, et ut revocentur, requiritur clausula specialis, non obstantibus legibus in contrarium, etc. Suar. l. 8. c. 38. n. 2. Bonac. t. 2. D. 3. p. 8. §. 4. n. 11. Castrop. tr. 3. D. 4. p. 21. §. 3. à n. 2. Pont. l. 8. c. 19. n. 16. Mazz. t. 1. de Priv. q. 2. c. 1. p. 231. et Salm. c. 2. n. 39. et 40. Idem. asserunt Bonac. Sanch. Castrop. et Salm. cum Moll. Pell. aliisque quàm plurimis, (contra Pontium) de Privilegiis concessis ab aliquo Con. Generali, quæ non censentur revocata, nisi per clausulam expressam, non obstante quacumque Constitutione, etiam à Conc. Generali edita; ut colligitur ex Cap. Ex parte, et cap. ult. de Cappell. Mon. Bonac. n. 13. Castrop. §. 4. n. 6. Sanch. de Matr. l. 3. D. 26. num. 7. et Salm. tr. 18. c. 2. n. 41. cum Pelliz. Boss. etc. contra Pontium n. 19. Opponit Pontius Ecclesiæ praxim; et quamdam Declarationem S. Pii V. Sed Castrop. cum Garcia respondet, gratis id asseri; Tantum inquit Garcia referri quemdam Motum Proprium S. Pii, in quo dicitur, quod Concessionem propria Pontificis manu signatæ non egent aliqua Tridentini revocatione, neque generali, neque speciali. Omnes verò præfatæ limitationes intelliguntur locum habere si non constet de contraria mente Derogantis, quemadmodum omnes præfati DD. communiter affirmant; unde si in lege revocatoria adsit clausula *ex certa scientia* aut *ex motu proprio*, aut *de potestatis plenitudine*, tunc revocatur omne Privilegium quantumcumque qualificatum, exceptis onerosis; aut quando revocatio præjudicaret juri à tertio acquisito. Vid. Salm. c. 1. n. 40 et 42.

17. — Quod attinet ad revocationem *Tacitam*, Privilegia ante concessa intelliguntur revocata per quamecumque legem universalem in contrarium, etiamsi in ea non adsit clausula revocatoria, quando ipsa lex, vel novum Privilegium aliis concessum non pos-

set effectum intentum sortiri nisi revocatis privilegiis antea concessis; non præsumitur enim Legislator. velle condere legem inutilem, aut concedere Privilegium elusorium, sive generale, sive particulare illud sit. Hoc tamen intelligendum est, quando Privilegia prius concessa nota sunt Principi, quemadmodum præsumitur de omnibus Privilegiis insertis *Corpori juris*. Quod è contra non præsumitur de aliis quæ existunt *Extra jus*; unde horum specialis mentio est facienda. Suar. Lib. 8. c. 30. n. 2. Pont. L. 8. c. 19. n. 19. Castr. D. 4. p. 21. §. 4. n. 10. Bon. D. 3. p. 8. §. 4. n. 14. Salm. c. 2. n. 43. et 44, cum aliis communiter. Affirmant aliqui, ut Sot. Henr. et Quint. quibus adhærent Salm. tr. 10. de Cens. c. 2. n. 80, quòd Privilegium remanet in suo vigore, quousque revocatio non intumetur Civitati, vel Religioni. Verùm ipsimet Salm. postea tr. 18. de Priv. c. 2. n. 45, se retractant, et meritò, asserentes cum Laym. Suar. Portell. et Lezana, quòd sufficit ad invalidandum Privilegium, ut publicetur revocatio, et ut transeant duo menses à publicatione, ita ut pervenire possit notitia ad Privilegiatos, quamvis de facto non perveniat.

Actum est usque adhuc de Privilegiis in communi, in sequentibus. Tractatibus agetur de Privilegiis in particulari Ecclesiasticorum, Episcoporum, et Religiosorum.

CAPUT II.

De Privilegiis Ecclesiasticorum.

Quibus in rebus Ecclesiastici sint exempti à potestate laicali. — 18. De Privilegiis Canonis, et Fori quoad personas. — 19. Quoad bona. — 20. Quis gaudeat huiusmodi Privilegiis. — 21. De Beneficiatis. — 22. De Tonsuratis. — 23. De illis qui deposuerunt Habitum. — 24. De Immunitate piorum Locorum 23. ad 28.

18. — Ecclesiastici jure Divino exempti sunt à potestate sæculari quoad materias spirituales, vel merè Ecclesiasticas, ut sunt Ordinationes, Electiones Prælatorum, etc., ut constat ex Can. 3. Concilii Romani. Quoad personas verò, et loca Ecclesiasticorum, quæstio est, utrum sint vel ne exempti jure Divino? Multi negant, ut Lessius, Cajet. Becan. et Salm. Tr. 8. de Ord. c. 7. n. 6. Multi alii affirmant, ut Suarez, et Azor. Laym. etc., et probant ex pluribus textibus, et præsertim ex c. Quamquam de Gentibus in 6, et ex Trid. Sess. 15. c. 20 de Ref. « Ecclesiæ, et personarum Ecclesiasticarum immunitatem Dei ordinatione, et Canonis sanctionibus esse constitutam. » Certum tamen est, Ecclesiasticos tum jure Canonico, tum Civili non esse subjectos Foro Laicali. Vide Jura ap. Less. de Just. L. 2. c. 33. dub. 3. Cæterùm tenentur in conscientia illis legibus civilibus, quæ non repugnant eorum statui, non vi *coercitiva*, ut dicitur, *sed directiva*, ut uniformetur Communitati. Est commune cum Salm. tr. 7. c. 7. n. 6.

19. — Ecclesiastici ergo gaudent I. exemptione circa suas personas. Præter Privilegium Canonis, cujus vigore incurrunt excommunicationem, qui injustè illos percutiunt, gaudent Clerici immunitate, ne puniantur à Curia Laicali, ut patet ex Legibus à *Becano* relatis. De Sacr. c. 26. q. 9. Et quamvis Jus Civile eos eximat tantùm in Causis Civilibus, et in Criminalibus eas recognoscendi sibi jus reservaverit, nullatenus Clericos condemnando nisi post degradationem; nihilominus Jus Canonicum totaliter eas exemit. Vide Salm. tr. 8. c. 7. ex n. 24. Verùm his non obstantibus, in aliquibus casibus potest Potestas Laicalis ad Clericorum carcerationem procedere, ut si ex. g. aliquem noctis tempore inveniret deferentem arma prohibita, vel sine veste clericali, vel inveniret in *flagranti* patrantem aliquod delictum, tunc enim potest ad ejus carcerationem procedere, ut postea remittat Curia Ecclesiasticæ; quòd si interdum illum invenerit, potest armis prohibitis spoliare. Potest etiam in quibusdam casibus illum castigare (sed non pœna mortis), si ille rebellionem adversus Principem moliretur, aut populum ad seditionem excitaret, et à proprio Episcopo de hoc non esset punitus. Insuper probabiliter potest supplicio afficere Clericos notoriè Sodomitas, hi enim à Leone X et S. Pio V omni Clericali Privilegio spoliati sunt. Vide Salm. à n. 27. ad 29. et à n. 18 ad 20. Cæteram pro quocumque alio crimine Clerici nequeunt puniri à Curia Seculari, cap. fin. de Vita, et hon. Cleric. et cap. In audientia 25 de Sent. Excomm.

20. — II. Gaudent Ecclesiastici exemptione à Foro laicali quoad propria bona tam Ecclesiastica, quàm quocumque alio modo acquisita; unde respectu illorum non tenentur solvere ullum vectigal, ut habetur ex c. Quia, et c. Clerici de Immunit. Eccl. in 6. et ex l. Sancimus 22. C. de Sacros. Eccl. Vide Salm. Tr. 8. c. 7. n. 35 et 55. Clerici verò negotiatores circa bona merè Ecclesiastica negotiationi jam destinata, spoliantur omni exemptione c. Quamquam 4. de Censib. in 6. Quoad verò reliqua bona propria, privantur post tertiam monitionem. Salm. n. 54. cum Less. Mol etc. Insuper notandum hïc est, quòd in casu urgentis necessitatis potest Princeps extrahere è domibus, et vendere frumentum Ecclesiasticorum. Salm. tr. 8. c. 7. n. 17, cum Diana, et Molf.

21. — II. qui gaudent præfatis exemptionibus tam quoad personas, quàm quoad bona, sunt primò omnes Regulares cum suis Novitiis et Tertiariis, et etiam Franciscanæ Tertii Ordinis, Carmelitanæ, etc. quæ deferunt habitum unà cum voto Castitatis: quemadmodum declaravit S. C. Insuper Equites S. Joannis. S. Jacobi, Alcantaræ, et Calatravæ, ut probant Bon. Fill. et Diana. Vid. Salm. c. 7. n. 77. Insuper omnes Clerici in *Sacris* constituti. De aliis verò in *Minoribus*, vel simpliciter tonsuratis, ita loquitur Trid. sess. 23. c. 6. de Ref. « Fori privilegio non » gaudeat, nisi Beneficium Ecclesiasticum habeat, aut Clericalem Habitum, et Tonsuram deferens alicui Ecclesiæ de mandato Episcopi inserviat; vel in seminario Clericorum, aut in

» aliqua Schola, vel Universitate, de licentia Episcopi, quasi in » via ad Majores Ordines suscipiendos versetur. » Atque hoc Privilegio gaudent etiam Clerici Conjugati qui deferunt Habitum et Tonsuram, et Ecclesie inserviunt: verum in cap. ult. de Temp. Ordin. in 6. prohibetur Conjugatis Tonsura, nisi velint Religionem ingredi, vel in *Sacris* ordinari prævia uxoris licentia Vid. lib. 6. n. 827. in fin.

22. — Igitur Privilegio Fori gaudent 1. Beneficiati, etiamsi nulli Ecclesie inserviant, neque deferant Habitum et Tonsuram, ut probabiliter infertur ex Concilio, ut volunt Salm. cum Fill, Diana, et Rodriq. adversus Suar. Et etiamsi non percipiant fructus Beneficii, neque possideant; sufficit enim, quod solum titulum habeant, ut aiunt Garcias, et Fillicius, et Diana contra Salm. Sufficit etiam Capellania, vel Præstimonium, quæ censentur tanquam vera Beneficia: sed non sufficit Pensio. Vide Salm. tr. 8. c. 7. n. 62. et 63. cum aliis.

23. — Gaudent 2. Clerici in *minoribus*, et Tonsurati, dummodo Habitum simul et Tonsuram deferant, juxta id, quod affirmat Concilium, *Clericalem Habitum, et Tonsuram deferens*, et ut probabilius existimant multi DD. cum Castrop. et Barbosa, contra Salm, qui interpretantur particulam *et* pro particula *vel*, ita ut sufficere dicant utrumque, Vid. lib. 6. n. 827. dummodo Ecclesie similiter inserviant, sed quoad Ecclesie servitium (dummodo spirituale sit, quia temporale non sufficit) satis est, quod alicui Ecclesiarum serviant, etiamsi hæc destinata non sit ab Episcopo, ut declaravit S. C. apud Card. Lambertini. De Synodo l. 12. c. 6. n. 5.

24. — Ut verò Clerici in minoribus constituti foro priventur (nam aliud de Canonis Privilegio dicendum) non requiritur trina monitio, quia hæc requiritur tantum pro Beneficiatis, et pro Ordinatis in *Sacris*, ut deducitur ex c. Contingit de sententia excomm., vel pro minoristis, qui negotiis sæcularibus se addicunt, ut habetur, ex c. Ex litteris de vit. et hon. Cleric. Vid. l. 6. n. 827, sed sufficit, quod habitum et tonsuram dimiserint, quemadmodum pluries declaravit S. C. et quemadmodum communiter affirmant DD. apud Card. Lambertini de Synodo l. 12. c. 2. n. 1. apud Salm. tr. 8. c. 7. n. 65. Dummodo per longum tempus dimiserint, ut notant Salm. cum Bonac. Suar. Barb. et aliis. Quamvis verò præfati Clerici nequeant allegare Forum, potest nihilominus Episcopus eos à Foro Seculari resumere juxta Declarationem S. C. ab hodierno Summo Pontifice approbatam. Vid. Lamb. loc. cit. n. 3. Illi verò Clerici, qui habitum resumunt, jure gaudent Privilegio, dummodo id in fraudem non faciant: quæ fraus tunc supponitur, cum aliquis in aliqua Causa Civili jam citatus fuisset ad Forum laicale: aut pro causa criminali jam fuisset in carcerem conjectus; aut verò carcere sub cautione egressus: ut aiunt Salm. cum Bon. (adversus Gutierrez, et Ceballos) et Card. Lambertini cum pluribus Decretis S. C. Salm. loc. cit. n. 67 et C. Lamb. De Synod. l. 5. c. 12. n. 1.

Magna verò quæstio est utrùm Potestas Laicalis possit cognoscere causas Innocentium adversus Ecclesiasticos. Quidam Theologi absolutè affirmant : sed quidam alii magis communiter tantummodo admittunt, quando aut nullo modo, aut difficulter potest haberi recursus ad Superiores Ecclesiasticos majores. Vid. Salmant. trac. 8. cap. 7. ex n. 76.

25. — Immunitas autem Ecclesiastica locorum quoad Asylum Delinquentium, competit jure Ecclesiastico et Civili omnibus Ecclesiis quamvis Interdicto subjectis, sive pollutis, et etiam dirutis (nisi omnino Præsulis auctoritate fuerint profanatae), earumque Capellis, Sacristiis, Cœmeteriis, etiam ab Ecclesia separatis, muris, campanilibus, tectis, atrii, atriorum gradibus, cum quadraginta passibus ultra pro Ecclesiis Cathedralibus, et triginta pro aliis Ecclesiis (sed hoc intelligendum de illis, quæ sint positæ extra mœnia Urbis, vel Loci), dummodo non intercedat via publica, aut aliqua Sæcularium domus : aliud verò est si domus sit alicujus Clerici. Vid. Salm. Tr. 8. c. 7. ex num. 76. Gaudent eadem immunitate Hospitalia, in quibus extat aliqua Capella publica, Oratoria ab Episcopis erecta, Palatium Episcopale, et Domus Regularium cum suis Dormitoriis, Claustris, hortis, et porticibus ante Ecclesias, vel Monasteria. Vide Salmant. Tract. 8. cap. 7. a. n. 84.

26. — Omnes verò delinquentes dummodo sint Christiani, licet hæretici, aut interdicti, aut in carcere inclusi, qui ruptis carceribus ad prædicta sacra loca confugerint, hac gaudent immunitate. Et in hoc reprobatur quælibet consuetudo in contrarium : c. Noverint de sent. excomm. et authent. de Sacros. Eccles. ib. n. 88. Excipiuntur tamen in Bulla Gregorii XIV. Latrones publici, depopulatores agrorum, qui committunt homicidium per proditorium, vel per assassinium (sed regnans Summus Pontifex, exceptit omnia homicidia pro tota Ecclesia), vel in ipsa Ecclesia, vel Cœmeterio, insuper hæretici et rebelles contra eandem Personam Principis. Vid. Salm. Tr. 18. c. 5. n. 91. cum Suar. Castrop. Pelliz. Guttier. etc. Et in casibus clarè exceptis potest Judex Sæcularis ex se extrahere ab Ecclesia Delinquentes juxta communem praxim. In dubio autem judicium exceptionis spectat ad Episcopum, et Salm., et alii. Vid. Salm. ex. n. 96. Præter Delinquentes exceptos, omnes alii gaudent immunitate, quemadmodum gaudent debitores ad Ecclesiam confugientes. Salm. n. 95.

27. — Quæstio est, utrùm Clerici et Religiosi gaudeant eadem immunitate respectu suorum Præsulum : Affirmant multi, ut Barb. Bordon. Guttierrez, quibus suffragatur quædam Declaratio Sacræ Congreg. atque hæc sententia est probabilissima, ut aiunt Salm. Nihilominus ipsi cum sententia communissima Suarez, Castrop. Laym. Bon. Sylv., aliorumque, negant tam vigore Bullæ Gregorii XIV, quæ respectu præfatæ immunitatis loquitur tantummodo de Laicis, *Ut laicis ad Ecclesiam confugientibus*, etc. quam vigore communis, et jam receptæ consuetudinis:

aliàs enim Religiosi semper in Monasterio commorantes difficulter possent puniri. Sicuti verò possunt Superiores Ecclesiastici (Episcopi et eorumdem Vicarii) extrahere proprios Subditos ab Ecclesia, ita quoque, si opus sit, possunt eandem extrahendi licentiam Curiaë Sæculari concedere. Salm. Tract. 10. n. 20. Episcopus verò nequit extrahere suos Clericos ab Ecclesiis Regularium, non ratione immunitatis, sed quia illa sunt loca sua à jurisdictione exempta.

28. — Extrahentes verò, aut illi qui tentaverint extractionem, incurrunt excommunicationem *ipso facto*, à qua nequeunt absolvi nisi à Pontifice. Quidam DD. opinati sunt, ab hujusmodi excommunicatione posse absolvi etiam ab Episcopo; ita Salmanticenses cap. 3. de Privileg. tract. 18. n. 116. et 117. cum Bon. Castrop. et aliis. Id tamen negandum cum Fagnano in cap. Cum pro causa, de Sentent. excommunic. Farinac. et aliis; nam Gregorius XIV. declaravit, quòd Violatores immunitatis incurrunt censuras omnes, et pœnas, priùs impositas à Canonibus, Conciliis, et aliis Pontificibus iis, qui violant libertatem, his verbis: « Declaramus, eum ipso facto censuras et pœnas Ecclesiasticas incurrere, quæ contra libertatis, juris, et immunitatis Ecclesiasticæ Violatores per sacros Canones, et Conciliorum generalium, nostrorumque prædecessorum Constitutiones sunt promulgatæ. » Contra verò habetur ex Extrav. 3. Inter communes, de Pœnitent, et rem. Pauli II. quòd olim adversus Violatores Ecclesiasticæ libertatis excommunicatio Papalis jam inflicta fuerat. Nec obstat dicere, priùs Pontifici reservatam esse tantùm violationem libertatis, quæ personas respicit, non autem violationem immunitatis, quæ respicit loca; et quòd tametsi à Gregorio lata fuerit excommunicatio contra Violatores immunitatis, minimè tamen fuit illa Papæ reservata; reservatio autem excommunicationis, nisi exprimat, facta non censetur. Respondetur enim, quòd cum Gregorius, violationi immunitatis eandem imposuerit censuram, quæ priùs imposita erat violationi libertatis, si reservata erat censura quoad læsionem libertatis, est etiam reservata quoad læsionem immunitatis. Tanto magis, quòd Clemens VIII. duobus Decretis ab ipso emissis super casus Papæ, et Episcopis reservatos, in primo Decreto prohibuit omnibus Confessariis absolvere à quocumque casu reservato Pontifici; in altero autem inter casus Papales, quos ibi enumerat, docet adesse violationem immunitatis juxta Bullam Gregorii XIV; cæterùm satis erat, quòd læsio immunitatis vocaretur casus Papalis, ut ab Episcopis nequiret absolvi. Hoc tandem Fagnanus num. 36, refert sic decisum fuisse à Sacr. Congreg. Concilii. Deinceps advertendum hïc est, quòd Religiosi qui expellerent à suis Ecclesiis aut Monasteriis aliquem Delinquentem ad evitandum aliquod incommodum seu periculum, hi non violant immunitatem, et ritè id facere possunt. Salm. n. 118.

sive communi observantiæ Religionis. Castr. Dist. 4. §. 9. n. 2, et Salm. c. 1. n. 100., cum Pelliz. Lez. Portell. Tamb. Bord. Notetur 4. Privilegia alicui concessa non tanquam personæ particulari, sed ratione sui officii, seu dignitatis, vel tanquam membro illius Communitatis, intelligi concessa omnibus aliis ejusdem officii, aut ejusdem Communitatis. Et Privilegia concessa Subditis, seu Prælati inferioribus, etiam Prælati Superioribus concessa intelliguntur. Salm. c. 1. n. 110 et 111. Similiter Privilegia concessa alicui Conventui, aut Ecclesiæ, aut Particularibus alicujus Conventûs, sed tanquam membris illius, intelliguntur quoque concessa cæteris Religiosis tam illius Ordinis, quàm aliorum, qui communicationem habent, quando scilicet eadem, vel similis ratio militat. Salm. ibid. cum Pelliz. Garcia. Quint. Tamb. etc. Sed hoc non est intelligendum de Privilegiis, quæ conceduntur alicui Congregationi ad tempus determinatum, vel per Brevia particularia sunt concessa alicui Monasterio ob specialem aliquam causam, vel quando agitur de rebus, quæ difficile solent concedi. Salm. c. 1. n. 118, cum Peyrin. Tamb. Merula etc.

12. — VII. Certum est, ut habetur ex Propos. 36. damnata ab Alexandro VII. Religiosos non posse amplius uti Privilegiis jam revocatis per Concilium Tridentinum. Verùm hoc non obstante, attendendæ sunt quædam Declarationes Concilii factæ per S. Pium V. in sua Bulla : *Etsi mendicantium*. Hæ sunt : 1. Quòd Sæculares possunt audire Sacrum et Conciones in Ecclesiis Regularium. 2. Quòd Episcopus nequeat impertiri licentiam ingrediendi Monasteria Monialium exemptarum. 3. Quòd Quarta Funerum non intelligitur nisi de eo quod offertur. Vid. Salm. tr. 18. c. 1. n. 137. 4. Quòd Confessarii Monialium exemptarum, et Concionatores Regulares in propriis Ecclesiis non examinentur ab Ordinario; verùm quod attinet ad Confessarios, hoc Privilegium abrogatum est per varias Apostolicas Constitutiones, et præsertim per Bullam Apostolici Ministerii, emanatam ab Innoc. XIII. ann. 1723, et confirmatam per Benedictum XIII. die 23. Septembris anni 1724. Ibi §. 18. declaratur, quòd Confessarii Monialium exemptarum debeant examinari, et approbari ab Episcopo Diœcesis, « remota quacumque contraria consuetudine etiam immemorabili. »

13. — VIII. Distinguendum est *Rescriptum Gratia*, ut esset absolvendi, dispensandi etc... à *Rescripto Justitiæ*, ut exercendi jurisdictionem, appellandi etc. In Rescripto Gratia dicitur, *Gratia facta*, quando Delegatus habetur tanquam merus necessarius executor : *Gratia facienda*, quando conceditur facultas dispensandi, et relinquitur arbitrio Delegati. Rescriptum Justitiæ expirat morte Principis, dummodo res adhuc sit integra; et idem de Rescripto Gratia faciendæ. Oppositum verò dicendum de Rescripto Gratia factæ, ut absolvendi, recipiendi Ordines *extra tempora*, de Oratorio privato etc. Castrop. D. 3. p. 16. §. 4. n. 11. Sanch. de Matr. l. 8. D. 38. n. 43. Salm. c. 1. à n. 141, ad

146, cum Suar. Privilegium concessum cum clausula, *Donec voluero*, probabiliter non expirat post mortem Concedentis. Salm. c. 16. n. 149. Quòd si in Concessione exprimat^r Officium Delegati, mortuo Delegato, transit etiam ad Successorem. Salm. n. 150.

14. — IX. Privilegium multis modis cessare potest, et 1. per decursum termini constituti. 2. Per cessationem causæ finalis: intellige quando Privilegium est concessum sub conditione dictæ causæ; sed quando concessum esset absolute, adest opinio valde probabilis, quòd etiamsi cessaret causa nalis, non cesset tamen Privilegium; neque cessat, quamvis semel privilegio usi fuerimus. Salm. c. 3. n. 3 et 4, juxta id, quod diximus de Dispensatione, cap. II. n. 66, in fin. 3. Ob renuntiationem privilegiati; in quo notandum est, quòd Particulares nequeunt renuntiare Privilegiis Communitatis; et ut valida sit renuntiatio, fieri debet in manu illius qui Privilegium concessit, et ab eodem acceptanda. Vide Salm. Tr. 18. c. 2. n. 5, ad 8. 4. Per usum contrarium, vel per non usum: in dubio tamen præsumptio semper est pro usu. Sed in hoc advertendum est, quòd Privilegia gratiosa, quæ non sunt aliis gravamina, ut absolvendi, dispensandi, vel jejunandi, et his similia, nunquam amittuntur per non usum, et etiam per usum contrarium, quamvis temporis longissimi Suar. de Leg. l. 8. c. 34. n. 17., Bonac. D. 1. q. 3. p. 8. §. 5. n. 4. Castrop. Tr. 3. D. 4. p. 18 n. 3. et p. 19. n. 1. et Salm. c. 2. n. 13, cum Laym. Pont. Lez. Garcia, etc. Privilegia contra, quæ tertio sunt onerosa, ut non solvendi Decimas et similia, præscribuntur per usum contrarium, et etiam per non usum privativum (non verò dumtaxat negativum) quod accidit, quando Privilegiatus conscius jam sui Privilegii, occasionibus oblatis, sponte uti recusavit. Hoc autem currit, dummodo in Privilegio non sit clausula *utendi ad Sui arbitrium*. Castrop. p. 18. n. 4. Bonac. n. 3, et Salm. n. 14, cum Laym. Garc. Lez. etc. Insuper hoc intelligitur pro foro externo, nam in conscientia non amittit Privilegium qui animum non habet renuntiandi. Vid. Salm. cap. 2. n. 18. Potest cessare etiam Privilegium per abusum sive in totum, sive in partem. Salm. n. 17.

15. — Cessat 5. Privilegium ob revocationem Principis. In hoc autem distinguere oportet Privilegia Gratuita à Remunerativis, et ab Onerosis; si Privilegium est merè gratuitum, revocari potest validè etiam sine justa causa: quamvis hoc non excusetur saltem à culpa veniali, si scandalum absit. Pont. l. 8. c. 19. n. 15. Castr. p. 21. §. 3. n. 3, et Salm. c. 2. n. 37, cum Suar. Sanch. Bon. etc. Si verò cum Privilegio translatum fuisset dominium alicujus rei in Privilegiatum, illud revocari nequit nec licitè nec validè, nisi ob causam urgentissimam boni communis, vel gravis delicti, vel ob illas causas, ob quas revocari quit quælibet donatio. Castr. p. 21. §. 2. n. 2. Bonac. p. 8. §. 2. n. 5. Suar. l. 8. c. 37. n. 7, et Salm. c. 3. n. 29, cum Pont. Garc. Lez. etc. Sed si Privilegium est remuneratorium, vel ob justitiam, vel ob gratitudi-

nem, semper requiritur justa causa, ut validè revocetur. Et si insuper est onerosum, ut exempli causa, concessum ob pretium acceptum, vel ob aliquod onus Privilegiato impositum, tunc et revocetur (ultra justam causam), requiritur compensatio. Et hoc dicendum de Privilegiis Remuneratoriis ob justitiam, ut dicunt communiter DD. Suar. l. c. n. 6. et 7. Pont. num. 13, et Salm. tract. 18. c. 2. n. 30. et 85, cum aliis.

16. — Revocatio verò Privilegiorum alia est *Expressa*, alia verò *Tacita*; quoad *Expressam* regulariter loquendo sufficit clausula generalis, non obstantibus Privilegiis etc. ut revocentur omnia Privilegia in contrarium. Excipiuntur tamen 1. Privilegia concessa per modum contractus, sive onerosa sint, sive remunerativa ob justitiam (ut supra dictum est) in quibus mentio specialis fit meritorum in particulari. 2. Privilegia quæ clausulam habent, quod non intelligantur derogata, nisi mentio particularis fiat. 3. Privilegia Regularium, quæ etiam specialem mentionem requirunt, quia sunt remunerativa, et videntur clausulam habere derogatoriam futuræ revocationis, nisi eorum mentio specialis fiat, ut affirmant Rodrig. Portel. et Miranda apud P. Mazz. 4. Privilegia incerta *corpori juris*, quia tunc sunt veræ leges, et ut revocentur, requiritur clausula specialis, non obstantibus legibus in contrarium, etc. Suar. l. 8. c. 38. n. 2. Bonac. t. 2. D. 3. p. 8. §. 4. n. 11. Castrop. tr. 3. D. 4. p. 21. §. 3. à n. 2. Pont. l. 8. c. 19. n. 16. Mazz. t. 1. de Priv. q. 2. c. 1. p. 231. et Salm. c. 2. n. 39. et 40. Idem. asserunt Bonac. Sanch. Castrop. et Salm. cum Moll. Pell. aliisque quàm plurimis, (contra Pontium) de Privilegiis concessis ab aliquo Con. Generali, quæ non censentur revocata, nisi per clausulam expressam, non obstante quacumque Constitutione, etiam à Conc. Generali edita; ut colligitur ex Cap. Ex parte, et cap. ult. de Cappell. Mon. Bonac. n. 13. Castrop. §. 4. n. 6. Sanch. de Matr. L. 3. D. 26. num. 7. et Salm. tr. 18. c. 2. n. 41. cum Pelliz. Boss. etc. contra Pontium n. 19. Opponit Pontius Ecclesiæ praxim, et quamdam Declarationem S. Pii V. Sed Castrop. cum Garcia respondet, gratis id asseri; Tantùm inquit Garcia referri quemdam Motum Proprium S. Pii, in quo dicitur, quòd Concessionem propria Pontificis manu signatæ non egent aliqua Tridentini revocatione, neque generali, neque speciali. Omnes verò præfatæ limitationes intelliguntur locum habere si non constet de contraria mente Derogantis, quemadmodum omnes præfati DD. communiter affirmant; unde si in lege revocatoria adsit clausula ex certa scientia aut ex motu proprio, aut de potestatis plenitudine, tunc revocatur omne Privilegium quantumcumque qualificatum, exceptis onerosis; aut quando revocatio præjudicaret juri à tertio acquisito. Vid. Salm. c. 1. n. 40 et 42.

17. — Quod attinet ad revocationem *Tacitam*, Privilegia ante concessa intelliguntur revocata per quameumque legem universalem in contrarium, etiamsi in ea non adsit clausula revocatoria, quando ipsa lex, vel novum Privilegium aliis concessum non pos-

set effectum intentum sortiri nisi revocatis privilegiis antea concessis; non præsimitur enim Legislator velle condere legem inutilem, aut concedere Privilegium elusorium, sive generale, sive particulare illud sit. Hoc tamen intelligendum est, quando Privilegia priùs concessa nota sunt Principi, quemadmodum præsimitur de omnibus Privilegiis insertis *Corpori juris*. Quod è contra non præsimitur de aliis quæ existunt *Extra jus*; unde horum specialis mentio est facienda. Suar. Lib. 8. c. 30. n. 2. Pont. L. 8. c. 19. n. 19. Castr. D. 4. p. 21. §. 4. n. 10. Bon. D. 3. p. 8. §. 4. n. 14. Salm. c. 2. n. 43. et 44. cum aliis communiter. Affirmant aliqui, ut Sot. Henr. et Quint. quibus adhærent Salm. tr. 10. de Cens. c. 2. n. 80, quòd Privilegium remanet in suo vigore, quousque revocatio non intumetur Civitati, vel Religioni. Verùm ipsimet Salm. postea tr. 18. de Priv. c. 2. n. 45, se retractant, et meritò, asserentes cum Laym. Suar. Portell. et Lezana, quòd sufficit ad invalidandum Privilegium, ut publicetur revocatio, et ut transeant duo menses à publicatione, ita ut pervenire possit notitia ad Privilegiatos, quamvis de facto non perveniat.

Actum est usque adhuc de Privilegiis in communi, in sequentibus. Tractatibus agetur de Privilegiis in particulari Ecclesiasticorum, Episcoporum, et Religiosorum.

CAPUT II.

De Privilegiis Ecclesiasticorum.

Quibus in rebus Ecclesiastici sint exempti à potestate laicali. — 18. De Privilegiis Canonis, et Fori quoad personas. — 19. Quoad bona. — 20. Quis gaudeat hujusmodi Privilegiis. — 21. De Beneficiatis. — 22. De Tonsuratis. — 23. De illis qui deposuerunt Habitum. — 24. De Immunitate piorum Locorum 25. ad 28.

18. — Ecclesiastici jure Divino exempti sunt à potestate sæculari quoad materias spirituales, vel merè Ecclesiasticas, ut sunt Ordinationes, Electiones Prælatorum, etc., ut constat ex Can. 3. Concilii Romani. Quoad personas verò, et loca Ecclesiasticorum, quæstio est, utrùm sint vel ne exempti jure Divino? Multi negant, ut Lessius, Cajet. Becan. et Salm. Tr. 8. de Ord. c. 7. n. 6. Multi alii affirmant, ut Suarez, et Azor. Laym. etc., et probant ex pluribus textibus, et præsertim ex c. Quamquam de Gentibus in 6, et ex Trid. Sess. 15. c. 20 de Ref. « Ecclesiæ, et personarum Ecclesiasticarum immunitatem Dei ordinatione, et Canonis sanctionibus esse constitutam. » Certum tamen est, Ecclesiasticos tum jure Canonico, tum Civili non esse subjectos Foro Laicali. Vide Jura ap. Less. de Just. L. 2. c. 33. dub. 3. Cæterum tenentur in conscientia illis legibus civilibus, quæ non repugnant eorum statui, non vi *coercitiva*, ut dicitur, sed *directiva*, ut uniformentur Communitati. Est commune cum Salm. tr. 7. c. 7. n. 6.

19. — Ecclesiastici ergo gaudent I. exemptione circa suas personas. Præter Privilegium Canonis, cujus vigore incurrent excommunicationem, qui injustè illos percutiunt, gaudent Clerici immunitate, ne puniantur à Curia Laicali, ut patet ex Legibus à *Becano* relatis. De Sacr. c. 26. q. 9. Et quamvis Jus Civile eos eximat tantùm in Causis Civilibus, et in Criminalibus eas recognoscendi sibi jus reservaverit, nullatenus Clericos condemnando nisi post degradationem; nihilominus Jus Canonicum totaliter eas eximit. Vide Salm. tr. 8. c. 7. ex n. 24. Verùm his non obstantibus, in aliquibus casibus potest Potestas Laicalis ad Clericorum carcerationem procedere, ut si ex. g. aliquem noctis tempore inveniret deferentem arma prohibita, vel sine veste clericali, vel inveniret in *flagranti* patrantem aliquod delictum, tunc enim potest ad ejus carcerationem procedere, ut postea remittat Curia Ecclesiasticæ; quòd si interdiu illum invenerit, potest armis prohibitis spoliare. Potest etiam in quibusdam casibus illum castigare (sed non pœna mortis), si ille rebellionem adversus Principem moliretur, aut populum ad seditionem excitaret, et à proprio Episcopo de hoc non esset punitus. Insuper probabiliter potest supplicio afficere Clericos notoriè Sodomitas, hi enim à Leone X et S. Pio V omni Clericali Privilegio spoliati sunt. Vide Salm. à n. 27. ad 29. et à n. 18 ad 20. Cæterùm pro quocumque alio crimine Clerici nequeunt puniri à Curia Seculari, cap. fin. de Vita, et hon. Cleric. et cap. In audientia 25 de Sent. Excomm.

20. — II. Gaudent Ecclesiastici exemptione à Foro laicali quoad propria bona tam Ecclesiastica, quàm quocumque alio modo acquisita; unde respectu illorum non tenentur solvere ullum vectigal, ut habetur ex c. Quia, et c. Clerici de Immunit. Eccl. in 6. et ex l. Sancimus 22. C. de Sacros. Eccl. Vide Salm. Tr. 8. c. 7. n. 35 et 55. Clerici verò negotiatores circa bona merè Ecclesiastica negotiationi jam destinata, spoliantur omni exemptione c. Quamquam 4. de Censib. in 6. Quoad verò reliqua bona propria, privantur post tertiam monitionem. Salm. n. 54. cum Less. Mol etc. Insuper notandum hęc est, quòd in casu urgentis necessitatis potest Princeps extrahere è domibus, et vendere frumentum Ecclesiasticorum. Salm. tr. 8. c. 7. n. 17, cum Diana, et Molf.

21. — II, qui gaudent præfatis exemptionibus tam quoad personas, quàm quoad bona, sunt primò omnes Regulares cum suis Novitiis et Tertiariis, et etiam Franciscanæ Tertii Ordinis, Carmelitanæ, etc. quæ deferunt habitum unà cum voto Castitatis: quemadmodum declaravit S. C. Insuper Equites S. Joannis. S. Jacobi, Alcantaræ, et Calatravæ, ut probant Bon. Fill. et Diana. Vid. Salm. c. 7. n. 77. Insuper omnes Clerici in *Sacris* constituti. De aliis verò in *Minoribus*, vel simpliciter tonsuratis, ita loquitur Trid. sess. 23. c. 6. de Ref. « Fori privilegio non » gaudeat, nisi Beneficium Ecclesiasticum habeat, aut Clericalem Habitum, et Tonsuram deferens alicui Ecclesiæ de mandato Episcopi inserviat; vel in seminario Clericorum, aut in

» aliqua Schola, vel Universitate, de licentia Episcopi, quasi in » via ad Majores Ordines suscipiendos versetur. » Atque hoc Privilegio gaudent etiam Clerici Conjugati qui deferunt Habitum et Tonsuram, et Ecclesiae inserviunt: verum in cap. ult. de Temp. Ordin. in 6. prohibetur Conjugatis Tonsura, nisi velint Religionem ingredi, vel in *Sacris* ordinari praevia uxoris licentia Vid. lib. 6. n. 827. in fin.

22. — Igitur Privilegio Fori gaudent 1. Beneficiati, etiamsi nulli Ecclesiae inserviant, neque deferant Habitum et Tonsuram, ut probabiliter infertur ex Concilio, ut volunt Salm. cum Fill, Diana, et Rodriq. adversus Suar. Et etiamsi non percipiant fructus Beneficii, neque possideant; sufficit enim, quod solum titulum habeant, ut aiunt Garcias, et Fillicius, et Diana contra Salm. Sufficit etiam Capellania, vel Praestimonium, quae censentur tanquam vera Beneficia: sed non sufficit Pensio. Vide Salm. tr. 8. c. 7. n. 62. et 63. cum aliis.

23. — Gaudent 2. Clerici in *minoribus*, et Tonsurati, dummodo Habitum simul et Tonsuram deferant, juxta id, quod affirmat Concilium, *Clericalem Habitum, et Tonsuram deferens*, et ut probabilius existimant multi DD. cum Castrop. et Barbosa, contra Salm, qui interpretantur particulam *et* pro particula *vel*, ita ut sufficere dicant utrumque, Vid. lib. 6. n. 827. dummodo Ecclesiae similiter inserviant, sed quoad Ecclesiae servitium (dummodo spirituale sit, quia temporale non sufficit) satis est, quod alicui Ecclesiarum serviant, etiamsi haec destinata non sit ab Episcopo, ut declaravit S. C. apud Card. Lambertini. De Synodo l. 12. c. 6. n. 5.

24. — Ut verò Clerici in minoribus constituti foro priventur (nam aliud de Canonis Privilegio dicendum) non requiritur trina monitio, quia haec requiritur tantum pro Beneficiatis, et pro Ordinatis in *Sacris*, ut deducitur ex c. Contingit de sententia excomm., vel pro minoristis, qui negotiis saecularibus se addicunt, ut habetur, ex c. Ex litteris de vit. et hon. Cleric. Vid. l. 6. n. 827, sed sufficit, quod habitum et tonsuram dimiserint, quemadmodum pluries declaravit S. C. et quemadmodum communiter affirmant DD. apud Card. Lambertini de Synodo l. 12. c. 2. n. 1. apud Salm. tr. 8. c. 7. n. 65. Dummodo per longum tempus dimiserint, ut notant Salm. cum Bonac. Suar. Barb. et aliis. Quamvis verò praefati Clerici nequeant allegare Forum, potest nihilominus Episcopus eos à Foro Seculari resumere juxta Declarationem S. C. ab hodierno Summo Pontifice approbatam. Vid. Lamb. loc. cit. n. 3. Illi verò Clerici, qui habitum resumunt, jure gaudent Privilegio, dummodo id in fraudem non faciant: quae fraus tunc supponitur, cum aliquis in aliqua Causa Civili jam citatus fuisset ad Forum laicale: aut pro causa criminali jam fuisset in carcerem coniectus; aut verò carcere sub cautione egressus: ut aiunt Salm. cum Bon. (adversus Gutierrez, et Ceballos) et Card. Lambertini cum pluribus Decretis S. C. Salm. loc. cit. n. 67 et C. Lamb. De Synod. l. 5. c. 12. n. 1.

Magna verò quæstio est utrùm Potestas Laicalis possit cognoscere causas Innocentium adversus Ecclesiasticos. Quidam Theologi absolutè affirmant : sed quidam alii magis communiter tantummodo admittunt, quando aut nullo modo, aut difficulter potest haberi recursus ad Superiores Ecclesiasticos majores. Vid. Salmant. trac. 8. cap. 7. ex n. 76.

25. — Immunitas autem Ecclesiastica locorum quoad Asylum Delinquentium, competit jure Ecclesiastico et Civili omnibus Ecclesiis quamvis Interdicto subjectis, sive pollutis, et etiam dirutis (nisi omnino Præsulis auctoritate fuerint profanatae), earumque Capellis, Sacristiis, Cœmeteriis, etiam ab Ecclesia separatis, muris, campanilibus, tectis, atriis, atriorum gradibus, cum quadraginta passibus ultra pro Ecclesiis Cathedralibus, et triginta pro aliis Ecclesiis (sed hoc intelligendum de illis, quæ sint positæ extra mœnia Urbis, vel Loci), dummodo non intercedat via publica, aut aliqua Sæcularium domus : aliud verò est si domus sit alicujus Clerici. Vid. Salm. Tr. 8. c. 7. ex num. 76. Gaudent eadem immunitate Hospitalia, in quibus extat aliqua Capella publica, Oratoria ab Episcopis erecta, Palatium Episcopale, et Domus Regularium cum suis Dormitoriis, Claustris, hortis, et porticibus ante Ecclesias, vel Monasteria. Vide Salmant. Tract. 8. cap. 7. a. n. 84.

26. — Omnes verò delinquentes dummodo sint Christiani, licet hæretici, aut interdicti, aut in carcere inclusi, qui ruptis carceribus ad prædicta sacra loca confugerint, hac gaudent immunitate. Et in hoc reprobat quælibet consuetudo in contrarium : c. Noverint de sent. excomm. et authent. de Sacros. Eccles. ib. n. 88. Excipiuntur tamen in Bulla Gregorii XIV. Latrones publici, depopulatores agrorum, qui committunt homicidium per proditorium, vel per assassinium (sed regnans Summus Pontifex, exceptit omnia homicidia pro tota Ecclesia), vel in ipsa Ecclesia, vel Cœmeterio, insuper hæretici et rebelles contra eandem Personam Principis. Vid. Salm. Tr. 18. c. 5. n. 91. cum Suar. Castrop. Pelliz. Guttier. etc. Et in casibus clarè exceptis potest Judex Sæcularis ex se extrahere ab Ecclesia Delinquentes juxta communem praxim. In dubio autem iudicium exceptionis spectat ad Episcopum, et Salm., et alii. Vid. Salm. ex. n. 96. Præter Delinquentes exceptos, omnes alii gaudent immunitate, quemadmodum gaudent debitores ad Ecclesiam confugientes. Salm. n. 95.

27. — Quæstio est, utrùm Clerici et Religiosi gaudeant eadem immunitate respectu suorum Præsulum : Affirmant multi, ut Barb. Bordon. Guttierrez, quibus suffragatur quædam Declaratio Sacræ Congreg. atque hæc sententia est probabilissima, ut aiunt Salm. Nihilominus ipsi cum sententia communissima Suarez, Castrop. Laym. Bon. Sylv., aliorumque, negant tam vigore Bullæ Gregorii XIV. quæ respectu præfatæ immunitatis loquitur tantummodo de Laicis, *Ut laicis ad Ecclesiam confugientibus*, etc. quam vigore communis, et jam receptæ consuetudinis;

aliàs enim Religiosi semper in Monasterio commorantes difficulter possent puniri. Sicuti verò possunt Superiores Ecclesiastici (Episcopi et eorundem Vicarii) extrahere proprios Subditos ab Ecclesia, ita quoque, si opus sit, possunt eandem extrahendi licentiam Curiae Sæculari concedere. Salm. Tract. 10. n. 20. Episcopus verò nequit extrahere suos Clericos ab Ecclesiis Regularium, non ratione immunitatis, sed quia illa sunt loca sua à jurisdictione exempta.

28. — Extrahentes verò, aut illi qui tentaverint extractionem, incurrunt excommunicationem *ipso facto*, à qua nequeunt absolvi nisi à Pontifice. Quidam DD. opinati sunt, ab hujusmodi excommunicatione posse absolvi etiam ab Episcopo; ita Salmanticenses cap. 3. de Privileg. tract. 18. n. 116. et 117. cum Bon. Castrop. et aliis. Id tamen negandum cum Fagnano in cap. Cùm pro causa, de Sentent. excommunic. Farinac. et aliis; nam Gregorius XIV. declaravit, quòd Violatores immunitatis incurrunt censuras omnes, et pœnas, priùs impositas à Canonibus, Conciliis, et aliis Pontificibus iis, qui violant libertatem, his verbis: « Declaramus, eum ipso facto censuras et pœnas Ecclesiasticas incurrere, quæ contra libertatis, juris, et immunitatis Ecclesiasticæ Violatores per sacros Canones, et Conciliorum generalium, nostrorumque prædecessorum Constitutiones sunt promulgatæ. » Contra verò habetur ex Extrav. 3. Inter communes, de Pœnitent. et rem. Pauli II. quòd olim adversus Violatores Ecclesiasticæ libertatis excommunicatio Papalis jam inflictæ fuerat. Nec obstat dicere, priùs Pontifici reservatam esse tantùm violationem libertatis, quæ personas respicit, non autem violationem immunitatis, quæ respicit loca; et quòd tametsi à Gregorio lata fuerit excommunicatio contra Violatores immunitatis, minime tamen fuit illa Papæ reservata; reservatio autem excommunicationis, nisi exprimatur, facta non censetur. Respondetur enim, quòd cùm Gregorius, violationi immunitatis eandem imposuerit censuram, quæ priùs imposita erat violationi libertatis, si reservata erat censura quoad læsionem libertatis, est etiam reservata quoad læsionem immunitatis. Tantò magis, quòd Clemens VIII. duobus Decretis ab ipso emissis casus Papæ, et Episcopis reservatos, in primo Decreto prohibuit omnibus Confessariis absolvere à quocumque casu reservato Pontifici; in altero autem inter casus Papales, quos ibi enumerat, docet adesse violationem immunitatis juxta Bullam Gregorii XIV; cæterùm satis erat, quòd læsio immunitatis vocaretur casus Papalis, ut ab Episcopis nequiret absolvi. Hoc tandem Fagnanus num. 36, refert sic decisum fuisse à Sacr. Congreg. Concilii. Deinceps advertendum hïc est, quòd Religiosi qui expellerent à suis Ecclesiis aut Monasteriis aliquem Delinquentem ad evitandum aliquod incommodum seu periculum, hi non violant immunitatem, et ritè id facere possunt. Salm. n. 118.

CAPUT III.

De Privilegiis Episcoporum.

- I. De Facultate *Cap. Liceat*. Utrùm valeat Episcopus dispensare in irregularitate ex delicto, et ex defectu dubia. — 29. Quibus in locis non est receptum Tridentinum, etc. — 30. Qui veniat nomine Episcopi. — 31. De Peregrinis. Et utrùm Episcopus absolvere possit à casibus Papalibus extrà Confessionem. — 32. Quomodo delictum intelligatur occultum. — 33. Utrùm Episcopus valeat hanc facultatem delegare. — 34. Utrùm à casibus ab aliis Episcopis reservatis etc. — 35. Si à casibus post Concilium etc. — 36. Utrùm Episcopus possit absolvere Confessarium absolventem Complicem in peccato turpi. — 37. Utrùm Episcopi à casibus Bullæ Cœnæ etc. — 38. Utrùm valeant dispensare in irregularitate, quæ per Hæresim incurritur. — 39. Utrùm valeant absolvere Impeditos. — 40. Et utrùm per alios. — 41. Qui dicantur Impediti. — 42. De perpetuo Impeditis. — 43. Utrùm hi teneantur per Epistolam etc. — 44. Utrùm teneantur saltem recurre habere ad Episcopum? Quid, si recurrere nequeant etc. Quid, si sint in mortis articulo? 45.
- II. De sex Casibus Episcopalibus, et præsertim de absolute censure propter percussionem Clerici. — 46. — 47 et 48. III. De Dispensatione cum Illegitimis. — 49. Cum Bigamis — 50. IV. Circa irregularitates ob delictum occultum; et quid si homicidium sit omnino occultum. — 51. De homicidio casuali. — 52. V. Circa Inhabilitates. — 53. VI. De facultatibus Episcoporum circa matrimonia. — 54. De Dispensatione circa Publicationes, votum castitatis, et impedimentum ad petendum, remissivè. Circa impedimenta dirimentia dubia. — 55. Circa dirimentia certa, si Matrimonium sit contractum. — 56. Si non sit contractum — 57. Utrùm Episcopus possit hanc facultatem delegare. — 58. VII. De Dispensatione Interstitiorum. — 59. VIII. De Dispensatione Capellani, ut celebrare valeat in alia Ecclesia. — 60. IX. De celebratione post meridiem. — 61. X. De Oratoriis. — 62. Quibus in locis possit celebrare Episcopus. — 63. Utrùm valeat dispensare ad celebrandum domi. — 64. XI. De facultate Episcoporum, et Prælatorum circa electionem proprii Confessarii. — 65. XII. Contra Clausuram Monialium. 66. De Approbatione Confessariorum Monialium. — 67. XIII. Utrùm valeant commutare ultimas voluntates. — 68. XIV. De compositione in restitutionibus incertis. — 69. XV. De Reductione Missarum. — 70. De unione Beneficiorum, novarum Parochiarum electione etc. — 71.

29. — Episcopi vigore Tridentini Sess. 24. cap. 6. Liceat, sequentes habent facultates: « Liceat Episcopis in irregularitatibus omnibus et suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario et aliis deductis ad forum contentiosum, dispensare; et in quibuscumque casibus occultis, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, delinquentes... sibi subditos, in Diocesi sua per se ipsos, aut Vicarium ad id specialiter deputandum, in foro conscientie gratis

» absolvere, imposita pœnitentia saluari. Idem et in hæresis crimine si in eodem foro conscientia eis tantum, non eorum Vicariis sit permissum. » Quare Episcopi vigore dicti cap. Liceat dispensare possunt in omnibus irregularitatibus et suspensionibus Papalibus incursis ob delictum occultum, excepto homicidio voluntario, aliisque deductis ad Forum contentiosum. Diximus ob delictum occultum; unde bene aiunt Bonac. Castrop. Salm. etc. quod non potest Episcopus vigore prædictæ facultatis dispensare in aliqua irregularitate occulta ex defectu; Vid. lib. 7. n. 469. nisi esset dubia, ut probabiliter tenent Fagnanus, et Tournely cum Gibert aliisque deducentes ex c. Nuper de Sentent., exc. Fagn. in c. Veniens de Fil. Presbyt. n. 7. et 8. Tournely cum aliis Tom. 2. p. 116. Sed insuper absolvere possunt proprios subditos vel per se, vel per alium Sacerdotem ad id specialiter deputatum, à casibus papalibus occultis; quinimo juxta Concilium poterant antea etiam ab hæresi absolvere (per se, non per alios); sed vide dicenda num. 38.

30. — Quoad hanc Concilii facultatem plura notatu digna consideranda sunt. Notandum 1. quod in iis locis, in quibus Tridentinum non est receptum, nequeunt Episcopi uti præfata facultate cap. Liceat, ut notant communiter DD. Suar. de Censur. D. 14. n. 6. Sanch. Dec. l. 2. c. 11. n. 2 Salm. de Pœnit. t. 13. n. 3. dum Alter. Castr. t. 1. tit. 4. D. 4. p. 3. §. 2. n. 2. cum Barb. et Garc. et merito: Facultas enim Concilii non recipitur ab Episcopis, nisi per acceptationem illius: Et valde incongruum esset, ut is Concilii gauderet Privilegius, qui onera subire recusaret.

31. — Notandum 2. sub nomine Episcoporum communi sententia venire etiam Vicarios Capitulares, Sede vacante; non verò Vicarios Episcoporum ex generali eorum commissione Vicariatus; nam Vicarius bene potest, quod potest Episcopus potestate ordinaria propria (ut dicitur n. 37.) non verò id, quod potest Episcopus potestate delegata, quamvis ordinaria, utpote annexa Officio, ut dicitur n. 34. et 47. Præterquam quod hac in facultate requirit Concilium expressè delegationem specialem. Vid. Sanch. de Matrim. l. 2. D. 40. n. 16. Utrum veniant Abbates, et alii qui jurisdictionem Episcopalem habent? Negant Coninchius, Barb., et alii cum P. Suar. qui affert etiam quamdam Declarationem S. C. Affirmant verò communiùs Fagnanus, Sanchez, Castrop. Sairus, Avilas, Salm. la Croix etc. dicentes, quod, quando concessio facta est in jure, habet rationem Legis, quæ extenditur ad omnes casus, in quibus currit eadem ratio: aliàs, aiunt, talium Prælatorum subditi ad quem recurrerent, non haberent. Vide L. 6. n. 593. vers. *Eandem*, et l. 7. n. 79.

32. — Notandum 3. nomine subditorum venire etiam peregrinos, qui ab Episcopo loci absolvi possunt ab omnibus casibus Papalibus occultis, ut docent Suar. Sanch. Bonacina, Navarrus, Barbosa, Trullenchius, Bossius, aliique; quia, et si Tridentinum concedat Episcopis, ut absolvant tantummodo delinquentes sibi subditos, nihilominus, aiunt præfati AA. quod Exteri sub-

jiciendo se Foro Sacramentali jam fiunt illorum subditi; et P. Suarez affert etiam quamdam declarationem S. C. in qua dicitur, Peregrinum posse quidem absolvi à præfatis casibus occultis ab Episcopo loci, non verò à suo proprio, quia Absolutio Sacramentalis, de qua loquitur Concilium, requirit præsentiam. Vid. Lib. 6. n. 593. Et ideo in eadem declaratione dictum fuit, quòd Episcopi extra Sacramentum nequeant à casibus jam dictis absolvere, contra id, quod asserunt Salmantic. cum Bonacina, aliisque, imò Fagnanus tradit, in Cap. Dilectus de Temp. ordin. n. 16. hoc idem declaratum etiam fuisse à Gregorio XIII. Hoc currit quoad Absolutionem à casibus, sed quoad Dispensationem ab irregularitatibus, et suspensionibus propter delictum occultum, idem Gregorius XIII. declaravit, non posse illam concedi ab Episcopis loci, nec etiam iis, qui ibidem officium Prætoris, vel Medici exercendo commorarentur, ut refert Fagnanus l. c. Utrùm verò proprius Episcopus valeat dispensare in irregularitate cum Subdito absentem in aliena Diocesi, negant Avila aliique; sed communius et probabilius affirmant Bonacina, Tournely, Suarez, Barbosa, Sanchez, Salm. etc., quia Dispensatio potest etiam absentibus dari, et jurisdictio voluntaria potest etiam extra proprium territorium exerceri. Neque obstant verba illa in Diocesi sua, præfati c. Liceat, quoniam aiunt Salm. et Tourn. illa sufficienter verificari, quando Episcopus dispensat à sua Diocesi. Immo valde probabiliter dicunt Suar. Sanch. La-Croix, et Holzman cum Castrop. et Pignatello, præfata verba non referri ad primam partem Dispensationis irregularitatis, sed tantummodo ad secundam (in qua sunt posita) de Absolutione casuum: unde concludunt posse Episcopum dispensare, etiamsi ipse et Subditus maneant extra propriam Diocesim. Vid. l. 7. n. 81.

33. — Notandum 4. Nomine *delicti occulti* non intelligendum illud, quod potest in judicio probari per duos Testes, ut quidam volunt, ratione cujusdam Declarationis S. C. apud Fagnanum, in qua dicitur quòd tutus sit in conscientia, qui tali casu absolutus, vel dispensatus sit; Sed ut vult communior sententia, nomine *delicti occulti* intelligendum quodcumque delictum, quod aliquo modo possit celari; etiamsi in judicio probari possit. Unde dicunt Azorius, Sanch. Tournely, Bonac. Castropal Salmanticenses, aliique, tunc delictum non censi occultum, quando innotuit majori parti oppidi, vel viciniæ, vel Collegii, dummodo ibi decem saltem commorentur personæ. Vid. Lib. 6. n. 593. v. *Hic autem*. Et Card. Lambertinus Notif. 87. n. 45. in fin. cum Tiburtio, Navarro, Siro, etc. (loquendo de impedimentis occultis Matrimonii, ubi currit eadem regula) asserit, haberi pro occulto impedimentum illud, quod innotuit septem vel octo in aliqua Civitate, et sex in aliquo oppido. Et idem Fagnanus in cap. Vestra de Cohab. Cler. etc. n. 118, testatur, S. Pœnitentiarum habere pro impedimento occulto illud, quod quatuor, aut quinque tantam personis sit notum. Imò mihi constat, S. Pœnitentiarum dispensasse in quodam impedimento quod decem circiter per-

sonis innotuerat, Vid. Lib. 6. n. IIII. Præterquam quòd idem Fagnanus affirmat, tunc delictum vel impedimentum non censerì occultam, quamvis duobus testibus notum, quando in concessione absolvendi, aut dispensandi extat clausula, *dummodo sit omnino occultum.*

34. — Dubitatur hîc I. Utrùm Episcopus possit generaliter delegare aliis Sacerdotibus hanc Tridentini facultatem? Quoad Dispensationem Irregularitatum, sufficit (ut dicunt Suarez, Barbosa, Sanchez, alique) quòd Episcopus simpliciter aliis suam facultatem committat, sine ulla speciali deputatione, quoniam præfata dispensandi facultas vigore Concilii competit hodie Episcopis de potestate ordinaria, cum ea annexa sit Officio Episcopi, non verò industriæ Personæ. Quantum autem ad Absolutionem à casibus, quidam affirmant requiri specialem deputationem pro quocumque casu particulari attentis verbis Tridentini, *per se, aut Vicarium ad id specialiter deputandum.* Verùm hoc non obstante, communissima sententia est et probabilior cum Suarez, Sanchez, Barbosa, Navarro, Layman, La Croix, Salmanticensibus, etc. posse Episcopum etiam generaliter delegare alicui Sacerdoti hanc facultatem cap. Liceat, dummodo expressè illam specificet, quoniam specificando jam habetur pro facta specialis deputatio, quæ rectè quidem poterit inde generalis esse pro cunctis casibus occurrentibus; nam, ut diximus, hæc facultas hodie competit Episcopis *de jure Ordinario*, utpote annexa Dignitati Episcopali. Vide Lib. 9. n. 594. Dub. 9.

38. — Dubitatur 2. Utrùm Episcopus absolvere possit, aut delegare, vigore cap. Liceat, facultatem absolvendi etiam à casibus reservatis cum censuris ab aliis Episcopis, quando sunt occulti? Bonacina, et alii affirmant ob particulam *etiam*, quæ in eodem Capite legitur: *In quibuscumque casibus occultis ETIAM Sedi Apostolicæ reservatis.* Unde aiunt, ne particula *Etiam* inutiliter videificet, quoniam specificando jam habetur pro facta specialis facultatem absolvendi etiam à censuris occultis ab aliis Episcopis sibi reservatis; ita Bonac. de Censur. Disp. qu. III. punct. III. Quæres quintò etc. Ibiq; addit, hoc videri receptum consuetudine, quæ conferre solet jurisdictionem. Item addit, hoc intelligendum, « modò illa censura lata sit per statutum, vel per sententiam generalem; » nam si lata sit per sententiam particularem, existimat, absolutionem impendendam esse à Præfato, qui eam tulit, vel ejus superiore, vel successore. Ratio, quia eo casu, cum censura lata sit per sententiam particularem, crimen non est amplius occultum, sed publicum; citatque Suar. t. 5. Disp. 7. sect. 2. n. 27. Avila, Coninch. et alios. Idem tenent Barbosa Collect. DD. in Concil. Trident. Sess. 24. de Reform. c. 6. verb. *Quoscumque sibi subditos*, intra quos numerat etiam Advenas et Peregrinos, et etiam Vagabundos, quia isti subduntur Episcopo loci ratione fori Sacramenti Pœnitentiæ, citatque Suar. Sanchez, Navar. Bossium, Trunchell. etc. Idem tradit Barbosa cum aliis de Pœnitest. Episc. Alleg. 39. n. 27. Idque ibi referunt decisum Nicol.

Garc. de Benef. p. 11, 2. c. 10. n. 139, in 3. Decl. Armentar. lib. 7. de Irregul. n. 18, et Steph. Dalvin de Potest. Episc. cap. 26. in fin. Id tamen videtur intelligendum juxta limitationem Clementis X. qui in Bulla Superna, edita 21 Jun. 1670. ait, « posse Regularem Confessarium in diœcesi, in qua est appro- » batus, confluentes ex alia diœcesi à peccatis in ipsa tantum re- » servatis absolvere; nisi eosdem pœnitentes noverit in fraudem » reservationis ad alienam diœcesim pro absolutione obtinenda » migrasse. » Quomodo autem intelligi debeat illud, *in fraudem*, vide dicta lib. VI. de Pœnit. tract. 4. cap. 2^a Dub. 4. n. 589. vers. *Quomodo* etc. ubi probabilius censemus cum Roncaglia et aliis, illud *in fraudem* intelligendum esse, cum quis alienam petit diœcesim ob principalem finem obtinendi absolutionem, vitandique judicium proprii Pastoris. E contra Auctor Theologiæ Moralis in usum Seminarii Petrocorensis relatus à Bened. XIV. in Opere de Synodo Diœces. lib. 5. c. 5. n. 8, scribit: « Receptissima » consuetudo est, ut viatores, mercatores, alique, qui propter » negotiorum necessitatem, vel ob pium alium finem, in alienas » diœceses transeunt, ibi possint sacramentaliter absolvi. »

36. — Dubitatur 3. Utrum facultas Tridentini intelligatur concessa Episcopis pro casibus, et irregularitatibus post Concilium reservatis? Garcia, et Floronus apud Dianam negant, et inferunt ex quadam Declaratione Gregorii XIII. in qua, cum dubitatum fuisset, utrum Episcopus posset absolvere Monialem frangentem Clausuram, ab excommunicatione (quando est occulta) à S. Pio V. reservata, Pontifex declaravit, non posse. Attamen sententia communissima cum Sanchez, Bonacina, Suarez, Bossio, Diana, Vega; aliisque jure affirmat; in cap. enim Liceat, conceditur facultas indefinitè: et secundum Axioma generale; « ubi lex non » distinguit, nec nos distinguere debemus. » Neque obstat laudata Declaratio, quia in Bulla S. Pii extabat clausula, « à qua, » præterquam à Romano Pontifice, nisi in mortis articulo absol- » vi nequeat. » Unde prorsus non dubitamus cum Diana, quod per illas Bullas, in quibus extat aliqua clausula derogatoria, ut est illa *nisi in mortis articulo*, intelligitur ablata Episcopis facultas. Vide Lib. 6. n. 594.

37. — Dubitatur 4. Utrum Episcopus vigore cap. Liceat possit absolvere ab excommunicatione Papali, quam per Bullam N. SS. P. Benedicti XIV, *Sacramentum*, incurrunt Confessarii absolventes suos complices in peccato turpi? Ex parte una videtur, non posse, quia cum casus iste per se sit occultus, si Episcopi possent ab illo absolvere, evaderet inutilis Pontificis reservatio; et jam diximus n. 16., quod intelligitur tacitè revocatum omne Privilegium, quando aliter lex emanata post privilegii concessionem non posset suum effectum sortiri. Ex alia posset quis respondere, quod, salva Episcopis jam dicta facultate, memorata reservatio non remaneret prorsus inutilis, tum quia evenire potest, quod casus aliquando publicus fiat; tum quia reservatio ista saltem Romæ suum semper sortietur effectum, et in omnibus

aliis locis, in quibus Tridentinum non est receptum, et in quibus (ut diximus n. 30.) nequeunt Episcopi hoc privilegio gaudere.

38. — Dubitatur 5. Utrùm Episcopis vigore Bullæ Cœnæ ablata fuerit præfata Tridentini facultas respectu hæresis occultæ, et respectu aliorum casuum per ipsam reservatorum? Negant Navarrus, Coninc., alique, à quibus non dissentiunt Milante, Concina, et Salmanticenses, dicentes, quòd in Bulla non fuerit expressè revocata Concessio Tridentini, quemadmodum oportebat ex c. Nonnulli de Rescrip. Sed nos cum sententia communiore affirmamus, et ob plures S. C. Declarationes, tam vigore clausulæ derogatoriæ *Nisi in mortis articulo*, quæ in Bulla jam legitur, ut diximus antecedenti n. 36. quàm vigore alterius clausulæ, qua prohibetur ab illis absolvere, « prætextu quorumvis indultorum per nos, ac cujusvis Concilii Decreta concessorum. » Hac de re plures, à Fagnano, et Cardinali Lambertino, De Synodo l. 9. c. 4. n. 9. afferuntur Declarationes etiam S. Pii V. et Gregorii XIII. Insuper ab Alexandro VII. damnata fuit Propositio 3. quæ dicebat, quòd prior sententia à S. C. fuerat *visa et tolerata*. Quæ damnatio, ut rectè dicunt Viva, Holzman, Elbel, prælaudatus Cardinalis Lambertinus, De Synodo l. 9. c. 4. n. 10, certè reddidit improbabilem contrariam sententiam; nam cum Pontifex declaraverit, nunquam illam fuisse toleratam, implicite quoque declaravit, non esse tolerandam: unde Lambertinus concludit, quòd non sine temeritatis nota quis ea hodie uti possit.

39. — Advertendum tamen hæc est, quòd licet Episcopus in foro interno nequeat ab hæresi occulta absolvere, potest nihilominus tanquam Delegatus Apostolicus dispensare in irregularitate incursa ob dictam hæresim occultam, ut dicunt Salmanticenses, et Felix Potestas. Vide Lib. 7. n. 76. Insuper potest Episcopus ut Delegatus Apostolicus absolvere Hæreticum, etiam notorium, quoad forum externum, facta prius abjurazione coram Notario et Testibus: et postquam absolutus fuerit ab Episcopo Delinquens, tunc poterit ipse absolvi à peccato hæresis à quolibet Confessario; ita affirmant communiter DD. Roncagl. tract. 4. q. 1. cap. 6. q. 4. pag. 81. cum Farinac, ac Castrop. de Fide tr. 4. D. 4. p. 3. §. 2. n. 1. et 2., cum Sanch. Navarr. Ban. Guttier, Comit. Vivald. etc. ex Bulla, *Cum sicut*, Clem. VII. edita an. 1530.

40. — Dubitatur 6. Utrùm Episcopus absolvere possit ab hæresi, et ab aliis casibus Bullæ Cœnæ, impeditos ire Romam? Alii absolutè negant. Alii negant tantum in hæresi. Sed nos affirmamus communiter posse, cum communi sententia Theologorum et Canonistarum, quam tenent Lugo, Layman, Conc. Roncag. Castrop. Milante, Salm., Coninchius, Avila, Potestas, Viva, Pellizzarius, etc., quia stante impedimento, restituitur Episcopis potestas ordinaria, quam prius habebant super dictis casibus vigore cc. 13, 19 et 58, de sententia excom. ubi quamvis

sermo habeatur tantum de censura ex percussione Clerici, tamen communiter DD. extendunt ad omnes alias censuras, et specialiter ex c. Eos, qui 22. eodem tit., ubi generaliter sermo habetur de omni censura *Canonis, vel Hominis*, et dicitur, cum ad illum, à quo fuerant absolventi, nequeunt, propter impedimentum, habere recursum, ab alio absolvantur. Vide Lib. 7. n. 84.

41. — Et notandum hic 1. quod in tali casu impedimenti Episcopus non solum absolvere potest ab hæresi per se ipsum, sed etiam per alios generaliter delegatos. Nec obstat Tridentinum, in quo dicitur, *eis tantum, non Vicariis sit permissum*, quia tunc Episcopus non absolvit virtute Concilii, sed juris communis, juxta quod ex potestate ordinaria conceditur Episcopis absolvere, et delegare, ut in aliis casibus. Vid. l. 7. n. 90.

42. — Notetur 2. quod respectu eorum, qui sunt impediti, veniunt senes, mulieres, infirmi, impuberes, pauperes, et illi, qui aliquam habent inimicitiam, et omnes alii, *qui habent alias justas excusationes, quibus ab itinere rationabiliter excusentur*, ut habetur ex cap. de certo, de sententia excomm., et ex c. Ea noscitur; et quamvis eodem tit. In hoc autem advertatur, quod, si impedimentum sit temporale, et notabile (durans exempli causa sex, vel septem mensibus) tunc impediti possunt bene absolvi, sed ipsi, exceptis mulieribus, et pueris, debent juramentum præstare se præsentandi, cessante impedimento, Sedi Apostolicæ, saltem per Procuratorem, ut ab illa directè absolvantur; et non se præsentantes reincident in eandem censuram; ut habetur ex cap. Eos qui de sent. excomm. in 6. Et hoc currit, etiamsi emendati sint, et partibus offensis satisfecerint. Vid. lib. 7. n. 85. ad 87.

43. — Si verò impedimentum sit perpetuum (id est duraturum sit per decem annos, vel saltem quinque, ut dicunt Roncaglia, Viva et Tamb.) absoluti remanent penitus liberi ab obligatione se præsentandi. Sed generaliter loquendo impediti in perpetuum dicuntur 1. Filiifamiliàs. 2. Religiosi, etiamsi incurrerint censuram ante ingressum. 3. Senes septuagenarii. 4. Servi. 5. Pauperes. 6. Damnati in vita ad triremes, vel carceres. 7. Infirmi morbo gravi, et diuturno, ut quartana, et simili. 8. Qui alere tenentur, vel ministrare bona familiæ. 9. Omnes Mulieres, etiamsi non Moniales (excepta excommunicatione, quæ incurritur à Monialibus ob fractionem Clausuræ, quamvis occultam, quæ semper reservatur Papæ ex Declaratione Gregorii XIII, ut diximus n. 36.) 10. Impuberes, etiamsi peterent absolutionem post pubertatem. 11. Qui convivunt in loco aliquo unde egredi nequeunt, ut Milites, Seminaristæ. Et tandem cæteri omnes, qui nequeunt Romam ire sine gravi damno vel spirituali, vel temporali. Vid. Lib. 7. n. 87 et 88.

44. — Notandum 3. Quod taliter impediti secundum probabiliorem, communemque sententiam Castropal. Avila, Coninchii, Milantis, Roncagiæ, Salmanticensium, Vivæ, Sporer, Dicastilli, aliorumque (contra Bonac. et Potestatem) non tenentur recurrere

Romam per Procuratorem, aut per Epistolam; quia stante impedimento (ut diximus n. 40.), restituitur Episcopis potestas ordinaria absolvendi, quæ ipsis per Pontificiam reservationem fuerat ablata. Eò magis, quia lex ad aliud non obligat, nisi ad recursum personalem; unde qui personaliter Romam ire impeditur, solvitur omni alia obligatione. V. l. 7. num. 89.

45. — Notandum 4. Quòd, quando Pœnitens nequit se Pontifici præsentare, tenetur necessario ad Episcopum habere recursum, ut absolvatur à censura Papali, ut habetur ex c. De cætero 1. et cap. Ea noscitur de sent. excom. Quando verò nec etiam se potest Episcopo præsentare (etiam extra mortis periculum) est valde probabile cum Soto, Navarro, Suarez, Castropalao, Layman, Roncag. Salmanticensibus. La Croix, etc. quòd absolvi possit à quocumque simplici Confessario (cum obligatione tamen se præsentandi Episcopo, cessante impedimento) ut deducitur ex textu in cap. Nuper eod. tit. Vid. lib. 7. n. 92. Et tunc dicimus, quòd Pœnitens probabiliter, per se loquendo, ut dicunt Castropal. Gerson. Sotus, S. Antoninus, Lugo, Salas, etc., non tenetur confitere peccata reservata, nisi quando in illis est recidivus, aut ratione illorum extet in occasione proxima, adeo ut necesse sit illa manifestare, ut confessarius rectè judicare valeat de ejus dispositione; Vid. Lib. 6. n. 265. v. *Qu. II.* Et quando Pœnitens est in mortis articulo, probabiliter etiam præsentare Episcopo absolvi potest à casibus Papalibus à quocumque confessario; in morte enim (ut diximus) cessat quæcumque reservatio. Dicimus à *casibus Papalibus*, sed non à casibus reservatis cum censura ab eodem Episcopo; quoniam Confessarius etiam moribundo injungere debet quòd se præsentet suo Superiori, casu quo convalescat, ut accipiat ab eodem tam convenientem admonitionem, quàm pœnitentiam ob censuras reservatas, quamvis absolutas, juxta communem sententiam: unde quomodo potest inde absolvere Superiore præsentate? Vid. lib. 7. n. 92. Sed transeamus ad reliqua Privilegia, et facultates, quibus gaudent Episcopi.

46. — II. Extant in Jure quædam excommunicationes, quarum absolutio tantummodo Episcopis est reservata; Et sunt 1. Contra percutientes Clericum, vel Monachum, vel aliam personam habentem privilegium Canonis. 2. Contra procurantes abortum fœtus animati. 3. Contra eos, qui absolvuntur in mortis articulo à censura Episcopis reservata, et postea recuperata sanitate, non curant se eidem præsentare. 4. Contra Fratres Minores admitentes in suis Ecclesiis ad Divina Officia Præter Tertii Ordinis. 5. Contra communicantes in eodem delicto cum Excommunicatis ab Episcopo. 6. Reservantur tandem omnes excommunicationes, quas Episcopus sibi reservat. Vid. Lib. 7. n. 213. Annotanda autem hæc sunt quædam specialia circa absolutionem excommunicationis ob percussionem Clerici. Ante omnia distinguenda est percussio Levis à Gravi (seu Mediocri) et ab Enormi. Ad incurrendam excommunicationem semper requiritur peccatum mortale: Percussio Levis, habemus ex Extravag. Perlectis, quam per ex-

tensum refert Navarrus, Manual. c. 27. n. 91, est, quando intercedit simplex percussio, quæ fit manu, pedè, baculo et his similibus. Gravis, quando eruitur dens, quantitas notabilis capillorum, aut quando intervenit aliqua percussio relinquens maculam, aut contusionem in carne, aut quando adest effusio sanguinis pugnis, vel unguis causata. *Enormis* verò est, quando mutilatur aliquod membrum, aut fit aliquod magnum vulnus; aut vulnus fit instrumento aliquo, aut adest magna effusio sanguinis, aut quando irrogatur magna quædam injuria, unde sæpe vulnus ex levi potest evadere grave, aut enorme, ratione aut dignitatis personæ offensæ, aut scandali, ut si Religiosus Clericum percuteret: aut ratione loci sacri, aut publici: aut ratione temporis, ut si e. c. dum fiunt sacræ aliquæ functiones; aut tandem si injuria ipsa per se sit *enormis*. Vide Lib. 7. n. 277 et 279.

47. — His positis, habetur ex Extravag. Perlectis supra cit. quòd, si excommunicatio incurritur ob percussione[m] levem, potest absolvi ab Episcopo: imò etiam à suo Vicario, hæc enim facultas competit Episcopo de jure ordinario, ut dicunt Sanchez, Bonacina, Molina, aliique; juxta regulam generalem (ut diximus n. 31.) quidquid potest Episcopus ex jurisdictione ordinaria, non verò delegata, idem potest Vicarius, qui cum Episcopo constituit unum idemque Tribunal, ut probant Fagnanus, Sanchez, aliique. Vide l. 7. num. 224. Eadem excommunicatio, probabiliter absolvi potest etiam ab iis, qui habent Jurisdictionem quasi Episcopalem, quique veniunt sub nomine Episcopi, ut diximus n. 31. Quòd si percussio fuerit *publica*, excommunicatio tantum à Pontifice, aut ab ejus Legato potest absolvi (potest etiam haberi recursus ad S. Pœnitentiariam, sed non ab Episcopo) excipe si fuerit occulta, aut si percutientes essent impuberes, aut mulieres, ut ex c. Pueri, et cap. Mulieres de Sentent. excomm., aut si impediuntur Romam ire, juxta ea, quæ diximus n. 40. Collegialiter conviventes possunt absolvi ab Episcopo, si percussio fuerit gravis, non verò si fuerit *enormis*, ut ex cap. Quoniam, de Vita, et Hon. Cleric. Vide lib. 7. n. 279.

48. — Notandum hîc 1. Quòd in dubio, utrum percussio fuerit levis, an gravis: judicatur gravis, ut habemus ex memorata Extravag. Perlectis, in qua dicitur: «Potius in dubio esse percussione[m] gravem, et ab ea non posse absolvere.» Notandum 2. quòd juxta sententiam communiorem, et probabilior[m], si aliquis det venenum Clerico, tunc incurrit censuram, quando venenum cœpit nocere, quia tunc adest jam violentia; E contra, priusquam noceat, non adest violentia effectiva, sed solum actio apta ad causandam violentiam: ita Bon. Viva, Diana, etc. l. 7. n. 280.

49. — III. Quoad irregularitates non occultas, Episcopus ex c. 1. et c. 2. de Filiis Presbyteror. potest dispensare cum Illegitimis tantum ad recipiendos Ordines Minores, et Beneficia Simplicia, et Canonicatus in Collegiatis, ut etiam Portiones non integras in Ecclesiis Cathedralibus; aut alia Beneficia, quibus Sacer Ordo non est annexus; Sed non ad Beneficia Curata; ut ex cap.

Is qui eod. tit. In noe conveniunt omnes. Dubitatur autem 1. Utrum Episcopus possit dispensare ad Canonatum in Ecclesiis Cathedralibus? Et quidem cum probabiliori sententia, et communiori Bossii, Castropal. Barbosæ, Concinæ, Salmanticensium, etc. (contra Pontas, et Tournely, cum Gibert) dicimus, non posse; quamvis enim Canonatus in se sit simplex Beneficium, tamen vigore Tridentini Sess. 24. c. 12. est annexus Ordini Sacro; unde hodie de sua natura Ordinem Sacrum requirit. Vid. lib. 7. n. 428 et 429. Dubitatur. 2. Utrum Episcopus possit generaliter dispensare in hujusmodi irregularitatibus cum Illegitimis occultis? Admittunt Diana, Avila, Barb. etc. dicentes, Tridentinum jam permittere Episcopis, ut possint dispensare in irregularitatibus ex delicto occulto provenientes. Sed nos negamus cum Suarez, Layman, Bonacina, Castropal. Tournely, aliisque: Quin et ipse Diana quoad hoc se retractavit, ex eo, quia hujusmodi irregularitas non oritur ex delicto, sed ex defectu; et etiamsi oriretur ex delicto, Caput *Liceat* intelligitur de delicto proprio, non alieno. Vid. lib. 7. n. 430. Dubitatur 3. Utrum Episcopus valeat dispensare cum Illegitimo occulto, saltem ad ministrandum in Ordinibus Majoribus jam susceptis. Affirmant Layman, Castropal. et Diana, non solum si ille susceperit Ordines bona fide; sed etiam mala fide; et inferunt ex cap. Nisi Personæ, de Renunc., ubi dicitur, posse Episcopum dispensare cum Illegitimo occulto, qui culpabiliter est ordinatus. Verum omnino negandum est cum Suarez, Fill. Salm. etc. ex rationibus supra allatis, quod Episcopus nequeat dispensare circa Ordines Majores. Neque obstat citatus textus, quia illud posse dispensare intelligitur omnino de Papa; ibi enim sermo est de quodam Episcopo hoc modo perperam ordinato. *ibid.* n. 431.

50. — Asserunt Navarrus, Sanchez, Concina, aliique cum D. Thoma, posse Episcopum dispensare etiam cum Bigamo ad suscipiendos Ordines Majores, et Beneficia Simplicia. Sed nos negamus cum Suarez, Laym. Castrop. Tournely, Barbosa, Bonacina etc. vigore cujusdam Declarationis Sixti V. in qua Pontifex declaravit suspensum quemdam Episcopum, ex eo, quia contulerat Beneficium cuidam Bigamo, addiditque, Ordinum incurrisse pœnas, utpote perperam promotum, apud Fagnan. in c. Quoniam de const. num. 32. Si verò Bigamia sit similitudinaria, quamvis ea sit publica, communissima est sententia cum Toletto, Suarez, Castropal. Sanchez, Salmantic. Tournely, aliisque compluribus, posse Episcopum dispensare etiam quoad susceptionem Majorum Ordinum; et probatur ex cap. 4. de Cler. Conjugat. et c. 1. Qui Cler. vel Mon. Excipiendum verò communiter, si Clericus habuerit in uxorem viduam aliquam, aut aliam non virginem, aut si habuerit aliam uxorem ante Ordinationem. Vid. lib. 7. num. 452.

51. — IV. Ut diximus ab initio, potest Episcopus dispensare in irregularitatibus incursis ob delictum occultum, excepto homicidio voluntario. Circa hoc aiunt quidam Doctores, quod, his non

obstantibus, si homicidium esset taliter occultum, ut nullo modo in iudicio probari posset, tunc posset Episcopus dispensare. Verum hæc sententia iure fuit à Salmant. reprobata, à Roncaglia etc., quia ex parte una Episcopi nihil possunt super irregularitatibus, præter id, quod ipsis à Tridentino concessum est in eodem cap. Liceat, in quo expressè excipitur homicidium voluntarium occultum. Quòd verò nomine *occulti* intelligatur, ut voluit Contrarii, id, quod in iudicio probari potest, licèt non adhuc probatum sit, id gratis omnino asseritur. Vid. Lib. 7. n. 39a. Atque ita declaravit S. C. Concilii die 21. Maii 1718. In ea enim, cum propositum esset, utrùm Episcopus posset dispensare in quodam homicidio perpetrato à quodam puero, qui ludens cum alio puero, istum parvo gladio vulneraverat, et qui post quadraginta dies ex eodem vulnere mortuus erat; ea scilicet ratione, quia delictum istud per decem et octo annorum spatium fuerat occultum; et quia erat moraliter impossibile ut ad Forum deduceretur, S. C. respondit Negative. In Thesaur. Declarat. S. C. p. 85. Cæterùm communis sententia est, posse Episcopum dispensare, quando immineret periculum Animæ, aut alia causa gravissima, et difficile esset ad Pontificem habererecursum. l. 7. num. 391. Insuper communiter asserunt Suar. Castrop. Bonac. Salm., alique, posse Episcopum dispensare in irregularitate per mutilationem occultam. l. 7. n. 381. Insuper est sententia communissima cum Navarro, Layman, Sylvestro, Barbosa etc. posse Episcopum dispensare in irregularitate ob homicidium casuale non modò occultum, sed etiam notorium, ad suscipiendos Ordines Minores, et Beneficia simplicia: hoc enim antiquitus jam poterant Episcopi, ut plures DD. testantur; et Tridentinum excipit tantummodo homicidium voluntarium, non casuale, quamvis publicum. Vide lib. 7. n. 393.

82. — Homicidium verò casuale e. c. est, si aliquis volens simpliciter percutere, ob negligentiam occidat: aut si Chirurgus ob negligentiam sit causa mortis, et his similia. Dubitatur inde, utrùm reputetur casuale homicidium commissum in rixa? Multi affirmant, ut Diana et Salmanticenses cum aliis: sed nos negamus cum sententia communiori Suarez, Navarri, Concinae, Tamburini, Sporer, aliorumque cum eodem Diana, qui se retractat; nam qui in rixa perpetrat homicidium, jam voluntariè occidit. Vid. Lib. 7. n. 394. Attamen est valde probabilis, et communissima sententia cum Suarez, Laym. Nav. Tournely, Bon. et La Croix (qui eam communem vocat) posse Episcopum dispensare cum eo, qui occidit ob propriam defensionem, sed in defensione aliquantum excedit; nam huiusmodi homicidium nequit dici absolute voluntarium.

83. — V. Quoad inhabilitates injunctas à Pontificibus in penam, dubitatur, utrùm Episcopus possit dispensare: talis, v. g. est inhabilitas ad recipienda Beneficia, imposita à Sixto V. in sua Bulla *Efrœnatum*, procurantibus abortum; et inhabilitas ad celebrandum à Regnante S. Benedicto XIV. injuncta Confessa-

sis sollicitantibus, in sua Bulla : *In Generali Congregatione*. Alii affirmant, sed negandum juxta dicta lib. 1. n. 191. ubi diximus omnino tenendum, non posse Episcopos dispensare in legibus Pontificiis, nisi specialiter eis facultas à Pontifice fuerit imper-tita. Negat Anacletus, et dubitat Roncaglia loquendo de abortu ; verum Elbel, et Sporer admittunt absolute ob regulam commu-niter receptam (ut dicunt) à Scoto, S. Bonaventura, aliisque ; quòd Dispensatio, ab omnibus pœnis impositis à jure communi, et Pontifici specialiter non reservatis, intelligitur concessa Epis-copis, ut colligitur ex Cap. Nuper 29. de Sent. excomm. Vide Lib. 1. n. 191. in fine, et l. 6. num. 705. in fin.

54. — VI. Circa materiam Matrimonii Episcopus habet va-rias dispensandi facultates. Dispensare quoque potest in Publica-tionibus. Insuper dispensare potest in voto castitatis emisso à Conjugibus. Videndum nunc superest, utrùm Episcopi habeant aliquam facultatem circa impedimenta dirimentia.

55. — In impedimentis dirimentibus solus Pontifex potest dis-pensare. Quòd si impedimentum esset dubium, communissima est sententia, posse etiam Episcopum dispensare : ita dicunt Sa, Merbesius, Tourn., Diana, Pichler, etc. et quamvis Sanch. in Tractatu, de Matrimonio, Lib. 8. D. 6. n. 18. id neget, tamen in Decalogo, Lib. 4. c. 40. n. 26. videtur se retractasse ; ibi enim ait tanquam ex regula generali : « Cum Dispensationis conservatio » sit odiosa, est restringenda ad casus certos ; dubii enim non » comprehenduntur sub reservatione ; » ut asserit, se probasse antea Lib. 1. c. 10. n. 7. Vid. Lib. 6. n. 902. v. *Cæterum*.

56. — E contrario quando impedimentum dirimens esset cer-tum, et matrimonium jam fuisset contractum, est communis sententia posse Episcopum in eo dispensare quoties non facile posset haberi recursus ad Pontificem, et quoties immineret pe-riculum scandali, aut infamiæ, si Conjuges separentur, aut in-continentiæ, si non separentur ; ita Sanch. Castrop. Conc. Mar-ches. Tourn. Cabassut. Nat. ab Alex. Conac. Barb. Salm. etc. contra quosdam paucos. Vid. l. 6. n. 1123. Et idem sentit Bene-dict. XIV. De Synodo l. 9. c. 2. n. 2. *Præsumendum est, Sum-mum Pontificem delegare Episcopo potestatem dispensandi, quam certè, requisitus, non esset ei denegaturus*. Sed advertunt hic La Croix, et Felix Potestas, quòd, si Dispensatio potest commodè obtineri à S. Pœnitentiaria, et Conjuges essent in bona fide, tunc illa est expectanda, et interim Sponsi sunt relinquendi in sua bona fide. Insuper advertendum est cum Pontio, Castrop. Barb. Escob. Sanchez, Salm. aliisque communiter, non posse Episcopum, si ambo Conjuges mala fide contraxerint ; tunc enim si daretur lo-cus hujusmodi dispensationibus, daretur ansa celebrandi quotidie Matrimonia nulla sub spe Dispensationis. Præterquamquod Tri-dentin. Sess. 24. cap. 5. vult omnino privari quacumque spe Dispensationis quicumque scienter contrahit in gradu prohibito. Notandum tamen cum Sanch. Salmanticens. Bann. Concin. Aversa, etc. quòd ad constituendam in hoc casu malam fidem,

oportet, ut contrahens non modò scienter factum commiserit, quòd scilicet cum conjuncta contraxerit, sed insuper quòd sciverit, extitisse impedimentum, imò, quòd de eo veram notitiam habuerit; Concilium enim inquit: *scienter præsumpsit*. Unde cum ignorantia crassa potest quidem dispensari. Deneganda est insuper Dispensatio ei qui contraxit, sed ex malitia publicationes prætermisit, ut habetur ex eodem Concilio loc. cit. Vide lib. 6. n. 1124.

87. — Si verò Matrimonium non adhuc contractum sit, probabilissima quoque adest sententia, et est communis, quòd possit tunc Episcopus dispensare in impedimento dirimenti, quandò imminet periculum infamiæ, et facilis non est recursus ad Pontificem; ita Suarez, Pignatellus, Pontius, Concina, Cabassutius, Castrop. Salm. Bonac., Cardenas, Sylvius, La Croix, Viva, etc. cum Benedicto XIV. De Synodo L. 9. c. 2. n. 2. contra rigidissimum Fagnanum, qui id negat etiam in mortis periculo, et in necessitate legitimandi prolem; Sed alii communiter aiunt tunc præsumi, aut quòd Pontifex deleget Episcopo suam dispensandi facultatem, vel quòd in casu tantæ necessitatis cesset dispensationis reservatio, et quòd tunc Episcopus dispenset ex potestate sua ordinaria. Vide Lib. 6. n. 1122. et fusiùs eodè Lib. n. 613. Imò asserit Pignatellus probatque, Tom. 3. Consult. 33. n. 6. in tali casu cessare non modò reservationem, sed etiam legem impedimenti, utpote eam quæ jam perniciosa evaserit; cum certum omnino sit, legem nocivam non obligare, ut docent omnes cum D. Thom. Et ex hoc inferunt Roncaglia, et instructor novor. Confessarior. quòd adveniente casu, quo Sponsi jam ad Ecclesiam pervenerint, et unus ex ipsis manifestaret Confessario impedimentum occultum jam contractum tanquam peccatum, et sine scandalo, aut infamia Matrimonium differri non posset, potest tunc Confessarius declarare, eo casu non obligare legem impedimenti, et posse licitè contrahi. Verùm ad majorem cautelam consulunt, ut obtineatur inde dispensatio à S. Pœnitentiaria. Sed advertendum est hoc currere, quando Episcopus esset absens; quando etenim fieri potest, necessariò ad ipsum est recurrendum, ut dispenset, juxta ea quæ diximus n. 45. Dicunt autem Sambovius et Gibert, quòd si contrahentes sint diversarum Dioccesium, quisque sponsus debet à proprio Episcopo dispensari. Verum probabiliter id negat Honoratus Tournely cum aliis, quia sublato per Episcopum impedimento sui subditi, jam hoc ipso reddit habilem ad contrahendum cum alio impedito; quemadmodum qui habet facultatem dispensandi in aliquo gradu; eo ipso quòd dispensat cum uno ex sponsis, dispensat etiam cum alio. I. 6. n. 1142.

88. — Quæritur, utrùm Episcopus possit aliis delegare hanc facultatem dispensandi in impedimentis dirimentibus in supra narratis casibus? Quidam pauci negant; sed communiter affirmant Castrop. Bonac. Barb. Sylvest. Sanch. Pontius, Coninch. Salm. Escobar, etc. Et potest eam delegare non modò in parti-

culari, sed etiam generaliter pro omnibus casibus occurrentibus, ut aiunt Sanchez, Castrop. Salm. Bonac. Elbel, Valentia, Vasquez, Salas, Henriq. Coninch, Guttier, etc. cum enim hujusmodi potestas non industriæ personali, sed Episcopali officio sit annexa, ipsa jam reputatur ordinaria; et ideo rectè potest delegari, ut notavimus n. 34. Et tantò magis idem dicendum de omnibus aliis facultatibus, quas habent Episcopi circa publicationes et impedimenta impediencia. Advertendum tamen, quòd hanc facultatem dispensandi non habent Vicarii Episcoporum sine eorundem speciali commissione; diximus enim n. 31. quòd in generali commissione Vicariatùs non committitur facultas illa quam habent Episcopi, dispensandi in hujusmodi casibus, ob præsumptam Pontificis voluntatem. Vid. Lib. 6. n. 613 et fusiùs n. 1125.

59. — VII. Episcopus dispensare potest in Interstitiis à Tridentino præscriptis quoad ordinationem Clericorum. Et I. quoad Ordines Minores, Concilium remittit prudentiæ Episcopi hujusmodi dispensationem, dicens: « Minores Ordines per temporum interstitia, nisi aliud Episcopo expedire videretur, conferantur. » Sess. 23. c. 11. Quare etiam inter Ordines Minores (per se loquendo) debet aliquid temporis intercedere, scilicet vel ab una generali Ordinatione ad aliam, ut quidam asserunt, vel ab uno die festivo ad alium, ut quidam alii affirmant. Cæterùm ut dispensetur in hujusmodi Interstitiis, quævis sufficit causa, ut plurimi DD. docent. Inter primam verò Tonsuram, et Ordines Minores probabiliùs nullum requiritur intervallum, quia probabiliùs prima Tonsura non est Ordo. II. Quoad Subdiaconatum, Concilium requirit annum intervalli à susceptis Minoribus Ordinibus, sed subdit inde: « nisi necessitas, aut utilitas Ecclesiæ aliud requirat, cit. c. 11. » To *Ecclesiæ* intelligendum de Ecclesia cui Clericus est adscriptus, ut constat ex c. 13. III. A Subdiaconatu ad Diaconatum etiam annus requiritur; sed in hoc potest Episcopus ex quacumque rationabili causa dispensare; inquit enim Concilium: *Nisi aliud Episcopo videretur*. Sess. 23. c. 13. IV. Tandem à Diaconatu ad Sacerdotium annus item requiritur, sed magis rigorosè. Exigit enim Concilium non modò Ecclesiæ utilitatem, sed etiam necessitatem, dicens: « Ad minùs annus integrum, nisi ob Ecclesiæ utilitatem, ac necessitatem aliud Episcopo videretur. » Vid. Lib. 6. n. 795.

60. — VIII. Episcopus potest etiam dispensare ad celebrandum in alio Altari, aut Ecclesia non destinata à Fundatore, quando adest aliqua justa causa: e. g. si hoc ad ejusdem Ecclesiæ utilitatem redundaret: aut si Capellanus morbo detineretur, aut studiis operam daret, vel aliis negotiis; aut si sine magna molestia ad Ecclesiam destinatam se conferre nequiret, aut ex similibus aliis rationabilibus causis; ita communiter asserunt Castrop. Concina, La-Croix, Salm. Barbosa, Roncagl. Passerinus, Henriq. Tamburin. Mazzotta, alique; tunc enim Episcopus (ut rectè potest, juxta ea quæ dicemus n. 68.) Fundatoris volun-

tatem interpretatur. Meritò tamen excipit La-Croix cum Pasqualigo, si Fundator Ecclesiam designasset, et horam, ob commodum speciale familiæ, vel Populi, vel ad cultum alicujus Sancti peculiarem. E contra de Lugo et Tourn. aiunt, quòd si Fundator nullum circa hoc finem habuerit, aut si finis jam cessaverit, Sacerdos alibi celebrans nonnisi venialiter peccat; imò excusatur ab omni culpa si celebret in Altari privilegiato, quia tunc redundat in majus bonum ejusdem Fundatoris. Vid. Lib. 6. n. 329.

61. — IX. Potest insuper Episcopus dispensare justis de causis tam secum, quàm cum aliis ad celebrandum post meridiem, ut dicunt Lugo, Wigandt, Navarrus, Castrop. Laym. Salm. etc. Lib. 6. n. 344. in fin.

62. — X. Olim ex Can. Missarum 11. de Consecr. Dist. 1. poterant etiam Episcopi celebrare vel per se, vel per alios Sacerdotes in quocumque loco etiam in privatis domibus. Sed postea à Tridentino Sess. 22. in Decr. de celebr. Missar. etc. vetitum fuit Episcopis celebrandi licentiam impertiri in aliis locis, præterquam in Oratoriis ab eisdem benedictis, et ad sacros usus destinatis, quæ censentur tanquam publica; unde ibidem potest quotidie celebrari. Hujusmodi Oratoria debent habere januam ad viam publicam; sed hoc non est intelligendum de illis, quæ in Regularium domibus sunt erecta, aut alicujus Communitatis; ut esset in Seminariis, Conservatoriis, Hospitalibus, vel in Carceribus, quæ non requirunt januam secus viam; et ritè potest in iis diebus solemnibus celebrari, quemadmodum S. C. declaravit. Idem dicendum de Oratoriis quæ habent Episcopi in suis Domibus etiam Campestribus extra proprias Dioceses l. 6. n. 357.

63. — Insuper Episcopi olim ex c. ult. de Privil. in 6. cùm à suis Diocesisibus essent absentes, poterant celebrare per se, vel per alios in quacumque Domo extra propriam habitationem. Sed Clemens XI. abstulit ipsis hujusmodi facultatem: Verùm Innocentius XIII. iterum illam restituit in sua Bulla: *Apostolici Ministerii*, sub die 4 Maii 1723, in qua dixit, quòd prohibitio non erat intelligenda de Domibus, in quibus morarentur Episcopi, « Occasione Visitationis, vel itineris; ut nec etiam quando Episcopi in casibus à jure permissis absentes moram faciunt in » aliena domo. » Atque hoc confirmatum fuit per aliam Bullam Benedicti XIII. Sed cùm hoc privilegium sit personale Episcopi, ideo advertit Tamburinus, alios Sacerdotes absentibus Episcopi non posse in dictis Domibus celebrare. Vid. Lib. 6. n. 358.

64. — Dubitatur utrùm Episcopus possit aliquando dispensare, ut celebretur in Oratoriis existentibus in Domibus privatis? Negat P. Mazzotta; sed communiter affirmant Suarez, Lugo, Castrop. Navarrus, Vasq. Coninchius, Salm. Holzman, Elbel, La-Croix, aliique complures; dummodo adsit aliqua rationabilis causa, et dummodo licentia non concedatur permanenter *per modum habitûs*, sed solùm *per modum actûs*, id est ob illam accidentalem causam. Dicuntque minimè obstare tam Decretum Tri-

dentini, quia per illud ablata fuit Episcopis potestas ipsis data (ut diximus n. 62.) impertiendi licentiam celebrandi per modum privilegii, et ad suum arbitrium, sed non dispensandi ex aliqua justa causa, quam Decretum Clem. XI. Illud enim est intelligendum juxta Decreta Pauli V. et Urbani VIII, quibus prohibentur Episcopi dispensare per modum habitus, præter casum alicujus necessitatis transitoriae, ut infirmitatis etc. Istud tamen aliqui admittunt tantum pro quibusdam vicibus intra annum; sed Pasqualibus, et Gallemart in Trid. Sess. 22. Decret. de Celebrat. Missar. n. 6. (neque dissentiant Holzman, et Elbel) dicunt indefinitè posse concedi quousque illa accidentaliter causa perduret; et meritò, nam prohibitio (quæ semper strictè est intelligenda) cum respiciat tantum dispensationes permanentes per modum habitus, non debet extendi ad illas, quæ conceduntur ad tempus per modum actus ratione alicujus causæ transeuntis. Sed vide de hoc, quæ fusiùs dicta sunt. l. 6. n. 35g.

65. — XI. In cap. fin. de Pœnit. et Remiss. legitur concessum Episcopis extra propriam Diocesim commorantibus, Prælatisque minoribus exemptis (quo nomine veniunt Abbates, et Superiores locales, et etiam Prælati Romanæ Curiae, ut Protonotarii Auditores Rotæ etc., ut dicunt Suarez, Lugo, Diana etc.) posse sibi eligere Confessarium, sine aliqua Ordinarii illius licentia. Sed S. C. declaravit (quod confirmatum est à Gregorii XIII. apud Fagnanum) hoc intelligendum esse, quòd valeant sibi eligere aliquem Sacerdotem sibi subditum, vel aliquem non subditum, sed à proprio Ordinario approbatum, id est ab Ordinario Domicilii ejusdem Sacerdotis, ut explicat Lugo. Vide Lib. 6. numero 565, v. *Dubitatur hæc* 1. Eodem privilegio gaudent Cardinales, sed non alibi nisi Romæ, ut inquit Fagnanus: et valent eligere in Confessarium quemlibet Sacerdotem tam pro se, quam pro sua familia, quam possunt etiam extra Romam perducere; quod etiam Episcopis est concessum. Ib. vers. *Dub.* 2.

66. — XII. Episcopi sunt Delegati Sedis Ap. ad tuendam Clausuram Monasteriorum Monialium etiam exemptarum, earumque quæ Regularibus sunt subjectæ. Ex hoc inferunt De Alexand. Bautrius, Clericatus, Pellizar. etc. (contra Dianam, et Pasqual.) quòd quidem possunt Episcopi reservare sibi casus circa Clausuram, atque ita declaravit S. C. Concilii die 16 Novemb. 1620. Quod est intelligendum etiam respectu Jesuitarum etc.

67. — Omnes Confessarii Monialium etiam exemptarum debent ab Episcopo approbari, ut præscripsit Gregorius XV. in Bulla *Inscrutabili*, quam confirmavit in omnibus Clem. X. cum alia Bulla *Inscrutabili* 7. Benedictus XIII. et nuper Clem. XII. qui in omnibus Gregorii Bullam innovavit (de qua infra n. 80.) etiam quoad ea, quæ Benedictus XIII. contra Gregorii Bullam concesserat. l. 6. n. 577. Et ideo ait Tamburinus, etiam Moniales exemptas incurrere casus ab Episcopo reservados; quia sicut ille in approbatione limitare potest tempus, et personas, ita etiam Casus Sed alii communius, et probabilius (Pelliz. Quintanad.

et de Alexand.) id negant, quia Moniales exemptæ sunt extra jurisdictionem Episcopi; et approbatio Confessarii respicit tantum ejusdem idoneitatem; tantò magis, quia in Bulla Clem. X. *Superna*, dicitur, Episcopum posse limitare tempus, locum, et personas; et nulla fit mentio Casuum. Vide Lib. 6. n. 602. *Quæst. VI.* Verùm hoc non currit quoad Clausuram, circa quam bene potest Episcopus tam casum, quàm censuram sibi reservare; juxta quæ dicemus n. 80. Insuper advertendum est, quòd per Bullam *Pastoralis*, Bened. XIV. potest Episcopus assignare Confessarium extraordinarium Monialibus exemptis, si illarum Prælati Regularis illum concedere recusaret (qui esse debet alterius Ordinis, vel Sæcularis), et hoc non solum in morte, sed etiam in vita singulis annis. Vide Lib. 6. 576.

68. — XIII. Plures DD. asserunt, ut Angel. Sylvest. Armilla, Tabiena, aliique cum Croix (qui illis adhæret) posse Episcopum ex justa causa commutare pias Testatorum dispositiones, ex eo, quia ipsi habent dispensandi potestatem in lege quæ jubet impleri ultimas voluntates, quoties adsit justa causa; idque confirmant ex Trident. Sess. 22. c. 6. Sed nos negamus cum sententia probabiliori Mol. Laym. Sanch. etc., quia in c. Tua de Testam. et in c. 8. ejusdem Sess. 22. à Concilio jubentur Episcopi ad amussim exequi ultimas voluntates. Neque obstat quòd opponunt, et quòd legitur in eodem Cap. 8, quia ibi tantummodo committitur Episcopis, ut examinent causas, utrùm veræ sint, nec ne, quando ultimæ voluntates à Sede Apostolica commutantur. Tantò magis, quia in Clement. Quia contingit de Relig. dom. dicitur, bona in aliquem usum applicanda, non posse in alios nisi à Sede Apostolica applicari. Cæterum est valde probabile quòd dicunt Laym. Bonac. Salm. Coninch. et Trull. quòd, sive superveniat aliqua causa, sive testator ignoravit aliquam causam, quam si cognovisset, aliter disposuisset, tunc Episcopus potest opus commutare, sed unà cum hærede; quamvis si hæres contradicat, asserunt plures DD. posse id facere Episcopum illo contradicente. Vide plura de hoc Lib. 3. n. 931. *Quær. 2.*

69. — XIV. Dicunt insuper DD. ut Viva, Diana, Truyl. Busemb. aliique, posse ab Episcopo fieri compositionem incertarum restitutionum (illarum scilicet, quarum Dominus est incertus) quæ pauperibus sunt erogandæ; quoniam (ut ipsi dicunt) hujusmodi Compositio nulla Lege Pontifici reservatur; è contra ipsa est juxta præsumptam Creditorum voluntatem. Sed magis rationabiliter contradicunt Lugo, Molina, Turrianus, Corduba, aliique, quia talium bonorum administratio pertinet tantummodo ad Pontificem, vel ad Principem. Vid. Lib. 3. n. 591. v. *Notand.* Et re quidem vera hodiernus Pontif. Bened. XIV. in Bulla *Pastor bonus* (23 April. 1744.) hujusmodi facultatem S. Pœnitent. concessit. Vid. L. 7. n. 470. ad X.

70. — XV. Affirmant quoque La Croix. Tamb. et Pasq., posse ab Episcopo minui numerum Missarum à Testatore relictarum, quoties ob eleemosynæ parvitatem, qui Missas celebraret, non in-

veniretur. Sed hęc se opponit P. Concina, et quidem rationabiliter; nam Decretum S. C. emanatum jussu Urbani VIII. et confirmatum ab Inn. XII. prohibet districtè Episcopis reductionem, moderationem aut commutationem onerum Missarum impositorum in *Limine foundationis*, et post Trident.; volens quoad hoc omnino ad Sedem Apostolicam recursum haberi. Quare rectè ibidem declaratum fuit, quòd facultas concessa Episcopis, aliisque à Concilio Sess. 25. cap. 4. intelligenda est pro reductione Missarum relictarum ante Concilium. Cæterum, ait Fagn. cum Felino, quòd, si ab initio relictus essent sufficientes, et deinde taliter fuerint immuniti, ut nullo modo sufficiant, tunc non videtur ablata facultas, quam habent Episcopi de *jure communi* moderandi Missas juxta c. Nos quidem de Testam. Vide Lib. 6. num. 331. v. *Dub. 1.*

71. — Jam superiùs dictum est num. 53. posse probabiliter Episcopum dispensare in omnibus, in quibus dispensatio non est specialiter Pontifici reservata. Notandum hęc denique, posse ab Episcopo, juxta Trident. Sess. 21. c. 7. uniri. aut transferri ad aliam Ecclesiam Beneficia simplicia jam ad tenuitatem redacta, aut fundata in aliqua Ecclesia, quæ lapsu temporis jam corrui, adeo ut nequeat amplius reparari; vide Barb. de Pot. Ep. All. 66. ex n. 15. Insuper Episcopus potest unire Seminariis Beneficia simplicia etiam reservata, aut affecta, aut vacantia in Curia Romana: Trid. Sess. 23. c. 18. Insuper tempore Visitationis potest Episcopus cogere Parochianos ad necessaria Parocho subministranda. Trid. Sess. 21. c. 4. Potest etiam novas Parochias erigere, et de Matricis fructibus dotare, si hæc abundet, sed sine præjudicio Possessoris, Trid. eodem loco. Potest etiam duas Parochias unire, si divisæ nequeant singulæ suum Parochum sustentare; dummodo Populus non adeo distet, ut non sufficiat unius Parochi assistentia, ibid. c. 5.

CAPUT IV.

DE PRIVILEGIIS REGULARIUM.

De Privilegiis spectantibus ad omnes Regulares in communi.

- I. De Exemptione à jurisdictione Episcoporum. — 72. 73. et 74. Casus excepti, præcipuè circa celebrationem Missarum. — 75. Declaratio S. C. — 76. Quibus casibus possit Episcopus obligare Regulares etc. — 77. Utrùm Regulares teneantur præceptis Episcoporum. — 78. Utrùm Episcopus possit eos visitare. — 79. Utrùm visitare Clausuram Monialium. — 80. Utrùm petere rationem Missarum relictarum etc. — 81. Quibus casibus possit criminaliter procedere etc. — 82. et 83. II. De obligatione Decimarum. — 84. ad 87. III. Circa Foundationes. — 88. De Monasteriis Episcopo subjectis. 89. IV. De Jure Conservatore. — 90. De Sepultura. — 91. et 92. De Portione Canonica etc. 93. et 94.

et de Alexand.) id negant, quia Moniales exemptæ sunt extra jurisdictionem Episcopi; et approbatio Confessarii respicit tantum ejusdem idoneitatem; tantò magis, quia in Bulla Clem. X. *Suspensa*, dicitur, Episcopus posse limitare tempus, locum, et personas; et nulla fit mentio Casuum. Vide Lib. 6. n. 602. *Quæst. VI.* Verùm hoc non currit quoad Clausuram, circa quam bene potest Episcopus tam casum, quàm censuram sibi reservare; juxta quæ dicemus n. 80. Insuper advertendum est, quòd per Bullam *Pastoralis*, Bened. XIV. potest Episcopus assignare Confessarium extraordinarium Monialibus exemptis, si illarum Prælati Regularis illum concedere recusaret (qui esse debet alterius Ordinis, vel Sæcularis), et hoc non solum in morte, sed etiam in vita singulis annis. Vide Lib. 6. 576.

68. — XIII. Plures DD. asserunt, ut Angel. Sylvest. Armilla, Tabiena, aliique cum Croix (qui illis adhæret) posse Episcopum ex justa causa commutare pias Testatorum dispositiones, ex eo, quia ipsi habent dispensandi potestatem in lege quæ jubet impleri ultimas voluntates, quoties adsit justa causa; idque confirmant ex Trident. Sess. 22. c. 6. Sed nos negamus cum sententia probabiliori Mol. Laym. Sanch. etc., quia in c. Tua de Testam. et in c. 8. ejusdem Sess. 22. à Concilio jubentur Episcopi ad amussim exequi ultimas voluntates. Neque obstat quod opponunt, et quod legitur in eodem Cap. 8, quia ibi tantummodo committitur Episcopis, ut examinent causas, utrùm veræ sint, nec ne, quando ultimæ voluntates à Sede Apostolica commutantur. Tantò magis, quia in Clement. Quia contingit de Relig. dom. dicitur, bona in aliquem usum applicanda, non posse in alios nisi à Sede Apostolica applicari. Cæterùm est valde probabile quod dicunt Laym. Bonac. Salm. Coninch. et Trull. quòd, sive superveniat aliqua causa, sive testator ignoravit aliquam causam, quam si cognovisset, aliter disposuisset, tunc Episcopus potest opus commutare, sed unà cum hærede; quamvis si hæres contradicat, asserant plures DD. posse id facere Episcopum illo contradicente. Vide plura de hoc Lib. 3. n. 931. *Quær. 2.*

69. — XIV. Dicunt insuper DD. ut Viva, Diana, Truyl. Busemb. aliique, posse ab Episcopo fieri compositionem incertarum restitutionum (illarum scilicet, quarum Dominus est incertus) quæ pauperibus sunt erogandæ; quoniam (ut ipsi dicunt) hujusmodi Compositio nulla Lege Pontifici reservatur; è contra ipsa est juxta præsumptam Creditorum voluntatem. Sed magis rationabiliter contradicunt Lugo, Molina, Turrianus, Corduba, aliique, quia talium bonorum administratio pertinet tantummodo ad Pontificem, vel ad Principem. Vid. Lib. 3. n. 591. v. *Notand.* Et re quidem vera hodiernus Pontif. Bened. XIV. in Bulla *Pastor bonus* (23 April. 1744.) hujusmodi facultatem S. Pœnitent. concessit. Vid. L. 7. n. 470. ad X.

70. — XV. Affirmant quoque La Croix. Tamb. et Pasq., posse ab Episcopo minui numerum Missarum à Testatore relictarum, quoties ob eleemosynæ parvitatem, qui Missas celebraret, non in-

veniretur. Sed hęc se opponit P. Concina, et quidem rationabiliter; nam Decretum S. C. emanatum jussu Urbani VIII. et confirmatum ab Inn. XII. prohibet districtè Episcopis reductionem, moderationem aut commutationem onerum Missarum impositorum in *Limine foundationis*, et post Trident.; volens quoad hoc omnino ad Sedem Apostolicam recursum haberi. Quare rectè ibidem declaratum fuit, quòd facultas concessa Episcopis, aliisque à Concilio Sess. 25. cap. 4. intelligenda est pro reductione Missarum relictarum ante Concilium. Cæterùm, ait Fagn. cum Felino, quòd, si ab initio reditus essent sufficientes, et deinde taliter fuerint immuniti, ut nullo modo sufficiant, tunc non videtur ablata facultas, quam habent Episcopi de *jure communi* moderandi Missas juxta c. Nos quidem de Testam. Vide Lib. 6. num. 33r. v. *Dub. 1.*

71. — Jam superius dictum est num. 53. posse probabiliter Episcopum dispensare in omnibus, in quibus dispensatio non est specialiter Pontifici reservata. Notandum hęc denique, posse ab Episcopo, juxta Trident. Sess. 21. c. 7. uniri. aut transferri ad aliam Ecclesiam Beneficia simplicia jam ad tenuitatem redacta, aut fundata in aliqua Ecclesia, quæ lapsu temporis jam corrui, adeo ut nequeat amplius reparari; vide Barb. de Pot. Ep. All. 66. ex n. 15. Insuper Episcopus potest unire Seminariis Beneficia simplicia etiam reservata, aut affecta, aut vacantia in Curia Romana: Trid. Sess. 23. c. 18. Insuper tempore Visitationis potest Episcopus cogere Parochianos ad necessaria Parocho subministranda. Trid. Sess. 21. c. 4. Potest etiam novas Parochias erigere, et de Matricis fructibus dotare, si hæc abundet, sed sine præjudicio Possessoris, Trid. eodem loco. Potest etiam duas Parochias unire, si divisæ nequeant singulæ suum Parochum sustentare; dummodo Populus non adeo distet, ut non sufficiat unius Parochi assistentia, ibid. c. 5.

CAPUT IV.

DE PRIVILEGIIS REGULARIUM.

De Privilegiis spectantibus ad omnes Regulares in communi.

- I. De Exemptione à jurisdictione Episcoporum. — 72. 73. et 74. Casus excepti, præcipuè circa celebrationem Missarum. — 75. Declaratio S. C. — 76. Quibus casibus possit Episcopus obligare Regulares etc. — 77. Utrùm Regulares teneantur præceptis Episcoporum. — 78. Utrùm Episcopus possit eos visitare. — 79. Utrùm visitare Clausuram Monialium. — 80. Utrùm petere rationem Missarum relictarum etc. — 81. Quibus casibus possit criminaliter procedere etc. — 82. et 83. II. De obligatione Decimarum. — 84. ad 87. III. Circa Foundationes. — 88. De Monasteriis Episcopo subjectis. 89. IV. De Judice Conservatore. — 90. De Sepultura. — 91. et 92. De Portione Canonica etc. 93. et 94.

72. — I. Regulares habent privilegium exemptionis a jurisdictione Episcoporum, nam Prælati Regulares habent in suis Ecclesiis et Monasteriis jurisdictionem quasi Episcopalem, tam quoad personas, quam loca, sicut probant Salm., qui agunt fusiùs de omnibus privilegiis prædictis in hoc puncto, sed nos solum denotabimus hæc res magis principales. Salm. tr. 18. c. 3. n. 3.

73. — Itaque quoad prædictam exemptionem annotandum primò, quòd in dubio alicujus Privilegii, decisio spectat ad Summum Pontificem, quemadmodum declaratum fuit à Clemente IV., et ab aliis Pontificibus. Salm. ib. n. 6. Adnotandum secundò, quòd huic Privilegio exemptionis Regulares cedere non possunt, sicuti habetur ex cap. Cum tempore de arbitris, quia id redundaret in damnum Religionis. Quare nulla consuetudo in contrarium potest in hoc prævalere. Salm. ib. n. 7.

74. — Notandum tertio, hoc privilegio gaudere non solum Professos, et Conversos, sed etiam Novitios, qui in favorabilibus veniunt sub nomine Religiosorum, et etiam Tertiarios, et Beatos, sicut dictum est n. 8. Servi etiam Regularium, qui actu famulantur, et resident intra claustra Monasteriorum, et vivunt sub obedientia, juxta Tridentinum Sess. 24. c. 11. eximuntur à jurisdictione Episcoporum, tam quoad censuras (juxta Bullam Alexandri IV. apud Salm.) quam etiam quoad Communionem Paschalem. Vide Salm. c. 3. n. 8. et vide Lib. 6. n. 240. in fin. Notandum quartò, quòd Apostatæ, et fugitivi possunt capi ab Episcopis; sed solummodo, ut, consignentur suis Superioribus. Episcopus solum eos posset punire in casu, quo eorum Monasteria essent in longinquo posita, et ab ipsis moniti nolent regredi juxta Trident. Sess. 7. c. 3. Salm. c. 3. n. 8. Vide alia, quæ de hac re dicuntur n. 82 et 83. Notandum quinto, quòd Sæculares in Monasteriis existentes, si ibi patrent aliquod delictum, non incurrunt pœnas ab Episcopo impositas. Salm. ibid. n. 9. et Tract. 10. de Cens. c. 5. num. 113. cum Laym. Avila, Peirin. Garcia, et aliis pluribus. Excipiatur, si contravenirent Ordinationibus Episcopi circa Missarum Celebrationem, sicut dicitur in fine sequentis numeri.

75. — Sextò adnotantur è contrario multa hoc in loco, in quibus Regulares non eximuntur ab Episcoporum jurisdictione. Et primò sine Episcoporum licentia nequeunt Regulares ædificare Monasteria, juxta Bullam Urbani VIII. die 28 Aug. 1624. Et animadvertatur, quòd in Bulla Greg. XV. Aliàs prohibetur Episcopis dare hanc licentiam, si in Monasterio nequeant ali redditibus, aut eleemosynis saltem duodecim Religiosi, sed hoc intelligitur quoad Hospitia, ut dicunt Barb. Peirin. et cæteri. Secundò, Regulares non possunt in lucem libros edere sine Episcopi licentia, ut ex Tridentino Sess. 4. Decret. de Edit. librorum. Salmanticens. cap. 3. num. 10 et 11. 3. Episcopus potest cogere Religiosos ad restituendum Novitiis, qui nolunt professionem emitte, totum id, quod attulerunt in ingressu. Vide Salmanticens. tract. 15. c. 3. p. 7. 4. Dispositio faciendà à Novitio, non

ante duos menses, quàm profiteatur, fieri non potest (juxta Tridentinum Sess. 25. c. 16.) absque licentia Episcopi, aut Vicarii.

5. Episcopus habet potestatem cognoscendi simul cum Superiori de Religiosi causa nullitatis Professionis. Salm. ibid. c. 5. n. 15.

6. Episcopus, aut alius ab eo deputatus debet scrutari voluntatem Virginum, quando ingrediuntur, aut profitentur in Monasteriis ex Tridentino Sess. 23. c. 7. Sed id debet efficere infra quindecim dierum spatium, aliter non potest huic rei se amplius ingerere.

7. Episcopus potest prohibere, ne in Monasteria Monialium, etiam exemptarum, suscipiantur ultra numerum earum, quæ possint inibi ali juxta redituum facultatem, sicuti statutum fuit in Bulla S. Pii V. Salm. Tr. 18. c. 3. n. 14.

8. Episcopus potest cogere Monachos, qui permanenter degunt extra Monasteriorum claustra, propter debita ab ipsis contracta cum pauperibus Personis, ut sunt pupilli, viduæ, etc. Salm. ibid. n. 15.

9. Episcopus potest adstringere Religiosos, ut Processionibus intersint; juxta Tridentinum Sess. 25. c. 13, dummodo eos vocet non per publicum Edictum, sed medio aliquo nuntio personaliter. Salm. dict. c. 3. n. 16 et 17.

10. Episcopus habet jurisdictionem supra Monasteria, in quibus non possunt alii Religiosi, ut dicitur n. 88. Deinde excipiuntur Episcoporum Ordinationes circa Missarum celebrationes: Etenim quoad hoc statuit Tridentinum Sess. 22. de Observ. in Celebr., ut Episcopi se gerant velut Delegatos Apostolicos, dicens: « Ut non solum ea ipsa, sed quæcumque alia huc » pertinere visa fuerint, ipsi ut Delegati Sedis Apostolicæ prohi-beant, mandent etc. atque ad ea inviolate servanda censuris, » aliisque pœnis Fidelem Populum compellant: non obstantibus » privilegiis, exemptionibus, ac consuetudinibus quibuscumque. »

Item hæc notandum quòd adest Respons. S. C. ad Episc. Nebiens. 7 Februar. 1632, (l. 14. Decret. p. 571. à tergo) ubi generaliter loquendo dictum fuit: « In his, in quibus à jure communi, à S. » Concilio Tridentino, à Constit. Apostolicis tributa est Episcopo jurisdictione in Regulares, potest illos etiam per censuras » Ecclesiasticas compellere. » Et idem decisum fuit die 4 Junii 1672. (lib. 27. Decret. pag. 406.) Quare, sicut bene advertit Benedictus XIV. Synod. L. 9. c. 15. n. 5. Episcopi quoad celebrandas Missas possunt adigere omnes, quamvis Regulares, ad observanda non solum ea, quæ statuuntur à Concilio, sed etiam quæ statuuntur à se ipsis. Quare rectè Eminentissimus Cardinalis Spinelli, cum esset Archiepiscopus Neapolis, die quinta Januar. 1743 præcepit sub pœna suspensionis à Divinis, etiam Regularibus, ne admitterent ad celebrandum in suis Ecclesiis aliquem Sacerdotem advenam sine licentia Ordinarii.

76. — Adnotantur alia, quæ declarata fuere à S. C. in Decreto die secunda Julii 1520. Et 1. Regulares possunt recipere, quæ à Devotis offeruntur, sed non mendicando per Ecclesiam. 2. Non possunt uti Pallio, aut Pluviali per parochiam extra earum ecclesias, aut earum recinctum; neque possunt facere Processiones, dummodo non habeant pro se consuetudinem in contra-

rium, ut dicunt Rodriq. Bordon. et Villalobos. Vid. Salm. Tr. 18. cap. 8. n. 18 et 19. 3. Vocati ad funeralia debent ire ad Ecclesiam, ubi manet Clerus jam coactus; sed in hoc dicunt Salm. cum Lezana, esse consuetudinem in contrarium. Cit. n. 19. 4. Non potest vetari Regularibus, ne celebrent Missam in suis Ecclesiis ante Missam Parochialem, et non pulsent Campanas, uti declaravit S. Pius V. in Constit. *Etsi Mendicantium* §. 2. 5. Regulares nequeunt publicare Matrimonia. 6. Possunt ipsi concionari in suis Ecclesiis, tempore Adventûs, et Quadragesimæ, quamvis in Parochia sermocinentur. Vid. apud. Salm. c. 3. n. 19.

77. -- In tribus Casibus potest Episcopus cogere Regulares ad obediendum, etiam adhibitis censuris: primus est, ad restituendas res Novitiis, ut dictum est, juxta Trident. sess. 25. c. 16. 2. ad observandam Clausuram, loquendo de Monialibus Trid. ibid. c. 5. 3. ad observandum totum id, quod ab Episcopo statutum est quoad Missarum celebrationem, ut dictum est n. 75. Et circa id refert Bened. XIV. De Synodo l. 9. c. 15. n. 5. duo Decreta S. C. Concilii, in quibus dictum fuit, quod Episcopi ut Delegati Apostolici possint etiam censuris cogere Religiosos, et procedere adversus eosdem, si admittant ad celebrandum in suis Ecclesiis advenas sine Episcopi licentia, juxta Trident. sess. 22. Decr. de Observ. in Cel., ubi præceptum fuit, præsertim Episcopis: « Interdicant ne cui vago, vel ignoto Sacerdoti Missas celebrari liceat. » An deinde in aliis casibus supracitatis possit Episcopus cogere censura Regulares; Affirmant Barbosa, Garzia, et alii, sed communiùs negant Sanch. Lezana et Salm. cum aliis, propter multa privilegia Papalia, quæ hac de re afferunt, et addunt cum Barbosa, Diana, Lezana (contra alios) quod Episcopus ne denunciare quidem potest Regulares excommunicatos, etiam ob publicum delictum. Salm. c. 3. n. 4. per totum.

78. -- Quæritur primò, utrùm Regulares obligentur Decretis Synodorum Provincialium, aut Diocesanarum, aut aliis Episcopi præceptis? Certum est, Regulares non teneri interesse dictis Synodis, dummodo non sint Parochi, sicut habetur ex Trid. sess. 24. c. 2. ex pluribus Decretis S. C. Deinde quoad quæsitum, Vasquez, Sanch. Becanus, aliique dicunt, obligari ad eorum omnium observantiam, quæ non præjudicant observantiæ Regulari: sed non intelligitur quoad vim coactivam, ita ut contraveniendo non incurrant aliquam pœnam, sed solummodo quoad vim directivam, id est ut se conforment Reipublicæ, cujus sunt partes. Alii tamen, ut Suarezius, Lezana, Salmanticenses, etc. id negant (dummodo hoc necessarium non sit ad evitandum scandalum, aut casus non esset, in quo Religiosus aliquis haberet aliquod munus dependens ab Episcopo, ut munus Parochi, Confessoris, Concionatoris, etc.) Et id probant ex c. 1. de Privil. in 6. ubi dicitur, Regulares eximi à præceptis Episcoporum, exceptis casibus in jure expressis. Rationem deinde Adversariorum dicunt valere, quando partes sunt homogeneæ, non autem, si sunt heterogeneæ, ut sunt Religiosi, qui non perinde ac sæculares

multa alia onera particularia habent. Cæterum in duobus ulla sine hæsitatione ipsi obligantur ad obediendum, ut dicunt in Trid. sess. 25. cap. 12. I. quoad observantiam interdicti positi ab Episcopo semper ac observatur ab Ecclesia Matrice. II. quoad observanda Festa ab Episcopo statuta. Vid. Salm. tract. 18. c. 3. §. 4. per totum. Præter ordinationes circa Missarum celebrationem, ut dictum est superius. n. 75. circa finem. Præterea notetur, Episcopum posse Regularibus interdicare auditum Confessionum in propriis ædibus, sive cellis, juxta Decretum S. C. emanatum anno 1617. 15 Septembr. et videri potest apud P. Ferraris. Potest etiam vetare omnibus Confessariis audientiam Confessionum Mulierum, aut Puellarum extra Confessionale sub pœna suspensionis ab audiendis Confessionibus ex Decreto Congr. 18 Decemb. 1694. apud eundem Ferraris.

79.— Quæritur succundò, utrùm Episcopi possint visitare Personas, et Monasteria Regularium? Communiter loquendo, certum est ex c. Nulli, 16. quæst. 1, et ex Tridentino sess. 25. c. 8. exemptas esse à Visitatione Episcopi, tam Personas, quàm Monasteria, et Ecclesiam Regularium (dummodo in illis degant duodecim Religiosi. Vide num. 88.) Et juxta plures Declarationes Sacræ Congregationis etiam Ecclesias Parochiales Sæcularium, quæ subduntur Regularibus, et ubi Parochus est Religiosus; qui, si delinqueret etiam circa suum officium, non posset ab Episcopo puniri. Sed hoc non obstante nunc præter Bullam Gregor. XV. *Inscrutabili*, à Benedict. XIV. declaratum atque definitum est in Bulla *Cum nuper* 51. ann. 1751. hujusmodi subiectos esse Episcopo « an his quæ vel ad ipsum spectant exercitium » curæ animarum, vel etiam eorum vitam, et mores pertinent.» Sed fusiùs idem Bened. XIV. de hac re agit in quadam Bulla peculiari *Firmandis*, edita die 6 Nov. 1744. ubi plura statuit. 1. Quòd Parochi Regulares omnimode subsunt jurisdictioni, et correctioni, et visitationi Episcopi; in iis, quæ concernunt curam animarum, et proprios mores. 2. Quoad visitationem localem possunt visitare Altare, in quo SS. Eucharistiæ Sacramentum asservatur, Sacrum Tabernaculum, Fontem Baptistalem, Confessionale, in quo residet Parochus, Pulpitum, è quo Parochus concionatur, Sacrarium ad inspiciendam sacram suppellectilem, Sepulchrum Parochianorum, eorumque Cœmeterium, Turrim Campanariam, si adsint ibi Campanæ Parochiales, omnia sacra Vasa. 3. Quoad personalem, debent scrutari vitam ac mores Curati, quatenus ea quæ extra Claustrum prodierint; item examinare, an titulo legitimo eam curam exerceat, an resideat, an ad Synodum vocatus iverit, an Conferentias casuum conscientiæ habeat frequenter, an onera curæ adimpleverit, an Missam pro Populo applicaverit, an festis diebus concionatus fuerit etc. an vacet confessionibus audiendis, an ægrotantibus assistentiam præstiterit, an de Matrimonii impedimentis inquisiverit, et an Sponsi in rebus Fidei sint edocti, et an rectè ordinatos habeat

libros Parochiales. 4. Quòd licèt Superiores Regulares non possint deputare aliquem ad curam sine Episcopi approbatione, possunt tamen eum remove, illo inscio, et ita pariter Episcopus potest cura illum privare sine consensu Superioris, si id justa causa expostulet, etc. Potest etiam visitare Ecclesias etiam annexas, et subditas Monasteriis, si earum administratio sit penes Parochos sæculares, prout pluries declaravit S. C. apud Bellarminum, et Barbosam. Excipe, si incorporatæ essent Monasteriis aut nullius essent Diocesis. Possunt præterea Episcopi visitare Confraternitates Sæcularium fundatas in Monasteriis, sed dumtaxat quoad administrationem bonorum, non quoad Altaria, ut ex Trid. sess. 25. c. 20. et ex pluribus Decretis Sacræ Congreg. Excipiuntur insuper illæ, quorum Præfectus est Religiosus ex privilegio Greg. XIII, cui nulla contraria consuetudo potest obstare. Salm. Tr. 18. c. 3. n. 31 ad 36.

80. — Quæritur tertio, utrùm Episcopi possint visitare Claustra Monialium exemptarum? Negant Salm. cum Nav. Sanch. Bonac. Pelliz. etc. ex cap. Periculoso, de statu Monac. in 6. ubi cura Christi Monialium exemptarum manifestè conceditur Superioribus Regularibus. Neque obstat (ut aiunt) Trid. sess. 25. c. 5., ex quo contendunt Patroni adversæ sententiæ, Episcopos esse Delegatos Apostolicos quoad Claustrum Monialium exemptarum, cum ibi statuatur, ut ipsi curent, ut restituatur aut conservetur Claustrum « omnibus Monasteriis sibi subjectis » ordinaria, in aliis verò Sedis Apostolicæ auctoritate. » Etenim respondent, quòd sub *in aliis* etc. non intelligantur Monasteria Regularibus subjecta, sed subjecta immediatè Pontifici, quod asserunt declaratum fuisse per Pium V. sua Bulla *Circa Pastoralis*; eò magis, quia Concilium in loco prædicto renovat, non revocat citatum textum *Periculoso*. His non obstantibus contraria sententia amplectenda est cum Barbosa, Gavanto, Lezana etc.; quia licèt non obstaret Tridentinum, nihilominus obstat equidem Bulla Gregorii XV. *Inscrutabilis* anni 1622, in qua dictum fuit. 1. Ut Regulares nequeant destinare alium ad audiendas Monialium Confessiones, præter eum, qui fuerit approbatus ab Ordinario (et in hoc animadvertendum est, quod præterea statuit Benedictus XIV. in Bulla *Pastoralis* die 5 Augusti 1748, confirmans Bullam, *Apostolici Ministerii*, Benedicti XIII.; quòd scilicet, si Regularis Superior negligeret assignare saltem semel in anno Confessarium extraordinarium, aut sæcularem, aut alterius Ordinis, quemadmodum Pontifex præcipit, possit illum assignare Diocesis Episcopus). 2. Statuit Gregor. XV. ut Administratores Monasteriorum dictarum Monialium debeant rationem reddere Episcopo administrationis bonorum. 3. ut Episcopus valeat remove Confessarium, aut alium Administratorem Monasterii, si Superior monitus illum non removet. 4. ut Episcopus præsidere possit electioni Abbatis. Ac quinto specialiter fuit statutum, ut Episcopus possit corrigere, et punire, veluti Delegatus Apostolicæ Sedis, eos omnes, qui aliquid ad-

mittunt adversum Claustum Monialium, etiam exemptarum. Placet hic annotare verba Bullæ. « Tam Sæculares, quam Regulares nullis privilegiis tueri se possint, quominus, si deliquerint circa personas intra septa degentes, aut circa Clausum Monialium, etiam Regularibus subjectarum, ab Episcopo, tanquam ad hoc Sedis Apostolicæ Delegato, puniri, et corrigi valeant. » Vid. Barbosam de pot. Episc. All. 102. n. 7. et Salm. c. 3. n. 37. ad 30. Et ibidem refert Barbosa Decretum quoddam Sacræ Congregationis, ubi statuitur, quod nullimode possint impediri Episcopi, quin visitent Monasteria exempta, et Regularibus subjecta quoad observantiam Clausuræ, et qui præsumit impedire, post tertiam monitionem incurrat excommunicationem ipso facto ex Clem. *Attendentes*, de statu Mon. Vid. de Alex. de Monial. c. 6. n. 4. qu. 3. Præterea hoc in loco adnotandum est, quod Clem. X. et Clemens. XII. præceperunt, ut observaretur Bulla Gregorii XV. *non obstante quacumque contraria Consuetudine*.

81. — Quæritur 4. Utrùm Episcopi exigere queant à Regularibus rationem Hæreditatis relicte cum onere Missarum, aut Legatorum satisfaciendorum sæcularibus? Videntur posse, ex eo, quod eruitur ex Tridentino Sess. 22. c. 8. ubi præbetur Episcopis potestas visitandi omnia Legata pia, *non obstante quocumque privilegio in contrarium*. Et dicunt Salm., quod ex hoc rectè sententia ista redderetur probabilis. Sed ipsi deinde id negant ob multa privilegia Regularibus concessa, præsertim per Pium V., in quibus declarantur exempta Religiosorum bona à quacumque Episcopi jurisdictione, non obstantibus quibuscumque Constitutionibus Apostolicis, et Conciliis. Salm. Tract. 18. c. 3. n. 40, ad 42.

82. — Quæritur 5. Utrùm Episcopus in aliqua causa possit procedere criminaliter contra Regulares? Dictum est Regulares exemptos esse ab Episcoporum jurisdictione, præterquam in casibus in jure expressis. Præter id, quod spectat ad Missarum celebrationem, et Clausuram Monialium; in duobus aliis casibus possunt ex Tridentino Episcopi contra eos procedere. 1. Si Regularis aliquis patret delictum, degendo extra Monasterium, Trid. sess. 6. c. 3. Sed hoc intelligitur eorum respectu, qui permanenter extra Monasterium habitant, non verò quoad illum Religiosum, qui extra maneret causa Confessionum excipiendarum, aut Concionandi, aut alterius negotii ad tempus; aut incoheret Pagum, aut locum alium dependentem à Monasterio ob negotia Religionis. Sed hic oritur dubitatio, utrùm possit Episcopus punire illum delinquentem, qui inhabitaret alium locum ad longum tempus ex licentia sui Superioris? Alii affirmant, veluti Tamburin. Barb. Lez. etc. pluribus innixi declarationibus Sacræ Congregationis. Alii, quemadmodum Salm. cum Sanch. Silvestr. Peirino, Bordonio, etc. negant ex Cap. Ex Rescripto, de jurejur. ubi dicitur, quod qui manet extra Monasterium ex licentia Superioris, judicetur in Monasterio manere. Quare aiunt, quod

tam Concilium, quàm prædictæ declarationes vigere intelligantur in eos, qui extra Monasterium morantur sine licentia, aut in loco adeo remoto ab eorum Superiore, ut puniri non possint, nisi post longissimum tempus. Salm. c. 3. n. 46 ad 48.

83. — Secundus casus est, cùm Religiosus, etiam degens in Monasterio, extra illud delinqueret cum publico Populi scandalo, et Superior eum non puniret. Trid. Sess. 25. c. 14. Et quia Superiores quidam transmittabant huiusmodi Delinquentes extra Diocesim, ut immunes essent à pœna, statuit Clem. VIII. Ann. 1596, in Bulla *Suscepti oneris*, ut in tali casu, instante Episcopo, Superior infra tempus ab Episcopo præscriptum revocare debeat delinquentem, et punire; aliàs possit eum castigare Episcopus loci, quo ipse transmissus est: Salm. Tract. 18. c. 3. n. 46. ad 48. Adnotant deinde Salm. cum aliis 1. ut huiusmodi Concilii Decretum vigere debeat cùm delictum est notorium etiam facti publicitate. 2. Ut non valeat adversus Superiores Delinquentes, qui in odiosis non includuntur sub nomine Regularium, quemadmodum ait Concilium. 3. Ut Episcopus procedere non possit, nisi postquam pluries monuerit Superiorem, ut delinquentem puniret, et ille neglexerit. Si tamen Episcopus Delinquentem in actuali delicto interciperet, potest illum capere (sicut dictum fuit), sed ut statim eum transmittat ad Superiorem; et quando crimen fuisset gravis scandali, potest etiam eundem retinere in Carcere, ut transmittat infra 25 saltem horarum spatium. Superior deinde præbere Episcopo debet sufficientia argumenta secutæ punitionis. Episcopus, licet capere possit summariam informationem, ut eam ad Superiorem transferat, non potest tamen juridicum efformare processum adversus reum; sed si fortè efformasset, probabile est eo Superiorem uti posse ad procedendum in suum Religiosum, ut aiunt Salm. cum aliis. Num. 50 et 51.

84. — Secundò, Regulares Privilegium habent exemptionis à contributione Decimarum. Arrepta occasione, opportunè hoc in loco adnotantur quædam circa Decimas. Decimæ dicuntur illa fructuum portio, aut industriarium personalium, quæ à Fidelibus tribuenda est Ecclesiæ Ministris pro eorum sustentatione. Revera Decimæ debentur ex jure Divino Naturali; sed quoad quantitatem, id est decimam partem, sunt ex jure Ecclesiastico, cùm cessaverit jus antiquum divinum, ut judiciale. Hinc fit 1. Pontificem posse quemlibet eximere ab onere Decimarum, Pontificem, inquam, non Episcopos: ipsi dumtaxat possunt ex Trid. Sess. 21. c. 5 et 7, applicare Decimas unius loci ad alium, et unire, ac separare Beneficia. Vid. Salm. Tr. 18. c. 3. n. 52 et 54. Inferitur 2. quòd consuetudo ritè potest aliquos eximere à solvendis Decimis, dummodo remaneat id, quod sufficit ad congruam Ecclesiasticor. sustentationem; sed huiusmodi consuetudo præscriptionem quadraginta annorum non interruptorum habere debet, licet ab initio nec titulus, nec bona fides interfuerint: ad præscriptionem deinde (accipiendo vocem prout sonat præscriptio, non ut consuetudo) necessaria sunt bona fides, et quadraginta anni cùm

titulo; sine titulo autem requiritur tempus immemorabile. Pro futuris Decimis fieri potest compositio; sed etiam solummodo à Pontifice, non ab Episcopo; nisi fieret inter unam, et aliam Ecclesiam. Dictum est pro futuris, quia præteritas remittere potest etiam ille, cui debentur. Salm. Tr. 18. c. 4. n. 55.

85. — Olim Decimæ debebantur, ut dictum est, tam ex fructibus bonorum, quàm ex Personarum industria. Sed juxta præsentem consuetudinem pene universalem solvuntur solùm ex fructibus bonorum tam stabilium, quàm mobiliùm juxta cap. Non est, de decim. Et debentur ex fructibus integris non deductis expensis, et oneribus contributionum, ut ait S. Th. 2. 2. qu. 87. art. 2. ad 4. et alii communiter ex c. Cùm non sit, de Decim. Salm. c. 3. n. 58.

86. — Decimæ præterea solvi debent ab omnibus Fidelibus, etiam à Principibus, sed non à pauperibus: Omnes tamen, nisi sint in extrema necessitate, sed solùm in gravi, si pervenirent ad meliorem fortunam, tenentur solvere præteritas Decimas, ut dicunt Suar. Laym. Castr. et alii, cum Salm. Ib. n. 59. De jure autem communi tam Clerici, quàm Religiosi, et etiam Parochi tenentur solvere Decimas suorum bonorum patrimonialium, licet assignata fuissent ad titulum Ordinationis, non autem bonorum beneficiorum, ut docet D. Th. l. c. a. 4. in corp. et ad 1. ex c. Si quis Laicus 16. qu. 1. Quoad eos verò, qui deficiunt à solvendis Decimis, hæc statuit Trid. Sess. 25. c. 12. « Qui decimas subtrahunt, vel impediunt, excommunicentur, neque ab illo crimine, nisi plena restitutione secuta, absolvantur. » Vid. Salm. n. 60 ad 62.

87. — Sed quidquid sit de jure antiquo, hodie ex multis privilegiis Pontificiis omnes Regulares, etiam Moniales, cujuscumque Ordinis (et etiam Equites Hierosolymitani) eximuntur à Decimis non solùm personalibus, sed etiam stabilium, tam propriorum (etsi colantur à colonis) quàm conductorum, ut Emphiteuticarum. Vide Salm. n. 82. ad 89. Notandum tamen quòd si transeant in dominium Regularium bona jam Decimis obnoxia, remanent ipsa ad idem onus subjecta, ex pluribus Decretis S. C. et Rotæ apud Pignat. t. 1. Cons. 355. et t. 8. Cons. num. 9.

88. — Tertiò. Olim Regularibus vetitum erat, ne nova ædificarent Monasteria, aut derelinquerent ædificata sine expressa licentia Summi Pontificis, Cap. 1. de Excess. Prælat. in 6. ex cap. un. de Relig. Dòm. in 6. Tractu deinde temporis obtinuerunt diversa privilegia; sed hæc omnia ann. 1624, limitata fuere ab Urbano VIII. in Bulla Romanus Pontifex, ubi statutum fuit, non posse acceptari nova Monasteria, nisi observata forma Canonum Tridentini, et Bullæ Clementis VIII. *Quoniam ad institutum.* Quare hodie ad fundandum novum Monasterium tria requiruntur. I. Licentia Episcopi. Utrùm verò requiratur etiam licentia Pontificis, alii affirmant, ut Barb. Tamb. Pelliz., ex declaratione S. C., negant verò Salm. cum Lez. Suar. Rodr. et alii. 2. Ut adsit consensus eorum, quorum interest, et præsertim omnium

Monasteriorum existentium intra quatuor miliariorum spatium, aliter Episcopus concedere non potest dictam licentiam, nisi quando illi injustè contradicerent. Salm. tr. 18. c. 8. n. 24, ad 131. Carmelitæ tamen Privilegium habent, ut alii Ordines fundare non possint, ubi ipsi habent Monasterium infra spatium 560 Ulnarum florentinarum et minores infra spatium 1200 Ulnarum etc. Contra Minimi, et Jesuitæ privilegium habent fundandi in locis etiam non remotis intra spatium 560 Ulnarum prædictarum. Et in omnibus his Privilegiis conceditur communicatio. At prædicta privilegia circa Ulnas juxta consuetudinem non intelliguntur quoad Monasteria, quæ fundantur in civitatibus. Vid. Salm. n. 137. ad 140. 3. Requiritur, ut novum Monasterium possit commodè reditibus, aut eleemosynis sustentare duodecim Religiosos; sufficit tamen, quòd adsit intra breve tempus probabilis spes prædictæ sufficientis sustentationis. Quòd si Monasterium (intelligitur de Monasteriis fundatis post citatam Bullam Urb. VIII. emanatam ann. 1624,) non valeret sustentare duodecim Religiosos, qui revera in illo non habitarent, statutum fuit per Sacram Congr. pluribus Decretis, confirmatis à Greg. XV. et Urb. VIII. ut hujusmodi Monasterium omnino subjectum esset Episcopo per hæc verba: « Ordinarii loci visitationi, correctioni, atque omnimodæ jurisdictioni talia Monasteria erecta absque eo, quòd 12 Fratres in eis valeant habitare, et de facto habitent, subjecta esse intelliguntur. » Salm. Tract. 18. c. 3. n. 129 et 130. Eædem conditiones requiruntur in fundandis Monialium Monasteriis. Et advertendum hîc quòd ex Tridentino, et Sac. Congr. prohibetur, ne fundentur Monialium Monasteria extra habitatum. Ibid. n. 134.

89. — Prædictæ conditiones non requiruntur in fundandis Hospitiis Religiosorum, ut notant Peyrinus, Tamb. etc. saltem (ut limitat Lezana) si ibi non recipiant Missas, et non habeant Ecclesiam. Ib. n. 132. Neque requiruntur in translationibus Monasteriorum, quæ possunt fundari (ut probant Salm. cum Navar. Barbos. Peyrino, Lezana etc.) sine consensu Pontificis, Episcopi, vel aliorum Monasteriorum, dummodo translatio non afferat eis præjudicium: Etenim dicunt, quòd jam antea habebant tale privilegium à pluribus Pontificibus concessum, et quòd illud limitatum est tantum quoad novas Fundationes, quales non vocantur translationes Monasteriorum ex uno situ ad alium commodiorem ejusdem Terræ (ut intelligitur), aut prope illam, derelinquendo antiquum Monasterium. Et in tali casu Religiosi retinent omnia bona, et jura Monasterii derelicti. Num. 133 ad 143. Possunt præterea Religiosi ex concessione Urb. VIII. et Innoc. VIII., quando deficerent reditus, et eleemosynæ unius Monasterii, illud unire, et incorporare alteri. Salm. c. 3. n. 150. Insuper possunt ad libitum redire ad Monasteria derelicta, dummodo reditus non afferrent aliquod novum præjudicium aliis Monasteriis. Num. 148. Possunt insuper Generales Religionum Superiores ex concessione Sixti IV. et ejusdem Urb. VIII. suppressere Monasteria miserrabilia, transferendo eorum bona ad majora Monasteria. Ad-

notetur hęc, quòd Monasteria concessa ab Universitatibus, cùm derelinquantur, in manus Ordinarii derelinqui debent, at si propriis redditibus, et elemosynis ædificata fuerint, remanent in dominio Religiosorum, ut de iis possint liberè disponere. Salm. num. 147.

90. — IV. Regulares habent privilegium eligendi judicem conservatorem, qui judicet de omnibus illis causis, in quibus Religiosi sunt rei, et etiam in quibus sunt Actores, sed quando sunt Actores, solùm propter injurias, et manifestas violentias ipsis irrogatas. Vide Salm. Tract. 18. c. 3. à n. 152 ad 178.

91. — V. Regulares habent privilegium admittendi eos omnes, qui volunt sepeliri in eorum Ecclesiis. Adnotamus hęc præcipua quædam circa sepulturam, de qua fusiùs tractant Salm. Tr. 18. c. 3. punct. 6. Quicumque ad pubertatem pervenerit, sibi eligere valet sepulturam, ubicumque, etiam Episcopi; nisi autem illam sibi eligant, sepeliri in Cathedrali debent. Ib. n. 186. Religiosi tamen debent sepeliri in Monasterio, etsi morentur extra illud, dummodo locus non esset nimis remotus. Novitii valent sibi eligere sepulturam extra Monasterium: quod si non faciant, sepeliri debent in illo, licet obirent, dum in alia domo manerent ex licentia sui Superioris. Num. 187. Idem intelligitur quoad Commensales, et Familiars, qui actu serviunt, et resident in Monasterio sub obedientia Superioris. Et hi valent recipere omnia Sacramenta à Religiosis, Baptismo excepto, et Matrimonio. N. 118. 214. et 215. Gravissimas incurrunt pœnas Clerici, et Religiosi inducentes alios ad promittendum juramento, voto, aut fide data, se electuros sepulturam in propria Ecclesia. Num. 191. Privandi sunt sepultura, qui moriuntur impœnitentes, et de quibus publicè constat, non fuisse confessos in anno, nec communicasse Paschali tempore, et ita etiam Hæretici, Excommunicati, qui sibi ex ira mortem intulerunt, si deinde pœnitentiæ indicia non præbuerint, uti habetur in Rituali Romano: « Peccatores publici cujuscumque » peccati, et qui moriuntur in flagranti crimine » (ut ex c. Fures de furo) nullo dato signo pœnitentiæ; etenim tunc præsumuntur et in peccato obiisse, ut dicunt communiter DD. cum Rituali, quidquid dicant Lezana, et Sancius, Salm. c. 3. n. 99. Qui hujusmodi Defunctos sepelit, lethaliter peccat: Et qui sepelit Hæreticum, aut Hæreticorum Fautorem, aut publicè Excommunicatum, aut Usurarium, etiam Excommunicationem incurrit; Et hujusmodi Defuncti, si fieri possit, ex sepultura extrahendi sunt. Cæterùm nemo sepultura privandus in quocumque casu sine sententia Episcopi, aut Superioris, si cadaver est Religiosi. Salm. Tract. 18. c. 3. n. 302 et 304.

92. — Sed ad rem nostram, ad Regulares videlicet, redeamus. Plura sunt notanda. 1. Quilibet Clericus, aut Sæcularis sibi eligere potest Sepulturam in Ecclesia Regularium. Et quando aliqua haberet Sepulturam suorum Majorum in illa, et non elegisset aliam Ecclesiam, possunt Regulares illic eum sepelire. Salm. tract. 18. c. 3. n. 205. 2. Parochi qui in Associatione ad Eccle-

niam Regularium plus exigunt, quam exigerent in sepeliendo Defuncto in Parochia, ut retraherent Fideles ab eligenda alibi sepultura, Papalem excommunicationem incurrunt, ex Bul. Clem. VIII. apud Sal.; et licet Bul. edita fuit pro Indiarum Parochis, tamen Lez. Peyr. et Salm. cum aliis intelligunt eam editam fuisse universaliter pro omnibus, ib. n. 205. 3. Cum sepeliendus est Defunctus in Regularium Ecclesia, debent ipsi vocare, et attendere Parochum; sed si ille renuit venire, aut nimis moratur, possunt ipsi extollere cadaver, et illud in suam Ecclesiam asportare. Ita communiter Barb. Lez. Peyrinus, et alii cum Salm., ex pluribus Decretis S. C. Num. 208. et 209. Officium supra Cadaver tum celebrandum est non à Parocho aut Canonicis, sed ab iisdem Regularibus. Nec Parochus exercere potest illum actum in eorum Ecclesia; nec cogere Hæredes ad celebrandas Missas, aut eorum partem in Parochia, ex pluribus Decretis etiam S. C. Et idem observandum est etiam pro Monasteriis Monialium exemptarum Ibid. n. 212. et 213. Adnotandum tamen, in Monialium Ecclesiis sepeliri non posse Laicos sine licentia Sacr. Congr. dummodo aliquis non haberet in eis jus Sepulturæ. Vid. Lib. 4. n. 62.

93. — Quæritur utrùm Regulares teneantur ad solvendam Canonicam Portionem Ordinario, aut Parocho? Alia est Portio Canonica *Episcopalis*, et est illa, quæ debetur Episcopis pro omnibus donationibus *causa mortis*, et pro Legatis Ecclesiis relictis, aut locis piis eorum Diocesium, ut ex Clem. *Dudum*. de Sepult. Hæc portio quandoque fuit tertia, quandoque quarta pars; et Innoc. III. Cap. Requisite de Testam. statuit, ut quoad quantitatem attenderetur consuetudo. Salm. Tr. 18. c. 3. n. 116. Alia est *Parochialis*, quæ propriè vocatur Quarta Funeralis, et est illa portio, quæ Parocho debetur ex Funeralibus, Legatis piis, et omnibus, quæ perveniunt ad Ecclesiam, in qua sepeliendus est Defunctus. Et ista etiam fuit diversa, sed quoad eandem etiam consuetudo attendenda est. Ibid. n. 218.

94. — Sed quoad Regulares, eximuntur à solvenda Portione Episcopali eorum Monasteria tam Hominum, quam Fœminarum, ex Extravaganti *Inter cunctas*, §. Quibuscumque, de Privilegiis, et ex aliis Privilegiis apud Salm. N. 217. Quò verò ad Quartam Funeralem, ex jure communi olim Regulares tenebantur ad illam solvendam, sed hodie attentis eorum Privilegiis, et Trident. Sess. 25. c. 13. et Bulla Pii V. *Etsi Mendicantium* anni 1567. tenentur ad illam solvendam ea Monasteria, dumtaxat, quæ ultra 40 annos, antequam Concilium confirmaretur, solebant solvere: Ita probant Salm. cum sententia communi, et pluribus Decretis S. C. ex multis Privilegiis Pontificiis, et præsertim Sixti IV, qui imposuit pœnam Excommunicationis, et privationis Beneficiorum Parochis, qui vellent exigere prædictam Quartam. Vid. Salm. Tract. 18. c. 5. à n. 218 ad 228. Excipiuntur tamen illa Monasteria, quæ solverent præfatam Quartam ex Contractu inito, aut ex consuetudine immemorabili. Ibid. n. 229 ad 233.

CAPUT V.

De privilegiis Regularium in particulari.

- I. De facultate absolvendi Subditos à Casibus et censuris. — 95. 96. et 97. De Reservatione Casuum etc. — 98. De facultatibus quoad Sæculares. — 99. Utrùm Regulares possint absolvere à casibus Episcopis reservatis jure, vel consuetudine. — 100. Utrùm à casibus Papatibus. — 101. Utrùm in itinere, aut ex Bulla Cruciatæ etc. — 102. Utrùm Confessarii Regulares possint denuo examinari ab Episcopo, 103. II. Circa Dispensationem in Irregularitatibus. — 104. et 105. III. De Dispensatione in præceptis Ecclesiasticis etc. — 106. IV. Circa Officium Divinum. — 107. V. Circa Dispensationem votorum, et juramentorum. — 108. Circa votum castitatis Conjugum, et Sponsorum. 109. VI. De Privilegio Religiosorum, Novitiorum et Famulorum confitendi cuicumque Sacerdoti etc. — 110. De Religiosis peregrinantibus. — 111. Utrùm in Jubilæo etc. — 112. VII. Circa Ordinum Receptionem. — 113. ad 116. Circa Ordinum collationem. — 117. ad 120. Circa celebrationem Missarum. — 121. et 122. Circa Communionis ministrantem. 123. Circa Concionandum. 124. ad 128.

95. — I. Quoad facultatem, quam habent Superiores Regulares circa Absolutionem à Casibus reservatis, et censuris, oportet hæc distinguere potestatem erga Subditos ab illa, quam habent erga Sæculares. Sub nomine Superiorum Regularium veniunt non solum Generales, et Provinciales, et eorum Vicarii subrogati in eorum locum, sed etiam omnes Locales Superiores, ut Priores, Guardiani, Rectores, et etiam eorum Vicarii, quando ipsi absunt, saltem per integrum diem. Ita communiter Doctores Vid. Salm. Tr. 18. c. 4. n. 1. ex Cap. Abbatis, de Privil. in 6. Omnes isti absolvere possunt suos Subditos primò ab omnibus casibus, et censuris non reservatis Pontifici, licèt fulminatæ essent ab homine per specialem sententiam, ut dicunt Salm. cum Lezana, Candido, Pellizz. etc. ex Privilegiis Pauli V, Sixti IV. et Eugenii IV. Salm. ib. n. 2. Et id, quod currit pro Professis, valet et pro Novitiis, ita ut iidem absolvi possint à Superioribus Regularibus à casibus Episcopis reservatis incursis, non solum post ingressum, sed etiam ante, ut Salm. cum Bonac. Pellizz. etc. et P. Mazzotta cum Sanchez, Tamb. etc. Salm. Tract. 18. c. 3. n. 87 et Mazot. tom. 3. de Res. Cas. c. 2. quæst. 5. Et idem dicunt Salm., et Mazzotta cum Peyrino, et Tambur. Salm. ibid. n. 98. et Mazzotta l. c. quoad illos, qui proximi sunt, qui recipiantur, verb. gr. si manent in probatione in Monasterio, ut assumant Habitum, et id ex Bulla Clem. VII. relata à Candido, Rodriq. et à Salm. Tract. de Cens. c. 2. n. 80., in qua fuit concessum Provincialibus Regularibus, et eorum Vicariis, aut aliis Deputatis absolvere Novitios Ordinis ab omnibus casibus reservatis (exceptis illis Bullæ Cœnæ) incursis ante ingressum, et à censuris, quæ illis sunt annexæ. His posset aliquis objicere Decretum

tam Concilium, quàm prædictæ declarationes vigere intelligantur in eos, qui extra Monasterium morantur sine licentia, aut in loco adeo remoto ab eorum Superiore, ut puniri non possint, nisi post longissimum tempus. Salm. c. 3. n. 46 ad 48.

83. — Secundus casus est, cùm Religiosus, etiam degens in Monasterio, extra illud delinqueret cum publico Populi scandalo, et Superior eum non puniret. Trid. Sess. 25. c. 14. Et quia Superiores quidam transmittabant huiusmodi Delinquentes extra Diocesim, ut immunes essent à pœna, statuit Clem. VIII. Ann. 1596, in Bulla *Suscepti oneris*, ut in tali casu, instante Episcopo, Superior infra tempus ab Episcopo præscriptum revocare debeat delinquentem, et punire; aliàs possit eum castigare Episcopus loci, quo ipse transmissus est: Salm. Tract. 18. c. 3. n. 46. ad 48. Adnotat deinde Salm. cum aliis 1. ut huiusmodi Concilii Decretum vigere debeat cùm delictum est notorium etiam facti publicitate. 2. Ut non valeat adversùs Superiores Delinquentes, qui in odiosis non includuntur sub nomine Regularium, quemadmodum ait Concilium. 3. Ut Episcopus procedere non possit, nisi postquam pluries monuerit Superiorem, ut delinquentem puniret, et ille neglexerit. Si tamen Episcopus Delinquentem in actuali delicto interciperet, potest illum capere (sicut dictum fuit), sed ut statim eum transmittat ad Superiorem; et quando crimen fuisset gravis scandali, potest etiam eundem retinere in Carcere, ut transmittat infra 25 saltem horarum spatium. Superior deinde præbere Episcopo debet sufficientia argumenta securæ punitionis. Episcopus, licèt capere possit summariam informationem, ut eam ad Superiorem transferat, non potest tamen juridicum efformare processum adversùs reum; sed si fortè efformasset, probabile est eo Superiorem uti posse ad procedendum in suum Religiosum, ut aiunt Salm. cum aliis. Num. 50 et 51.

84. — Secundò, Regulares Privilegium habent exemptionis à contributione Decimarum. Arrepta occasione, opportunè hoc in loco adnotantur quædam circa Decimas. Decimæ dicuntur illa fructuum portio, aut industriarum personalium, quæ à Fidelibus tribuenda est Ecclesiæ Ministris pro eorum sustentatione. Revera Decimæ debentur ex jure Divino Naturali; sed quoad quantitatem, id est decimam partem, sunt ex jure Ecclesiastico, cùm cessaverit jus antiquum divinum, ut iudiciale. Hinc fit 1. Pontificem posse quemlibet eximere ab onere Decimarum, Pontificem, inquam, non Episcopos: ipsi dumtaxat possunt ex Trid. Sess. 21. c. 5 et 7, applicare Decimas unius loci ad alium, et unire, ac separare Beneficia. Vid. Salm. Tr. 18. c. 3. n. 52 et 54. Infertur 2. quòd consuetudo ritè potest aliquos eximere à solvendis Decimis, dummodo remaneat id, quod sufficit ad congruam Ecclesiasticor. sustentationem; sed huiusmodi consuetudo præscriptionem quadraginta annorum non interruptorum habere debet, licèt ab initio nec titulus, nec bona fides interfuerint: ad præscriptionem deinde (accipiendo vocem prout sonat præscriptio, non ut consuetudo) necessaria sunt bona fides, et quadraginta anni cum

titulo; sine titulo autem requiritur tempus immemorabile. Pro futuris Decimis fieri potest compositio; sed etiam solummodo à Pontifice, non ab Episcopo; nisi fieret inter unam, et aliam Ecclesiam. Dictum est pro futuris, quia præteritas remittere potest etiam ille, cui debentur. Salm. Tr. 18. c. 4. n. 55.

85. — Olim Decimæ debebantur, ut dictum est, tam ex fructibus bonorum, quàm ex Personarum industria. Sed juxta præsentem consuetudinem pene universalem solvuntur solùm ex fructibus bonorum tam stabilium, quàm mobilium juxta cap. Non est, de decim. Et debentur ex fructibus integris non deductis expensis, et oneribus contributionum, ut ait S. Th. 2. 2. qu. 87. art. 2. ad 4. et alii communiter ex c. Cùm non sit, de Decim. Salm. c. 3. n. 58.

86. — Decimæ præterea solvi debent ab omnibus Fidelibus, etiam à Principibus, sed non à pauperibus: Omnes tamen, nisi sint in extrema necessitate, sed solùm in gravi, si pervenirent ad meliorem fortunam, tenentur solvere præteritas Decimas, ut dicunt Suar. Laym. Castr. et alii, cum Salm. Ib. n. 59. De jure autem communi tam Clerici, quàm Religiosi, et etiam Parochi tenentur solvere Decimas suorum bonorum patrimonialium, licet assignata fuissent ad titulum Ordinationis, non autem bonorum beneficiorum, ut docet D. Th. 1. c. a. 4. in corp. et ad 1. ex c. Si quis Laicus 16. qu. 1. Quoad eos verò, qui deficiunt à solvendis Decimis, hæc statuit Trid. Sess. 25. c. 12. « Qui decimas subtrahunt, vel impediunt, excommunicentur, neque ab illo crimine, nisi plena restitutione secuta, absolvantur. » Vid. Salm. n. 60 ad 62.

87. — Sed quidquid sit de jure antiquo, hodie ex multis privilegiis Pontificiis omnes Regulares, etiam Moniales, cujuscumque Ordinis (et etiam Equites Hierosolymitani) eximuntur à Decimis non solùm personalibus, sed etiam stabilium, tam propriorum (etsi colantur à colonis) quàm conductorum, ut Emphiteuticarum. Vide Salm. n. 82. ad 89. Notandum tamen quòd si transeant in dominium Regularium bona jam Decimis obnoxia, remanent ipsa ad idem onus subjecta, ex pluribus Decretis S. C. et Rotæ apud Pignat. t. 1. Cons. 355. et t. 8. Cons. num. 9.

88. — Tertiò. Olim Regularibus vetitum erat, ne nova ædificarent Monasteria, aut derelinquerent ædificata sine expressa licentia Summi Pontificis, Cap. 1. de Excess. Prælat. in 6. ex cap. un. de Relig. Dòm. in 6. Tractu deinde temporis obtinuerunt diversa privilegia; sed hæc omnia ann. 1624, limitata fuere ab Urbano VIII. in Bulla Romanus Pontifex, ubi statutum fuit, non posse acceptari nova Monasteria, nisi observata forma Canonum Tridentini, et Bullæ Clementis VIII. *Quoniam ad institutum.* Quare hodie ad fundandum novum Monasterium tria requiruntur. I. Licentia Episcopi. Utrùm verò requiratur etiam licentia Pontificis, alii affirmant, ut Barb. Tamb. Pelliz., ex declaratione S. C., negant verò Salm. cum Lez. Suar. Rodr. et alii. 2. Ut adsit consensus eorum, quorum interest, et præsertim omnium

Monasteriorum existentium intra quatuor miliariorum spatium; aliter Episcopus concedere non potest dictam licentiam, nisi quando illi injustè contradicerent. Salm. tr. 18. c. 8. n. 24, ad 131. Carmelitæ tamen Privilegium habent, ut alii Ordines fundare non possint, ubi ipsi habent Monasterium infra spatium 560 Ulnarum florentinarum et minores infra spatium 1200 Ulnarum etc. Contra Minimi, et Jesuitæ privilegium habent fundandi in locis etiam non remotis intra spatium 560 Ulnarum prædictarum. Et in omnibus his Privilegiis conceditur communicatio. At prædicta privilegia circa Ulnas juxta consuetudinem non intelliguntur quoad Monasteria, quæ fundantur in civitatibus. Vid. Salm. n. 137. ad 140. 3. Requiritur, ut novum Monasterium possit commodè reditibus, aut eleemosynis sustentare duodecim Religiosos; sufficit tamen, quòd adsit intra breve tempus probabilis spes prædictæ sufficientis sustentationis. Quòd si Monasterium (intelligitur de Monasteriis fundatis post citatam Bullam Urb. VIII. emanatam. ann. 1634,) non valeret sustentare duodecim Religiosos, qui revera in illo non habitarent, statutum fuit per Sacram Congr. pluribus Decretis, confirmatis à Greg. XV. et Urb. VIII. ut hujusmodi Monasterium omnino subjectum esset Episcopo per hæc verba: « Ordinarii loci visitationi, correctioni, atque omnimodæ jurisdictioni talia Monasteria erecta absque eo, quòd 12 Fratres in eis » valeant habitare, et de facto habitent, subjecta esse intelliguntur. » Salm. Tract. 18. c. 3. n. 129 et 130. Eædem conditiones requiruntur in fundandis Monialium Monasteriis. Et advertendum hîc quòd ex Tridentino, et Sac. Congr. prohibetur, ne fundentur Monialium Monasteria extra habitatum. Ibid. n. 134.

89. — Prædictæ conditiones non requiruntur in fundandis Hospitiis Religiosorum, ut notant Peyrinus, Tamb. etc. saltem (ut limitat Lezana) si ibi non recipiant Missas, et non habeant Ecclesiam. Ib. n. 132. Neque requiruntur in translationibus Monasteriorum, quæ possunt fundari (ut probant Salm. cum Navar. Barros. Peyrino, Lezana etc.) sine consensu Pontificis, Episcopi, vel aliorum Monasteriorum, dummodo translatio non afferat eis præjudicium: Etenim dicunt, quòd jam antea habebant tale privilegium à pluribus Pontificibus concessum, et quòd illud limitatum est tantum quoad novas Fundationes, quales non vocantur translationes Monasteriorum ex uno situ ad alium commodiorem ejusdem Terræ (ut intelligitur), aut prope illam, derelinquendo antiquum Monasterium. Et in tali casu Religiosi retinent omnia bona, et jura Monasterii derelicti. Num. 133 ad 143. Possunt præterea Religiosi ex concessione Urb. VIII. et Innoc. VIII., quando defecerit reditus, et eleemosynæ unius Monasterii, illud unire, et incorporare alteri. Salm. c. 3. n. 150. Insuper possunt ad libitum redire ad Monasteria derelicta, dummodo reditus non afferrent aliquod novum præjudicium aliis Monasteriis. Num. 148. Possunt insuper Generales Religionum Superiores ex concessione Sixti IV. et ejusdem Urb. VIII. supprimere Monasteria miserabilia, transferendo eorum bona ad majora Monasteria. Ad-

notetur hęc, quòd Monasteria concessa ab Universitatibus, cùm derelinquuntur, in manus Ordinarii derelinqui debent, at si propriis redivitis, et eleemosynis ædificata fuerint, remanent in dominio Religiosorum, ut de iis possint liberè disponere. Salm. num. 147.

90. — IV. Regulares habent privilegium eligendi judicem conservatorem, qui judicet de omnibus illis causis, in quibus Religiosi sunt rei, et etiam in quibus sunt Actores, sed quando sunt Actores, solùm propter injurias, et manifestas violentias ipsis irrogatas. Vide Salm. Tract. 18. c. 3. à n. 152 ad 178.

91. — V. Regulares habent privilegium admittendi eos omnes, qui volunt sepeliri in eorum Ecclesiis. Adnotamus hęc præcipua quædam circa sepulturam, de qua fusiùs tractant Salm. Tr. 18. c. 3. punct. 6. Quicumque ad pubertatem pervenerit, sibi eligere valet sepulturam, ubicumque, etiam Episcopi; nisi autem illam sibi eligant, sepeliri in Cathedrali debent. Ib. n. 186. Religiosi tamen debent sepeliri in Monasterio, etsi morerentur extra illud, dummodo locus non esset nimis remotus. Novitii valent sibi eligere sepulturam extra Monasterium: quod si non faciant, sepeliri debent in illo, licet obirent, dum in alia domo manerent ex licentia sui Superioris. Num. 187. Idem intelligitur quoad Commensales, et Familiars, qui actu serviunt, et resident in Monasterio sub obedientia Superioris. Et hi valent recipere omnia Sacramenta à Religiosis, Baptismo excepto, et Matrimonio. N. 118. 214. et 215. Gravissimas incurrunt pœnas Clerici, et Religiosi inducentes alios ad promittendum juramento, voto, aut fide data, se electuros sepulturam in propria Ecclesia. Num. 191. Privandi sunt sepultura, qui moriuntur impœnitentes, et de quibus publicè constat, non fuisse confessos in anno, nec communicasse Paschali tempore, et ita etiam Hæretici, Excommunicati, qui sibi ex ira mortem intulerunt, si deinde pœnitentiæ indicia non præbuerint, uti habetur in Rituali Romano: « Peccatores publici cujuscumque » peccati, et qui moriuntur in flagranti crimine » (ut ex c. Fures de furo) nullo dato signo pœnitentiæ; etenim tunc præsumuntur et in peccato obiisse, ut dicunt communiter DD. cum Rituali, quidquid dicant Lezana, et Sancius, Salm. c. 3. n. 99. Qui hujusmodi Defunctos sepelit, lethaliter peccat: Et qui sepelit Hæreticum, aut Hæreticorum Fautorem, aut publicè Excommunicatum, aut Usurarium, etiam Excommunicationem incurrit; Et hujusmodi Defuncti, si fieri possit, ex sepultura extrahendi sunt. Cæterùm nemo sepultura privandus in quocumque casu sine sententia Episcopi, aut Superioris, si cadaver est Religiosi. Salm. Tract. 18. c. 3. n. 302 et 304.

92. — Sed ad rem nostram, ad Regulares videlicet, redeamus. Plura sunt notanda. 1. Quilibet Clericus, aut Sæcularis sibi eligere potest Sepulturam in Ecclesia Regularium. Et quando aliquis habet Sepulturam suorum Majorum in illa, et non elegerit aliam Ecclesiam, possunt Regulares illic eum sepelire. Salm. tract. 18. c. 3. n. 205. 2. Parochi qui in Associatione ad Eccle-

nam Regularium plus exigunt, quàm exigent in sepeliendo Defuncto in Parochia, ut retraherent Fideles ab eligenda alibi sepultura, Papalem excommunicationem incurrunt, ex Bul. Clem. VIII. apud Sal.; et licet Bul. edita fuit pro Indiarum Parochis, tamen Lez. Peyr. et Salm. cum aliis intelligunt eam editam fuisse universaliter pro omnibus, ib. n. 205. 3. Cum sepeliendus est Defunctus in Regularium Ecclesia, debent ipsi vocare, et attendere Parochum; sed si ille renuit venire, aut nimis moratur, possunt ipsi extollere cadaver, et illud in suam Ecclesiam asportare. Ita communiter Barb. Lez. Peyrinus, et alii cum Salm., ex pluribus Decretis S. C. Num. 208. et 209. Officium supra Cadaver tum celebrandum est non à Parocho aut Canonicis, sed ab iisdem Regularibus. Nec Parochus exercere potest illum actum in eorum Ecclesia; nec cogere Hæredes ad celebrandas Missas, aut eorum partem in Parochia, ex pluribus Decretis etiam S. C. Et idem observandum est etiam pro Monasteriis Monialium exemptarum. Ibid. n. 212. et 213. Adnotandum tamen, in Monialium Ecclesiis sepeliri non posse Laicos sine licentia Sac. Congr. dummodo aliquis non haberet in eis jus Sepulturæ. Vid. Lib. 4. n. 62.

93. — Queritur utrùm Regulares teneantur ad solvendam Canonicam Portionem Ordinario, aut Parocho? Alia est Portio Canonica *Episcopalis*, et est illa, quæ debetur Episcopis pro omnibus donationibus *causa mortis*, et pro Legatis Ecclesiis relictis, aut locis piis eorum Diocesium, ut ex Clem. *Dudum*. de Sepult. Hæc portio quandoque fuit tertia, quandoque quarta pars; et Innoc. III. Cap. Requisite de Testam. statuit, ut quoad quantitatem attenderetur consuetudo. Salm. Tr. 18. c. 3. n. 116. Alia est *Parochialis*, quæ propriè vocatur Quarta Funeralis, et est illa portio, quæ Parocho debetur ex Funeralibus, Legatis piis, et omnibus, quæ perveniunt ad Ecclesiam, in qua sepeliendus est Defunctus. Et ista etiam fuit diversa, sed quoad eandem etiam consuetudo attendenda est. Ibid. n. 218.

94. — Sed quoad Regulares, eximuntur à solvenda Portione Episcopali eorum Monasteria tam Hominum, quàm Fœminarum, ex Extravaganti *Inter cunctas*, §. Quibuscumque, de Privilegiis, et ex aliis Privilegiis apud Salm. N. 217. Quò verò ad Quartam Funeralem, ex jure communi olim Regulares tenebantur ad illam solvendam, sed hodie attentis eorum Privilegiis, et Trident. Sess. 25. c. 13. et Bulla Pii V. *Etsi Mendicantium* anni 1567. tenentur ad illam solvendam ea Monasteria, dumtaxat, quæ ultra 40 annos, antequam Concilium confirmaretur, solebant solvere: Ita probant Salm. cum sententia communi, et pluribus Decretis S. C. ex multis Privilegiis Pontificiis, et præsertim Sixti IV, qui imposuit pœnam Excommunicationis, et privationis Beneficiorum Parochis, qui vellent exigere prædictam Quartam. Vid. Salm. Tract. 18. c. 5. à n. 218 ad 228. Excipiuntur tamen illa Monasteria, quæ solverent præfatam Quartam ex Contractu inito, aut ex consuetudine immemorabili. Ibid. n. 229 ad 233.

CAPUT V.

De privilegiis Regularium in particulari.

- I. De facultate absolvendi Subditos à Casibus et censuris. — 95. 96. et 97. De Reservatione Casuum etc. — 98. De facultatibus quoad Sæculares. — 99. Utrùm Regulares possint absolvere à casibus Episcopis reservatis jure, vel consuetudine. — 100. Utrùm à casibus Papalibus. — 101. Utrùm in itinere, aut ex Bulla Cruciatæ etc. — 102. Utrùm Confessarii Regulares possint denuo examinari ab Episcopo, 103. II. Circa Dispensationem in Irregularitatibus. — 104. et 105. III. De Dispensatione in præceptis Ecclesiasticis etc. — 106. IV. Circa Officium Divinum. — 107. V. Circa Dispensationem votorum, et juramentorum. — 108. Circa votum castitatis Conjugum, et Sponsorum. 109. VI. De Privilegio Religiosorum, Novitiorum et Famulorum confitendi cuicumque Sacerdoti etc. — 110. De Religiosis peregrinantibus. — 111. Utrùm in Jubilæo etc. — 112. VII. Circa Ordinum Receptionem. — 113. ad 116. Circa Ordinum collationem. — 117. ad 120. Circa celebrationem Missarum. — 121. et 122. Circa Communionis ministracionem. 123. Circa Concionandum. 124. ad 128.

95. — I. Quoad facultatem, quam habent Superiores Regulares circa Absolutionem à Casibus reservatis, et censuris, oportet hîc distinguere potestatem erga Subditos ab illa, quam habent erga Sæculares. Sub nomine Superiorum Regularium veniunt non solum Generales, et Provinciales, et eorum Vicarii subrogati in eorum locum, sed etiam omnes Locales Superiores, ut Priores, Guardiani, Rectores, et etiam eorum Vicarii, quando ipsi absunt, saltem per integrum diem. Ita communiter Doctores Vid. Salm. Tr. 18. c. 4. n. 1. ex Cap. Abbatis, de Privil. in 6. Omnes isti absolvere possunt suos Subditos primò ab omnibus casibus, et censuris non reservatis Pontifici, licèt fulminatæ essent ab homine per specialem sententiam, ut dicunt Salm. cum Lezana, Candido, Pellizz. etc. ex Privilegiis Pauli V, Sixti IV. et Eugenii IV. Salm. ib. n. 2. Et id, quod currit pro Professis, valet et pro Novitiis, ita ut iidem absolvi possint à Superioribus Regularibus à casibus Episcopis reservatis incursis, non solum post ingressum, sed etiam ante, ut Salm. cum Bonac. Pelliz. etc. et P. Mazzotta cum Sanchez, Tamb. etc. Salm. Tract. 18. c. 3. n. 87 et Mazot. tom. 3. de Res. Cas. c. 2. quæst. 5. Et idem dicunt Salm., et Mazzotta cum Peyrino, et Tambur. Salm. ibid. n. 98. et Mazzotta l. c. quoad illos, qui proximi sunt, qui recipiantur, verb. gr. si manent in probatione in Monasterio, ut assumant Habitum, et id ex Bulla Clem. VII. relata à Candido, Rodriq. et à Salm. Tract. de Cens. c. 2. n. 80., in qua fuit concessum Provincialibus Regularibus, et eorum Vicariis, aut aliis Deputatis absolvere Novitios Ordinis ab omnibus casibus reservatis (exceptis illis Bullæ Cœnæ) incursis ante ingressum, et à censuris, quæ illis sunt annexæ. His posset aliquis objicere Decretum

Urbani VIII, allatum Lib. 7. n. 95. in quo fuit statutum, quod per Confirmationem Privilegiorum obtentorum à Regularibus post Tridentinum non intelligebantur rursus concessa ipsa Privilegia ipsis ablata tam à Concilio, quàm à S. C. absolvendi à casibus reservatis Ordinario. Multipliciter respondent Salm. huic oppositioni loco citato; sed eorum responsiones non suadent, ut diximus. Ibid. n. 103. Responsio congruentior videtur esse, quòd Decretum Urbani loquitur de Sæcularibus, sicut etiam loquebatur Propos. 12. damnata ab Alexandro VII.; sed non de Novitiis, qui in favorabilibus communiter à DD. reputantur ut Religiosi; ita Sanchez, Suar. Castrop. Lezana cum iisdem Salm. tr. 15. c. 3. n. 85 et aliis. Eò magis, quia Clemens VIII. ita declaravit. Diana Part. 3. Tr. 2. Resp. 73. refert Privilegium concessum Jesuitis (quod ex communicatione extenditur ad omnes Religiones), quo possint communicare Novitiis omnia Privilegia Societatis. Excipiunt tamen Bonac. Pelliz. et Salm. 1. c. n. 87. casum, quo jam inceptum esset iudicium Episcopi contra Novitium, antequam intraret; quia tunc (ut aiunt) posset Episcopus eum extrahere, et punire. Quod dictum est de Novitiis, idem dicit P. Mazzotta loco citato cum Peyrino de Familiaribus Monasteriorum: dummodo *inibi sint quasi de Familia, et continui commensales*, ut dicitur in Bulla *Superna* Clementis X.

86. — Possunt secundò Regulares absolvere suos Subditos Professos, et Novitios, etiam sicut superius dictum est lib. 6. n. 593. v. *Eandem* in fine, ab omnibus casibus Papalibus occultis eodem modo, quo Episcopi valent absolvere suos Subditos ex cap. Liceat. Atque hoc ex Privilegio Pii V. relato per extensum à Salm., et P. Concina, confirmato à Benedicto XIII. in Bulla *Pretiosus* Anno 1727. in qua fuit concessa Regularibus potestas absolvendi etiam à casibus Bullæ Cœnæ, excepto relapsu in Hæresim, Falsificatione Litterarum Apostolicarum, et translatione rerum prohibitarum ad Infideles. Ac obiter hîc notandum, quòd in dicta Bulla fuit etiam concessa Generali Dominicanorum potestas dispensandi ab irregularitate ob homicidium commissum à Subditis, dummodo patratum non fuerit data opera, et secutum intra Claustra Monasterii. Sed id revocatum est à Clemente XII. Vide dicta lib. 7. n. 101.

97. — Possunt tertio Regulares absolvere suos Subditos ab excommunicatione ob percussionem, etiam gravem, et enormem, et publicam, inflictam non solum Religiosis ejusdem Ordinis, sed etiam alterius, et etiam Clericis Sæcularibus. Castr. Roncagl. Salm. et Croix ex Privilegiis Bonif. IV. et Clem. VIII. Atque hîc adnotandum, quòd si percussio sit levis, aut occulta, Religiosus percussor (si velit) potest petere absolutionem etiam ab Episcopo, sed obtenta sui Superioris licentia. Lib. 7. n. 107. Dictum est Subditos, quia nequeunt absolvere Sæculares, cum hic casus limitatus sit Regularibus intra Italiam, et extra Romam à Clemente, ut mox dicitur num. 99.

98. — Adnotandum hîc præterea, Superiores Regulares ex

concessione Clementis VIII. posse, si ipsis expediens videtur, reservare undecim casus, sed non plures sine Consensu Capituli Generalis, aut saltem Provincialis pro Provincia. Si autem Superior denegat licentiam, et utrùm pro prima vice possint Religiosi absolvi à reservatis? vide lib. 6. num. 586.

99. — Quoad verò Sæculares, olim Mendicantes gaudebant privilegio, quo poterant absolvere Sæculares ab omnibus casibus, et censuris reservatis tam à Pontifice, quam ab Episcopis. Sed deinde Decreto Clem. VIII. anno 1602 confirmato à Paulo V. anno 1617 et Urbano VIII. anno 1627 limitata fuit prædicta potestas, et statutum fuit, ne Regulares existentes extra Romam, et intra Italiam possent absolvere Sæculares nec à casibus Bullæ Cœnæ, nec ab aliis sex sequentibus: Scilicet 1. A percussione Clerici. 2. A Duello. 3. A violatione immunitatis. 4. A violatione Clausuræ Monasteriorum Monialium ob pravum finem. 5. A Simonia Confidentiali in Beneficiis; et denique ab omnibus casibus, quos sibi reservant Episcopi. Itaque tam ex dicto decreto Clem. VIII. quam etiam ex Bulla Greg. XII. *Cum à Sacra*; et præsertim ex Prop. 12 damnata per Alexandrum VII. quæ sic se habebat: « Mendicantes possunt absolvere à casibus Episcopis reservatis, non obtenta ad id Episcoporum facultate, » hodie non est in dubium revocandum (quidquid aliqui dicant) quin Sæculares absolvere non possint à casibus ab Episcopis reservatis. Vid. Lib. 6. n. 599. vers. Certum est, et Lib. 6. n. 95. Ita neque possunt absolvere Sæculares à sex casibus Clementis: et si occulti sint, contra P. Vivam: Potestas enim, quam Regulares habent ex Bulla S. Pii V. relata numero 96, qua possunt absolvere casus occultos, quam habent Episcopi ex cap. *Liceat*, est solum respectu suorum Religiosorum, non autem Sæcularium. Id tamen probabile iudicamus cum Viva, Comitolo, et aliis, quibus adhæret etiam P. Concina, scilicet quòd Regulares possint absolvere à casibus, quos sibi in Synodo Episcopus reservavit, sed deinde non expressit illos in Tabella; quia tunc præsumitur voluisse concedere potestatem ab iis absolvendi omnibus Confessariis, modò ab ipso approbati. Vid. Lib. 7. n. 100.

100. — Dubitatur 1. Utrùm Religiosi possint absolvere Sæculares à casibus non reservatis sibi ab Episcopis, sed *in iure*, aut ex consuetudine reservatis Episcopis, ut sunt abortus fœtus animati, et alii adnotati n. 46. Negant Viva, Bord. Cabass. Milante, et alii, eò quòd (ut aiunt) in Decreto Pauli V. et Urbani VIII. prohibetur Regularibus absolvere Laicos à casibus Episcopis reservatis. *A casibus eisdem Ordinariis reservatis* sunt verba Urbani. Nihilominus probabilius affirmant Conc. La Croix, Sporer, Salm. Lezana, Sanch. cum multis aliis, quibus adhæret etiam (se retractans) P. Viva in sua Morali. Ratio est, quia citata verba Decreti Urbani (et idem de Decreto Pauli V.) intelligenda sunt de casibus, quos Episcopi sibi reservant: cum talia Decreta, ut diximus n. præc. sint confirmativa Decreti Clem. VIII. in quo fit mentio tantum casuum, qui sibi ab Episcopis re-

servantur, nec à casibus (hæc ait Clem.) quos Ordinarii reservant, aut in posterum reservabunt. Eò magis, quia, ut ait P. Suarez, casus reservati Episcopis in jure debent potius dici delegati Episcopis, quàm reservati. Sed animadvertendum, id non valere quoad percussionem Clerici, nec quoad omnes alios casus, quos sibi Ordinarius reservaret : Etenim quoad istos sublata fuit omnis facultas Regularibus, ut dictum est n. præc. Vid. lib. 7. n. 99.

101. — Dubitatur 11. utrùm Regulares absolvere valeant Sæculares à casibus Papalibus? Negant pauci quidem, id est Viva cum Bordonò, et Florino, ex iisdem Decretis Pauli V., et Urbani VIII., quibus etiam vetitum fuit Regularibus absolvere à casibus reservatis Sedi Apostolicæ. At communissimè, et probabiliùs affirmant Bonac. Aversa, Salm. Pelliz. Rodriq. Potes, Peyrinus, et ipse Viva in sua morali (licèt id affirmet solummodo quoad casus Papales occultos) ex Privilegio Pauli III. concessò ann. 1545. *Jesuitis*, quo dictum fuit, quòd possent absolvere Sæculares « ab omnibus peccatis etiam Sedi Apostolicæ » reservatis, exceptis contentis in Bulla Cœnæ. » Nec obstant prædicta Decreta Pauli V. et Urbani VIII., quia (ut dictum est n. antec.) intelliguntur de casibus Clementis VIII. (quos supradicti Pontifices confirmare voluerunt) in quo solum casus Bullæ Cœnæ, et sex alii excepti fuere. Animadvertendum autem est, hanc potestatem valere tantummodo quoad forum internum n. 96 et 97. Observetur præterea, quòd dictum est n. 31. de Abbatibus habentibus quasi Episcopalem jurisdictionem.

102. — Adnotandum hîc, quòd olim Confessarii Regulares ex concessione Gregorii XIII. et Eugenii IV. in itinere poterant excipere Confessiones, non modò subditorum Diœcesis, ubi approbati erant, sed cæterorum. Ex Bulla *Cruciata*, cùm approbarentur in uno loco, erant approbati pro omnibus. Ita apud Salm. tr. 38. c. 4. n. 71 et 72. Innocentius autem X. deinde statuit, ne Regulares possent excipere Confessiones alicubi sine loci Ordinarii licentia : etiamsi haberent privilegium *Cruciata*, ut declaravit Innocentius XII. in Bulla *Cum sicut*, anno 1700. Vid. lib. 6. n. 548. et n. 549.

103. — Animadvertendum præterea est, quòd olim ex Clem. *Dudum* de sepult. Regulares approbati absolutè semel ab Ordinario non poterant obligari, ut denuò examinarentur. Attamen S. Pius V. in Extrav. *Romani Pontificis*, dixit, quòd Episcopus Successor *pro majori quiete suæ conscientiæ* posset rursus illos examinare. Sed post Gregor. XIII. in sua Bulla *In tanta negotiorum* etc. (relata à Navarro in fine sui *Manualis*) ad tollendas lites exortas circa Regulares, revocavit omnes Declarationes S. Pii, et præsertim hanc concernentem approbationem Confessariorum Regularium; revocavit, inquam, ad statum pristinum dispositionis Tridentini, quòd sess. 25. c. 15. nihil aliud exegit quoad Regulares, nisi ut approbarentur ab Ordinario. Hinc inferunt multi DD. ut Anavius, Dicastillus, Villalobos, Delbene, etc.

apud Salm. tr. 18. c. 4. n. 119, quòd Regulares approbatos examine ab aliquo Episcopo non possit denuo examinare successor. Attamen contrarium tuentur Diana p. 3. tract. 2. Resp. 27. et Lez. Boss. Bordone, et multi alii ex Decreto S. C. (relato à Lez., et Diana), quo fuit declaratum, quòd non obstante Bulla Greg. XIII. posset Episcopus successor examinare approbatos ab Antecessore, et hanc hodiernam esse Episcoporum praxim testantur Diana et ipsi Salm. Sed probabiliter dicunt Salm. ibid. n. 120. cum Vilal., quòd tam ex Constitutione S. Pii, quàm ex Declarat. S. C. possit Ordinarius successor iterum vocare ad examen aliquem, aut aliquos Regulares, quos notitiam habet non esse idoneos, sed non potest edicto generali suspendere omnes Confessarios Regulares, usquedum denuo examinentur. Cæterum animadvertendum est, quòd revocando generaliter Ordinarius omnes licentias, non comprehendat Regulares, qui in odiosis non comprehenduntur, nisi exprimantur, Salm. Tract. 18. c. 4. n. 15. cum communi. Animadvertatur insuper, quòd Capitularis Vicarius *Sede Vacante* non possit ad examen vocare Regulares ex privilegio iis concessò à Clemente IV. Vid. Salm. n. 116, et Dianam, p. 3. tr. 2. Res. 27. Animadvertendum præterea, supradicta valere pro approbationibus concessis absolute, non tamen pro concessis ad tempus, e. g. ad sex menses, ut plerumque fit; cum certum sit ex Bulla Innoc. XIII. *Apostolici Ministerii*, confirmata per Bened. XIII. quòd Confessarii tam Sæculares, quàm Regulares non valeant excipere Confessiones extra locum, Personas, et tempus præscriptum, quocumque privilegio non obstante.

104. — II. De facultate Regularium dispensandi in Irregularitatibus. Regulares valent ex privilegio S. Pii V. relato n. 97, confirmato à Julio II. dispensare cum suis subditis in omnibus irregularitatibus occultis, in quibus possunt Ordinarii dispensare cum suis Diœcesanis ex cap. *Liceat*, ut dictum est n. 29. Et idem possunt cum Sæcularibus, ut aiunt Suarez, Sanchez, Pelliz, Sairus, Salm. Sporer, Lezana, etc. ex concessionibus Sixti IV. et prædicti Julii II. Vid. lib. 7. n. 355.

105. — Possunt præterea Regulares dispensare cum subditis in quacumque irregularitate, aut ob delictum, aut ob defectum ex Privilegio Martini V. Vid. eodem n. 355. Itaque, ut ad particularia descendam, possunt Superiores dispensare cum subditis, 1. in Irregularitatibus ob homicidium non solum occultum, ut concessum fuit in Privilegio Martini V., sed etiam voluntarium notorium, ut dictum est n. 96., ex Privilegio Benedicti XIII., dummodo data opera patratum non fuerit, et consummatum intra Claustra. 2. Quoad defectum Animæ possunt dispensare cum Religioso ad suscipiendum Sacerdotium, licet ipse passus esset permanentem dementiam, si deinde medicorum iudicio cessavit ejus periculum. Vid. lib. 7. n. 400 in fin. 3. Quoad defectum corporis, ut si alicui pes, aut oculus deficeret, etiam sinister, possunt dispensare, ut probant Salm. Tr. 10. de Cens. c. 9. n. 75.

cum Bordon. ex privilegio Sixti IV. Et in dubio possunt etiam declarare, defectum non ob stare, ut possunt Ordinari cum suis Subditis. Vide lib. 7. n. 414. in fine. 4. Quoad defectum Natalium, hæc irregularitas per se cessat Religionem profitendo quoad id, quod spectat ad ordinum susceptionem, ut habetur ex c. 1. de Fil. Presbyt., nam quoad Dignitates necessaria est Dispensatio. Sed pluribus privilegiis possunt dispensare cum suis omnes Superiores Regulares Generales, Provinciales, et etiam Priores. lib. 7. n. 354. et 426. Vid. etiam Salm. Tract. 10. c. 9. n. 57. et Tr. 18. c. 4. n. 28. cum Bord. Peyr. Lez. Pelliz etc. Quod verò inquit Sotus, Professione cessare quamlibet Irregularitatem id communis negatur. Vid. Salm. Tr. 10. c. 7. n. 58. 5. Possunt dispensare in bigamia etiam vera ex privilegio Martini V.; ita Castrop. Pelliz. Macado. Salm. etc. Vide lib. 7. n. 355. et 452. 6. In Irregularitate etiam publica ob defectum lenitatis. lib. 7. num. 468. 7. Et ultimo possunt Regulares dispensare cum suis subditis in omnibus inhabilitatibus, et penis contractis ratione delicti, ut privationis Officii, Beneficii, Vocis, Loci, etc. etsi illæ reservatæ sint Pontifici, ut aiunt Suar. Sanch. Pelliz, et Salm. cum aliis privilegiis Sixti IV, S. Pii V., et Gregarii XIV. Salm. Tr. 18. c. 4. n. 29.

106. — III. Prælati Regulares habent Potestatem dispensandi cum suis Subditis in præceptis Ecclesiasticis, ut possunt Episcopi cum suis Diocesanis. Etenim ipsi habent quasi Episcopalem jurisdictionem, ut communiter docent DD. ex Clem. *Ne Romani*, de Elect. Salm. Tr. 18. c. 4. n. 31. cum Bonac. Pasq. etc. Et ideo possunt probabiliter dispensare in omni eo, quod non est specialiter Pontifici reservatum. Et præsertim in dubio, utrum res dispensatione indigeat, ut diximus. Salm. n. 33. Possunt etiam dispensare cum causa (sicuti semper supponitur) in Legibus Pontificiis, cum latae sunt pro aliqua Provincia, aut Monasterio particulari, quia tunc præsumitur data hujusmodi facultas; aut cum talis est consuetudo, aut quando non potest facile recurri ad Superiorem: aut quando agitur de rebus parvi momenti, quæ non obligant ad lethale peccatum, aut quæ frequenter accidunt, ut jejunia, abstinentia à carnibus; Festorum observantia, recitatio Officii; dummodo non dispensetur per longum tempus, ut dicunt Salm. cum Cajetano, Soto, etc. Et idem valet quoad Regulares Religionis. n. 34 et 35. Ita dicunt etiam Azor. Castrop. Salm. Trull. Macedo, etc. posse Superiores dispensare ad operandum diebus Festis tam cum Religiosis, quam servis domesticis, sed non cum extraneis, qui alioqui possunt operari pro Monasterio, si Monasterium sit pauper, ut aiunt Sylv. Fagund. et Salm. cum Pasq. Leandro, et aliis. Salm. Tr. 18. c. 4. n. 37.

107. — Quoad Divinum Officium notentur hæc privilegia, quæ habent Regulares. 1. Leo X. concessit Religiosis, ut possent recitare Horas privatim omnino mentaliter. (Sed P. Ferraris Biblioth. v. Offic. n. 101. citans Sporer, ait hoc privilegium esse

adulterinum), Præterea ut possint anticipare Officia longiora, et reservare brevia pro diebus majoris occupationis. 2. Clemens VII. concessit omnibus Regularibus infirmis (intelligitur de illis infirmis, qui per se non excusantur ab Officio) et Infirmariis posse satisfacere Officio recitando 6 aut 7 Psalmos (assignandos à Superiore) 7 *Pater*, et duo *Credo*. Et Martinus V. concessit convalescentibus, ut satisfacere possent dicendo illam Officii portionem quam judicaverit eorum Confessarius. 3. Innocent. IV. concessit Monialibus S. Claræ (et ita intelligitur pro omnibus aliis communicantibus) satisfacere Officio conversarum ob quamcumque rationabilem causam, v. g. si Religiosa non sit bene instructa juxta judicium Abbatissæ, aut Confessarii, in Officio Choristarum: aut si sit scrupulosa, aut ob labores lassata, aut occupata rebus utilibus, ut esset Religioso esse applicatum ad excipiendas Confessiones, prædicationi; aut studio Ecclesiastico pro majori diei parte. Etenim supponitur, quod privilegiis concessis Monialibus gaudeant etiam Religiosi *ad invicem*, ut dictum fuit num. 10. Animadvertunt insuper Salmant. hujusmodi privilegio eos posse uti etiam sine licentia Superiorum; fuit enim concessum sine ista conditione. Animadvertunt præterea, quod, si Moniales omitterent Laicarum Officium, utentes hujusmodi privilegio non peccarent lethaliter, quia tunc reputantur ut Laicæ, quæ sub mortali non tenentur ad sui Officii recitationem. Sed hoc non mihi placet, etenim hujusmodi privilegio Monialis non transit in qualitatem Laicæ, sed tantum Officium ejus Choristæ transit, et commutatur in illud Laicæ.

108. — V. Confessarii Mendicantium, et cæteri Regulares communicantes potestatem habent irritandi, remittendi, et dispensandi Juramenta, ac Vota. Possunt insuper dispensare cum conjugibus quoad impedimentum ad petendum debitum, propter incestum commissum cum consanguinea Conjugis, ut communiter aiunt Sanchez, Pontius, Salm. aliique contra P. Concin. ex multis privilegiis variorum Pontificum. Vide l. 6. n. 1076. v. *Insuper*. Animadvertendum est autem hæc, quod Confessarius debet in hoc obtinere licentiam specialem, saltem à Superiore inferiore sui Monasterii. Ib. v. *An autem*.

109. — Possunt præterea Confessarii Mendicantes dispensare cum conjugibus in voto castitatis elicto ante Matrimonium, ad petendum debitum, sicut etiam communiter dicunt. Castr. Hont. Sanch. Tourn. Wigandt, Salm. etc. ex privilegio S. Pii V. Et etiam in voto elicto post Matrimonium, uti rite existimant Sanchez, Salmantic. etc. (contra Pontium) ex aliis privilegiis, ex quibus possunt ipsi dispensare in omnibus votis, in quibus valent *de jure ordinario* dispensare Episcopi cum suis subditis. Vide Lib. 6. n. 987. v. *An autem*, et n. 1128. Id verò, quod magis ambigitur est, utrum in casu necessitatis possint dispensare cum Sponsis, ut possunt Episcopi in voto Castitatis ad contrahendum Matrimonium? Plerique affirmant, ut Anacletus, Vidal, Passeus, Henriquez. etc. quam sententiam probabilem judicant Salmanticenses,

et Elbel. Sed communiùs negant Layman, Barbosa, Sanchez, et Pontius, dicentes, quòd Regulares possint dispensare solùm in votis, in quibus valent dispensare Episcopi *de jure ordinario*, sed non extraordinario, ut in casu isto. Respondent autem adversarii, in casu necessitatis Episcopus etiam *de jure ordinario* dispensare, cùm sit hujusmodi potestas annexa eorum officio, dignitati, ut dictum fuit n. 34 et 41. Unde non possumus habere ut improbabilem primam sententiam. Vide Lib. 6. n. 1128 in fin.

110. — VI. Cùm Sæcularibus conceditur facultas deligendi sibi Confessarium, aut à Summo Pontifice, aut ab eorum Ordinario, semper supponitur, quòd sit Confessarius approbatus ab Episcopo; sed Regulares ex expressa, aut tacita sui Superioris licentia possunt confiteri cuicumque simplici Sacerdoti: quod communiter existimatur cum Suarez, Lugo, Salm. Tr. 18. c. 4. num. 49. Quare omnes Superiores Regulares possunt sibi eligere in Confessarium quemlibet Sacerdotem, ut etiam communiter dicunt DD. ex cap. ult. de Pœnit., et Rem. Idem verò, quod pro Religiosis, valet et pro Famulis Commensalibus Monasterii, uti habetur ex Trid. sess. 25. c. 11. ex quo possunt recipere à Religiosis Sacramenta Pœnitentiæ, Eucharistiæ, et Extremæ-Uctionis. Et idem valet quoad Novitios, qui *in favorabilibus* sub Religiosorum nomine veniunt, ut omnes latentur, et declaravit Sac. Congr. die 14 Augusti 1665. Quare ipsi possunt absolvi ab omnibus casibus ab Episcopo reservatis. Salm. n. 524; ut dictum est num. 95. Sed id non valet pro Equitibus S. Jacobi, et similibus, ut dicunt Salmanticenses cum communi, nam hujusmodi viget consuetudo. Ib. n. 58.

111. — Adnotandum insuper, quòd Religiosi peregrinantes, si habeant socium (dummodo sit idoneus) ejusdem Ordinis, illi confiteri debent. Si verò desit Socius, aut alius ejusdem Ordinis Sacerdos, tunc confiteri possunt cuilibet Sacerdoti idoneo Regulari, aut Sæculari: quod commune est apud omnes. Sed quæritur, utrùm talis Sacerdos approbatus in illo loco esse debeat? Ita volunt pauci quidam ut Wigandt, Concina, etc. Sed communissimè, et quidem rectè negant Suarez, Ronc. Castrop. Salm. Elbel, aliique. Et quia talis est consuetudo Religionum, quæ facit præsumere consensum Ordinariorum; et quia Innocent. VIII. absolutè concessit Religiosis peregrinantibus, ut, cùm non possent habere sui Ordinis Confessarium, « quemcumque alium Presbyterum idoneum Religiosum, vel Sæcularem eligere valerent. » Vide Lib. 6. n. 575.

112. — Dicunt insuper Lugo, D. 20. n. 86, et Salmanticenses, Tr. 18. c. 4. n. 124, cum Navarro, Soto, Castrop. Peyrino, Bossio, etc. quòd tempore Generalis Jubilæi possint Regulares, et etiam Moniales sine suorum Superiorum licentia confiteri Religiosis alterius Ordinis, licèt haberent Confessarium Ordinis sibi assignatum, ex pluribus Privilegiis, quæ referunt Lugo, Mendo etc. Vid. lib. 6. n. 788, v. *Notandum* 8.

113. — VII. Regulares, quoad Ordines, non recipiunt Litteras

Dimissoriales ab Episcopis, sed ab eorum Superioribus, aliter graviter peccant, et incurrunt suspensionem. Attamen quoad recipiendos Ordines, primò S. Pius V ipsis concessit Privilegium recipiendi Ordines à quocumque Episcopo; sed hoc revocatum fuit per Gregorium XV. Quæ abrogatio confirmata est à pluribus aliis Pontificibus, et nuper à Benedicto XIV. Bulla *Impositi*, etc. anno 1747, qua præterea præcipitur, ut, si loci Ordinarius Ordinationem tenet, ab ipso debeat examinari, et ordinari Religiosus: quòd si Episcopus absit, aut non habeat Ordinationem, potest ordinari ab alio Episcopo; sed tunc requiritur attestatio authentica vel Vicarii Generalis, vel Secretarii, aut Cancellarii ipsius Episcopi, qua constet, aut vel ipsum abesse à Diœcesi, vel Ordinationem habiturum non esse proximo legitimo tempore per leges Ecclesiasticas statuto. Et præcipit idem Pontifex, hoc expressè declarandum esse, ut cognoscatur, quòd non sufficit, ut dicatur Episcopus Ordinationem non habiturus, si accedant extra tempora; aliter easdem subdit pœnas, quas subeunt, qui sine Dimissorialibus Litteris ordinantur. Insuper vetatur Religioso, ne alibi data opera permaneat, ut eximat se ab examine Episcopi loci, ubi priùs morabatur. Religiosi verò morantes in Diœcesibus, quæ sunt nullius, ordinari debent ab Episcopo viciniore. Vide Lib. 6. n. 768. et n. 788. o. *Notandum* 8.

114. — Quæritur hfc 1 à quo debeant ordinari Novitii? Dicunt Suarez, et Henriquez, ab Ordinario aut Originis, aut Domicilii: Sed Sanchez, Castrop. Delbene, et Fagnanus cum aliis existimant, quòd possint ordinari ab Ordinario loci, ubi est Novitiatus. Rectè dicunt La Croix, et P. Mazzotta, utramque sententiam esse probabilem, dummodo (quoad hanc secundam) Novitius animum habeat, quantum in se est, perpetuò permanendi in illo Monasterio in quo est, et hac de re juramentum præbeat, ut præcipitur in Bulla *Speculatores*. Ibid. n. 765.

115. — Quæritur secundò, utrùm Religiosi possint ordinari *extra tempora*? Negant Vasquez, Lezana, etc.; etenim aiunt, quòd, etsi Gregorius XIII. id concesserit Jesuitis, attamen prohibuit communicationem. Sed hodie non ampliùs est in dubium revocandum, quin possint tam ex multis Privilegiis concessis aliis Religionibus, quàm ex Declaratione nuper facta per Bened. XIII. in Conc. Romano (Tit. 5. c. 2.) in quo statutum fuit, quòd talia privilegia, "in suo robore persistent, nec eis derogatum fuisse" constet. Ibid. o. *Dub.* 3.

116. — Quæritur tertio, Utrùm cum ordinantur Regulares *extra tempora*, valeant ordinari quocumque die, in quo fit Officium duplex, etiamsi non sit Festum de præcepto? Affirmant Fagundez, Villalob. Diana etc., et dicunt esse probabile Suarez, aliique; quia Alexander VI. cum ageret de hujusmodi Privilegio dixit posse ordinari *diebus Dominicis, sive Festivis Duplicibus*, at non dixit de *præcepto*. Hanc opinionem rejicere non audeo, existimò tamen probabiliorè oppositam cum Lug. Morin. et Escobar., quia Gregor. XIII. agens de eodem privilegio declaravit,

dicens, *diebus Dominicis, et Festiis diebus*, et non dixit *duplicitibus*: Dies Festivus propriè accipitur ille, in quo vetantur opera; unde intelligitur de præcepto. Et revera usus obtinet quoad omnes eos, qui Dispensatione ordinantur, *in tribus diebus Festiis*, pro quibus valet eadem regula. Vid. Lib. 6. n. 797. v. *Dub. 4.*

117. — Quoad potestatem verò conferendi Ordines, olim Abbates Regulares ex concessione ipsis facta in Synodo VII. (sicuti habetur in Can. Quoniam Dist. 169.) poterant ministrare Tonsuram, et Ordines Minores, non solum suis subditis Religiosis, sed omnibus aliis. Attamen per Trid. sess. 23. c. 10., huiusmodi potestas fuit ipsis limitata pro solis Regularibus subditis. His tamen non obstantibus plerique DD. sustinuerunt, Abbates, saltem Mitratos (ut existimant Salm. et adducunt plura S. C. Decreta) qui possunt Pontificalia exercere, posse ordinare etiam Sæculares suos subditos, et etiam alios, habentes Dimissoriales Litteras suorum Ordinariorum; nihilominus omnes istæ opiniones locum ampliùs hodie non obtinent post Decretum S. C. approbatum ab Urbano VIII. die 17 Jan. Anno 1642, quo rejecta quacumque contraria sententia, prohibitum fuit Abbatibus, ne Ordines conferrent, vel Litteras Dimissoriales concederent aliis, quàm solis subditis Regularibus; iisque contrarium facientibus suspensio imposita fuit. Excipiuntur tamen plerique descripti in Cancellaria Rom. qui Privilegium habent Dimissoriales Epistolas concedendi, ut Abbas Montis Cassinensis, Abbas Cavensis, etc. Vid. Lib. 6. n. 763.

118. — Quæritur hîc 1. utrùm Abbates habentes jurisdictionem pene Episcopalem in aliquo territorio separato, possint ordinare suos subditos Sæculares? Molfesius apud La-Croix Lib. 6. p. 2. n. 2236, affert Declarationem affirmativam S. C. Sed Benedict. XIV. De Synod. l. 2. c. 11. n. 14, refert alteram contrariam, et idem affert decisum P. Zacharia apud La Croix loco citato.

119. — Quæritur 2. utrùm Abbates, qui possunt ordinare subditos Professos, valeant et Novitios? Negant Castrop. Barb. Sayrus etc. Communius autem, et probabilius affirmant Suar. Laym. Sanch. Escobar et Salm. cum aliis, quoniam in *favorabilibus* regulariter sub Regularium nomine veniunt etiam Novitii ut diximus. Vid. lib. 6. num. 764.

120. — Quæritur 3. utrùm Ordines collati ab huiusmodi Abbatibus, Sæcularibus, aut Regularibus non subditis, sint validi? Negant Suar. La Croix, etc. Sed affirmandum est cum Sanch. Salin. Tamb. Pelliz. etc., quia hæc facultas (ut diximus) olim fuit concessa Abbatibus; Et à Concilio deinde, et Decreto Urbani vetitum illis fuit tantùm facultatis exercitium: unde ipsi illicitè, sed validè ordinant. Et quòd ita se res habeat, apparet ex eodem Decreto Urbani, quo ordinatis imponitur suspensio. Pro validis itaque habentur Ordines iis collati. Et ita decisum pluries per S. C. affert Benedict. XIV. De Synodo lib. 2. c. 11. n. 13.

121. — VIII. Quoad celebrandam Missam, et ministrandam

Eucharistiam, olim ex Privilegiis Sixti IV. Alexandri VI. et Urbani VIII., poterant celebrare in Altari portatili, tam in suis Domibus, quam in suis ruralibus domibus valgò Grancie, etiam contradicente Episcopo. Salm. Tract. 15. c. 7. n. 79. Sed Clem. XI. Anno 1703, suo decreto declaravit, quòd omnia eorum privilegia celebrandi in Altari portatili revocata sint per Tridentinum. Itemque declaravit Benedict. XIV. in Bulla *Magno* § 29. Nec possum assentiri P. Mazzottæ dicenti, huiusmodi prohibitiones intelligi factas quoad Domoſ privatas, sed non quoad proprias Religiosorum; nam in Decreto Clementis agitur de Privilegio celebrandi *in locis, in quibus degunt*; Loca autem, in quibus degitur, sunt Domoſ propriæ, non alienæ. Innocentius insuper XIII. Anno 1723, in Bulla *Apostolici Ministerii*, quæ cum ab ipſo pro cleri Hispanici reformatione tantum edita esset, confirmata fuit ann. 1724, à Benedicto XIII. in Bulla, « In supremo pro toto » orbe, prohibuit, ne in privatis Regularium Cellis, seu Cubiculis erigatur Altare, remota quacumque in contrarium consuetudine. » Vid. l. 6. n. 360, v. *Hanc*. Sciatur tamen, quòd Greg. XIII. concessit Provincialibus Jesuitarum facultatem deputandi publica Oratoria in suis Ecclesiis, in quibus omnes possunt celebrare, etc. Apud Merat. p. 1. tit. 20 ad lit. F.

122. — Ex privilegio Greg. XIII. possunt Regulares celebrare una hora ante Auroram; quare valent celebrare Missam tribus horis ante solis ortum; ita Lugo, Suarez, Rodriquez, et Salm. tractat. 15. c. 7. n. 94. Imò cum adest aliqua justa causa, possunt celebrare immediate post duas horas post mediam noctem ex Privilegiis Alexandri VI. et Clementis VIII. Et huiusmodi privilegia dicunt Lugo, Rodriquez, Diana, Narbona, et Salm. cum aliis non esse revocata per Tridentinum Sess. 22. de evitand. etc. Monent tamen prædicti DD., id valere tantum pro Ecclesiis propriis; in quibus tamen (subdunt) possunt huiusmodi privilegio uti etiam Sacerdotes Sæculares. De Lugo de Euch. D. 20. n. 27. et Salm. ibid. n. 95. Insuper Eugenius IV. concessit Regularibus licentiam celebrandi tribus horis post meridiem, iustâ tamen ex causa: attamen Azorius, Fagundez, aliique dicunt, huiusmodi Privilegium fuisse revocatum per S. Pium in Bulla, Amantissimus Anno 1566, cujus rei Lezana assert declarationem S. C. Sed his non obstantibus, dicunt Lugo, et Salm. cum Aversa, Dicastillo, Narbona, Diana, etc. authenticè non constare de revocatione S. Pii, qui locutus fuit de Missis tantum, quæ celebrantur *de sero, etiam forsàn circa solis occasum*; Unde dicunt, vigere Privilegium Eugenii IV., et ut quis illo utatur, sufficere quamcumque mediocrem causam, ut convalescentiæ, studii, et similibus.

123. — Quo verò ad ministrandam Eucharistiam Paulus III. aliiq; Pontifices concesserunt Regularibus facultatem ministrandi in suis Ecclesiis omnibus Fidelibus. Excipitur tamen, 1. Si Episcopus rationabiliter prohiberet aliquem, ne Eucharistiam sumeret. Excipitur 2. Communio in mortis articulo, aut

periculo dummodo non adsit extrema, aut gravis necessitas, et Parochus nequeat, aut nolit ministrare; Lugo, Roncaglia, etc. Vid. l. 6. n. 239 et 240. Excipitur tertiò Communio Paschalis; id est illa, qua Præcepto satisfit, ut communiter aiunt Filliucius, Sa, Busembaum, etc.

124. — IX. Quoad facultatem concionandi, olim Regulares ex Clementina *Dudum* de sepult. poterant liberè prædicare in suis Ecclesiis, et in Plateis; sed Tridentinum Sess. 5. c. 2. statuit, ne in alienis Ecclesiis prædicare possent sine licentia Ordinarii, et in Ecclesiis propriis sui Ordinis, antequam benedictionem petant ab Episcopo. Quare Religiosi, ut in suis concionentur Ecclesiis, sufficit, ut petant Benedictionem, et si illa denegetur, ut dicunt Lezana, Pelliz. Bordonus, Salm. Tr. 18. c. 4. n. 178. cum aliis, adducto Decreto S. C. Sed hujusmodi Benedictio, ut dicunt Salmanticenses, non requiritur, ut prædicent per Plateas: nam Concilium loquitur solùm de Ecclesiis. Semper tamen debent Regulares habere approbationem suorum Superiorum, qui peccarent, si nullo eorum præhabito examine, iis prædicare permetterent. Salm. ibid. n. 176 et 177. Possunt autem Superiores committere etiam simplicibus Clericis Tonsuratis, ut prædicent, ex privilegio Gregorii XIII. Licet S. C. generaliter declaraverit, prædicationem posse committi cuicumque Tonsurato. Ibid. n. 174.

125. — Quò verò ad Ecclesias alienas, ut dictum est, Regulares ibi prædicare non possunt sine venia Ordinarii, nisi id esset pro duabus, aut tribus vicibus ut dicunt Navarrus, Barbosa, Diana, Salmanticenses, alique; aut dummodo Ordinarius non maneret inibi, et Religiosus aliquis transeunter ibi esset; quia tunc potest illi licentiam Parochus concedere prædicandi uti concessit Gregorius XIII. Salm. cit. c. 4. n. 184. Quando tamen Ordinarius veniam concederet, Religiosus valet concionari in Parochiis, etiam contradicente Parocho, et quia Ordinarius est Parochi Superior; et quia id fuit expressè concessum per Alexandrum IV. Ib. n. 179.

126. — Quæritur 1., utrùm liceat Regularibus concionari contradicente Episcopo? Quando sunt alienæ Ecclesiæ, et Episcopus ab initio veniam denegat, procul dubio non licet. Sed si Episcopus jam concessisset licentiam, et inde vellet eam revocare atque Ecclesiæ essent propriæ, dicunt Peyrinus, Vega, Pellizzarius, et Salm. cum Diana, etc. Ib. n. 171. posse prædicare. Sed huic obstat quòd in Tridentino statuitur sess. 24. c. 4. nullus Sæcularis « sive Regularis contradicente Episcopo prædicare » præsumat. » Obstat insuper Bulla Gregorii. XV *Inscrutabili*, in qua statuitur, Episcopum, ut Delegatum Apostolicæ Sedis, posse punire Religiosos, qui in alienis Ecclesiis suorum Ordinum non petita Benedictione, aut ipso contradicente, prædicare præsumperint. Sed respondent Salmanticenses, quòd tam prædicta Bulla, quàm Concilium accipienda sint juxta id, quòd statuitur in Clementina *Dudum* supra citata, qua prohibetur prædicare, quando prædicat Episcopus, aut quando solemniter coram ipso prædicatur. Et ita decisum referunt per S. C. Episcoporum, et Regula-

rium die 30 Januar. 1629. apud Barbosam, in Trident. Sess. 5. c. 2. n. 19. Cum ego tamen observassem Barbosam loco citato, inveni, quòd S. C. declaratio fuerit solummodo quoad Conciones in Ecclesiis propriis Regularium; Unde quoad Ecclesias alienas mihi non videtur probabilis supradicta responsio.

127. — Quæritur 2, utrùm Episcopus valeat examinare Religiosos petentes veniam concionandi in Ecclesiis non propriis? Sacr. Cong. apud Barbosam l. c. n. 20. die 12 Jan. Anno 1628. statuit affirmativè; sed negant Salm. cit. c. 4. n. 186. cum Pellizzario, Bordonò, Diana, Peyr. etc. ex Bulla Leonis X. *Supernæ*, in qua statutum fuit, ut nemo ad concionandum admitteretur, « nisi priùs per Superiores suos respectivè examinatus, » et deinde declaratum fuit ibidem, quòd Religiosus approbationem sui Superioris ostendere deberet. Respondent deinde Salm. cum Pellizzario, et Granado, supradictam contrariam S. C. declarationem non amplius quàm probabilem præ se ferre sententiam; unde non esse præferendam Bullæ Leonis. At, inquam, saltem probabile est ex dicta Declaratione, quòd Episcopus valeat examinare, et aliter negare possit licentiam. E contrario Bulla Leonis prohibet Episcopis, ne admittant Religiosum non afferentem approbationem sui Superioris, sed non vetat illum examinare, si velit, et negare veniam, si ipse renuat examinari.

128. — Animadvertendum tandem est, Ordinarium ex Concilio Lateranensi V. posse suspendere, et punire Concionatores Regulares in tribus Casibus, in quibus immo ipsi ipso facto suspenduntur à concionando; 1. Si prædicent miranda falsa, aut incerta. Si prædicent Prophetias non fundatas in Sacra Scriptura, aut non approbatas à Sede Apostolica. 3. Si prædicando detrahant Episcopis et suis Superioribus. Insuper ex Trident. Sess. 5. c. 2. Episcopus potest suspendere, et punire Regulares illos, qui prædicant propositiones hæreticas, erroneas, aut scandalosas. Salm. Tr. 18. c. 4. n. 188. Demum adnotandum, quòd Urbanus VIII. in Constitut. *Alias felicitis rec.* etc. adnotata 11 Apr. 1635. (in extensum relata apud P. Ferrar. Bibliothec. tom. 3 verb. *Oracula* p. 351. n. 9.) revocavit omnia privilegia ab Antecessoribus Regularibus concessa *viva voce oraculo*, exceptis iis, quæ testificata fuerint per Ministros, quibus vi sui Officii fides adhiberi solet.

APPENDIX III.

DISSERTATIO

DE JUSTA PROHIBITIONE ET ABOLITIONE LIBRORUM NOCUM
LECTIONIS,

**Brevi calamo plura continens, quæ diffusè ab
Auctoribus tradita sunt.**

NUPER in duas offendi Epistolas calamo exaratas, in quibus saluberrima ac pernecessaria Ecclesiæ disciplina circa librorum prohibitionem perperam impetitur, et temerè assertitur, licitum esse, Ecclesiæ lege non obstante, modò evidens non appareat periculum subversionis, libros quoscumque perlegere. Epistolarum Auctores his duabus falsis fulciuntur rationibus : prima, quia lex prohibitionis librorum non procul ab hisce temporibus invecta est in Ecclesiam, sed prisca disciplina non comprobatur. Secunda, quia Ecclesia in hac re nec canonicè procedit, nec recto juris ordine servato, et ideo hujusmodi lex obligare nequit. Miratus sum quidem, novas hasce opiniones tam perfrecta fronte ab Auctoribus Epistolarum obtrudi, cum satis compertum sit, disciplinam, qua pravorum librorum lectionem Ecclesia prohibet, à primis usque Sæculis semper et constantissimè viguisse : tum etiam Ecclesiam Catholicam in hujusmodi librorum proscriptione accurato semper examine, rectoque ordine processisse, et nunc quoque procedere. Hinc aggressus sum rem hanc funditùs ad trutinam revocare : præsertim cum experimento constet, ex præfatis pravis opinionibus auctoritatem Ecclesiæ non minimùm labefactari, et Fidelium mentes ab obsequio Ecclesiæ Definitionibus debito valde retrahi ; ex quo deinde in alios errores contra Fidem et mores miserè et de facili incidunt, cum immensa Animarum strage. Ac proinde operæ pretium duxi in publicam lucem hanc Dissertationem edere, in qua primùm ostendam necessitatem prohibendi libros omnes, qui errores in legentes ingerere possunt : deinde hanc Ecclesiæ legem vetandi libros ab ejus incunabulis usque nunc continuato semper usu firmatam fuisse : tertio demonstrabimus, quàm prudenter et ordinatè in hujusmodi prohibitionesemper Ecclesia processit, et procedit. Tandem quorundam confutabimus inanes objectiones Hæreticorum, à quibus postmodum Catholici aliqui minùs cautè effata quædam sunt mutuati, quæ deinde imprudenter in vulgus maxima cum Fidelium pernicie prodiderunt.

CAPUT I.

**Demonstratur utilitas ac necessitas prohibendi
libros noxiæ lectionis.**

I. Hæreticos homines omni modo et studio evitare speciale Domini mandatum est, tam in Veteri (Deuteron. c. 16.) quam in novo Testamento (Rom. 19. et ad Tim. cap. ult.) Præsertim S. Joannes scripsit: « Si quis venit ad vos, et hanc doctrinam » non affert, nolite recipere eum in domum, nec Ave ei dixeritis. » Joann. 1. 10. Sapienter enim dixit S. Paulus: « Verba eorum » multum proficiunt ad impietatem, et sermo eorum ut cancer » serpit. 2. » Tim. 10. Hinc Joannes maximè satagit se cavere ab Ebione; horruitque adhuc balneum, quo Cerinthus usus fuerat. Vid. Baron. ad ann. 44. n. 8. et 9. Eodem modo se gessit Polycarpus cum Marcione. Eus. Hist. l. 4. c. 13. Eusebius Vercellensis potius fame destitui se patiebatur, quam ex Arianorum manibus panem accipere. Apud Baron. ad ann. 356. n. 96 Cyprianus loquens de quibusdam excommunicatis, sic oves suas commouit: « Ne fallacibus verbis consensum facillè commodetis, ne » pro luce tenebras, venenum pro remedio, mortem pro salute » sumatis... Procul ab hujusmodi hominum contagione discede, » dite, et sermones eorum velut cancer, et pestem fugiendo, vitate. » De S. Cyprian. Edit. Pamel. Ep. 40. aliàs 8. l. 1. Porro, quòd ab omni cum Hæreticis et Excommunicatis commercio Fideles abstinerent, semper in Ecclesia custoditum fuit, ut testantur S. Ephrem de Virtute c. 8. Alexander Alexandrinus, Ep. ad Alexandr. Epis. S. Athanasius, in vita S. Ant. Abb. S. Leo, Ser. 5. de Jejun. et sic pariter Concilia, Pontifices, et Patres omnes.

II. Si igitur pravum Collocutorem devitare tam instanter ab Ecclesia semper præceptum fuit, quòd magis se cavere oportebit à libro pernicioso, qui valde plus quam sermo potest Lectores corrumpere? Si verbum, quòd statim avolat, serpit ut cancer, et ad mortem vulnerat: quid mali non afferet liber improbus, qui potest evadere perpetuus fons subversionis? Nefarius liber quascumque potest penetrare domos, ad quas Auctor nunquam fortè aditum posse habere. Si Religio, et publica quies consistere non possent, ubi perversi Homines permetterent prava dogmata evulgare, aut perniciosas ingerere opiniones contra receptas morum regulas, ut dicitur in l. Congruit ff. de Offic. Præsid. quòd minus salva consistere valebunt, ubi hujusmodi Nebulones permitterentur eadem latius disseminare scriptis, ipsaque comprobare captiosis argumentis, quæ longè magis perlecta, quam audita nocent. Quidquid enim legimus, mentem validius occupat, ac facilius ad cor pertransit. Sicut sancta lectio virtutes fovet, sic contra lectio prava ad vitia impellit, et fortius impellit, cum ad vitia procliviores sint Homines, quam ad vir-

tutes. Bene S. Basilius libros appellavit *Cibum animarum*; quia sicut cibus delectabiliter ingreditur in hominem, et deinde fit proprius hominis sanguis; sic liber cum legitur, delectabiliter legitur (quis enim leget invitus?) et sic de facili fieri solet res propria Lectoris. Præterea, qui ad Auctorem legendum accedit, illi pene Discipulum se tradit, ipsique cor docile, et benevolam offert; et ideo facile ab illo decipi potest; valde enim difficile est, quod Lector aliquo amore erga Auctorem illum non afficiatur: ex quo deinde facile eveniet, ut impietas, et error latens hauriatur insensibiliter, et tenaciter postea retineatur.

III. Adde, quod impii Scriptores magno quidem studio errores suos ita ornent et colorent, ut non solum simplices, sed etiam docti decipiantur. Illos enim nunquam (saltem sub initio) aperte produnt, sed eos variis speciosis rationibus, eruditionibus, ac lepore vestiunt et liniunt, sicque letale venenum ingerunt. Quandoque sanctitatem ac zelum præ se ferunt, sollicitudinem de publico bono affectant, canonesque perfectionis tradunt, sed latet anguis in herba. Spectabis eos innumeras Scripturæ et Patrum sententias, et exempla afferre, sed cuncta, vel adulterata, vel perperam interpretata. Ita Hæretici decipere plures consueverunt, scientes, fætores suos nulli citò fore placituros, si nudi exhalentur; et ideo illos cœlestibus eloquiis velut quibusdam aromaticis condiunt, ut alii impietatem horrentes, Divina non facile oracula contemnant. Hinc Salvator clamabat: « Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. » Matth. 7. 15. Quid est *Vestitus ovium*, nisi sumulatio pietatis, qua captiosi Scriptores callidè se induunt? Quid *Lupi rapaces*, nisi sensus Hæreticorum, qui gregem Christi dilaniant? Vide, inquit Origenes, « ne te decipiat fulgor operis, ne te rapiat sermonis pulchritudo. » Pariter ait S. Gregorius: « Hæretici permiscentes recta perversis, ut ostendendo bona, Auditores ad se trahant; et exhibendo mala, latententi eos peste corrumpant, » tom. 1. l. 1. Mor. c. 11.

IV. Sed valde refert hęc afferre verba cujusdam docti Hæretici, Abraham Le Moine in Traductione trium Epist. Pastor. Episcopi Londinensis ann. 1730. qui loquens de pluribus libris in Angliã editis Atheismum sapientibus, sic ait: « Libri hujusmodi, cum incidissent in manus gentis innumeræ, malum peperere infinitum. Et eò magis, quò prima facie exornati apparent ex fine et ratione laudabili. Contra incredulitatem, quæ se palam prodit, quisque se vertit. Sed Auctores isti Angli sub specie deferendi Evangelicam veritatem, difficultatibus suis ejusdem fundamenta submovent, ac principia diruunt, nihilque omitunt, quo ejusdem argumenta reddant valde suspecta. Virus evomunt, eò magis lethale, quò subtilius, et magis abditum. Diu inde dementati homines bibunt; nihil autem ibi vident, quia nihil suspicantur. Vellicationes etiam ac eruditiones miscent, ut melius visco obliniant. Et quoniam delectat novitas, et exigua est Religionis instructio, inclinatio verò ad pravitatem

» tem nimia, non est mirum, si libri hujusmodi spiritum ac corda
 » pervertant illorum, qui incaute perlegunt. Sermo incredulo-
 » rum ferit: Lectores implicantur, egrediuntur scrupuli, et tan-
 » dem fiunt increduli inopinato. Effræna inde mentis libertas im-
 » moderatam necessario, ac irresistibilem creat cordis licentiam; hæc
 » passionibus indulget, ac vitiorum dilatat imperium. Hinc
 » verè dici potest, magnam hanc Civitatem (nempe Londinum)
 » nunquam eò usque fuisse depravatam, sicut est hodie. Et qui-
 » dem pene Status omnes Europæi, et Regna nimis infeliciter
 » conspiciuntur infecta; sed essent absque dubio ampliùs, si esset
 » in illis libertas, quæ in nobis est cogitandi, scribendi, ac le-
 » gendi. » Hactenus ille. Quippe hujus Hæretici querela præfata,
 et exclamatio vel sola sufficit ad ostendendum, quàm sit necessa-
 rium ad Religionem, et publicam pacem fovendam libros perniciosos
 interdicerè. Atque utinam falsum esset illud, quod præfatus
 Auctor ultimo loco asserit, nempe etiam apud Catholicos pestem
 Atheismi plures infecisse. Et hoc cui tribuendum, nisi damnatorum
 librorum improbæ lectioni? Alii quoque Angli cum Hæretico relato de suæ
 gentis communi contagione fortiter conquerrunt; sed interim minimè
 curant exitiosam scribendi et legendi libertatem comprimere. Tempore,
 quo Anglia Romanæ Ecclesiæ obtemperabat, nulli quidem ibi lugebantur
 Increduli, nulli Athei, Deistæ, vel Latitudinarij nulli, eò quòd nulli
 ibi edebantur, et nulli legebantur, qui talia docerent, libri.

V. Nunc præstat id exemplis confirmare. Testatur B. Dionysius Alexandrinus, apud Baron. libros noxios Nepotis Episcopi in partes Kiliastarum pene adduxisse Orientem. Bardasanes Syrus in Mesopotamia, ad Fidem jam conversus, ita olim fuit pietate conspicuus, ac sollicitus in exagitandis Hæreticis voce et scriptis, ut Catholicis admirationi haberetur, sed ubi Valentinianorum quædam volumina legit, non tantum eorum subscripsit erroribus, sed alia atrociora paradoxa finxit, et sic innumeros Homines seduxit. *Vide Ephraim Chamber in Cyclop. verb. Bardasanitæ.* Item testatur Sanctus Hieronymus, in Isaiam lib. 18. c. 64, quòd Hispania et Lusitania non contaminatæ fuerunt, nisi cum ibi libri Priscillianorum fuerunt vulgati. Pariter S. Turibius in suis ad Idacium, Ceponium, et B. Leonem epistolis corruptionem Iberiæ, et Galliæ Narbonensis deplorat, ob quosdam nefarios libros quos unicam dicebat causam fuisse tantæ stragis. Eutyches invictus antea Fidei defensor, ad unam lectionem libri cujusdam Manichæi mutatus est in infandum Caput innumerabilium Hæreticorum. Vide Anastas. Sinaït. lib. contra Acephalos c. 6 et 14. Postea ille in Monasterio detentus mutire coactus est, sed ejus scripta, ipsius silentio non obstante, ad Orientem corrumpendum progredi non cessarunt. Julianus Hali-carnassæus in Caria ex lectione librorum Valentini à Fide similiter miserè defecit. Anastas. ib. Sic et Avitus, Presbyter Hispanus, legendo scripta Origenis, quamvis simul legeret ipsorum confutationem, et per Hieronymum admonitus fuisset ab erroribus se

cavere, virus tamen rejecta monitione lethaliter absorbit. Baron. ad an. 144, n. 4. Luctuosius Henricus Bulincerus Doctor catholicus, olim piissimus, imò perfectionis cupidus, mox ad Carthusianos ingressurus, in librum incidit Melanctonis, à cujus lectione licet Divina voce interiùs exterritus, tamen ad legendum à Dæmone impulsus, egit, et cecidit: sicque ex probò Dei Ministro infelix minister Satanæ evasit. Vide Diction. Portat. verb. Zuinglius. Hieronymus Wicleff post multos improbos suos labores in Anglia editos, donec ore docuerit, nihil pene nisi impropria reportavit, et paucissimos fecit sui erroris sectarios; at ubi nefarios suos libros diffudit, totam, quam nunquam vidit, Bohemiam perdidit, potumque venenatum et aliis tradidit; cum enim Joannes Hus Wicleffi libros à quodam Bohemo, qui Oxoniæ studuerat, accepisset, eorumdem impiam doctrinam undique disseminavit: *Cocleus in Hist. Hussitarum*. Vid. etiam Bon. Blacciot. in Notis ad Thom. Waldens. ad Doctr. 6. Wicleff. Omittimus, ne longiores simus, alia similia exempla, quæ in historiis passim inveniuntur. Cæterùm Eruditis cunctis patet, novas Hæreses fere semper exhaustas, et exscriptas fuisse ex libris aliorum veterum Hæreticorum.

VI. Hinc Concilia, Pontifices, ac pii Principes, et calamo, et voce, et censuris, et aliis pœnis toti fuerunt ad extirpandos libros, qui Fidem, aut mores quoquomodo inficere potuissent. Hinc Patres in suis scriptis magnopere sunt conati avertere Fideles ab hujusmodi Librorum lectione. Origenes eos, qui libros impudicos aut impios injustè revolvunt, ejusdem culpæ asseruit reos, quàm qui carnes falsis Numinibus oblatas manducarent. Orig. Hom. 20. in Num. S. Isidorus scripsit, impia scripta legere, idem est ac thus immolare diabolo; additque, non licere Christianis legere figmenta Poetarum, quia per illa mens ad libidinem incensa exciatur. S. Isid. in c. Ideo 15. dist. 37. S. Hieronymus ait: « Nemo » in perforatam intrat cymbam, ut discat vitare naufragium; et » ad hæresibus plenum volumen animam diriges immunem doli, » ut ibi discas catholicam veritatem? S. Hier. Ep. ad Lætam. » Fortiùs Tertullianus: « Nemo inde strui potest, unde destrui- » tur: Nemo ab eo illuminatur, à quo contenebratur. » Ter. de Præs. c. 2. Etiam impius Lutherus Librum edidit de abolendis scriptis pravæ doctrinæ. Vid. Steidanum lib. 2. Calvinus pariter ejulabat adversus malos libros, Braschius de lib. Eccl. t. 3. c. 26. n. 5. Notum est etiam, libros Michaelis Serveti ann. 1552, unà cum impio Auctore Genève fuisse, Calvino instante, concrematis. Ipsi Gentiles, sola duce ratione, aut experientia, idem de malis scriptis extirpandis judicium protulerunt. Plato hinc necessarium duxit, ut Libri, priusquam ad alios pertranseant, Sapientum examini subjiciantur.

VII. Quippe apud omnes Nationes cultas mos abolendi libros noxiæ lectionis semper invaluit. Apud Hebræos Joakim, cum per Baruch librum accepisset à Jeremia transmissum, timens, ne Judæis scandalo esset, ignibus dari jussit. Vid. Bodinum lib. 2.

Dæmonomania. c. 2. Rex etiam Herodes omnes hebraicarum originum Codices concremari voluit, utpote paci publicæ adversos, Euseb. Hist. lib. 1. c. 8. Apud Syros Antiochus Epiphanes publico Edicto præcepit libros Hebræorum comburendos, I. Machab. 1. 5. Joseph. Hebr. lib. 12. c. 7. Apud Athenienses Protagoras ex Senatû Consulto undique exterminatus est, ejusque scripta publicè igni tradita, quia in illis de existentia Deorum dubitabatur, Cicero lib. 1. de Nat. Deor. et Lactant. de Ira Dei cap. 9. Apud Græcos pariter concremati fuerunt libri Epicuri, Erasm. in Prov. Ficuln. Apud Romanos, cùm quidam Bubulcus aratrum trajiciens in arcula sepulchrali Numæ volumina reperit, ubi Numa de cultu Deorum non bene (licet verè) sentiebat, Senatus jussit illa igni tradi, Valer. Max. lib. 1. c. 1. et Plin. lib. 13. c. 13. Marcus Æmilius certior factus de multitudine librorum, qui Romam intromittebantur, jussit ore Præconis omnia concremanda scripta, ubi novi ritus et preces continebantur. Testatur Arnobius l. 3. apud Baron. ad an. 302. n. 19. Romanos petiisse, ut extirparentur libri Ciceronis de Natura Deorum, ubi Cicero de ipsorum Religione patenter malè sentire jam videbatur. Plura item Romana jura habentur, ubi jubetur exterminandos libros improbæ lectionis, Lib. 10. §. Tantumdem, ff. Fam. ercisc. cap. 4. Ceteræ Paul. Sent. lib. 5. tit. 23. ad L. Cor. l. Quicumque, 1. Damnato, infra laudandis. Præterea testatur Livius lib. 10. Dec. 10. apud Romanos Pontifici Maximo demandatum esse de scriptis agnoscere, eosque damnare, et comburere. Item Imperator Augustus supra duo millia combussit libros, ubi nullus Auctor, vel parùm idoneus legebatur: Sueton. in August. et Niceph. lib. 13. Idemque Cæsar cavuit, ne legeretur liber de Arte amandi, ejusdem Auctorem Ovidium in exilium misit.

VIII. Et hîc maximè advertendum, quòd multo studio Episcopi et Parochi curare debent, ut removeantur à suis ovibus libri obscæni, aut de vitioso amore tractantes, quos sapienter vocat Origenes, *Calices Babylonis venena propinantes*; et S. Augustinus *Ranas ascendentes de ore bestia.* Etiam Gentiles hujusmodi putida scripta execrabantur. Plato aiebat, impudicos libros omnino à Civitatibus arcendos. Apud Lacedæmones, et per totum Spartianorum dominium, vetitum fuit legere ac retinere libros Archiloci, eò quòd obscænum quid continebant, Valer. Maxim. lib. 6. c. 13. Fama est, ut tradit quidam Auctor, Beyerlingh. Cyclop. verb. Liber, pag. 78. litt. D. Virgilium opus suum propter confictam Didonis impudicitiam, præcepisse jam morti proximum in ignem injici. Plures hujus farinae libelli, dicti Romanenses (vulgò Romanzi,) undique hodie per domos circumferuntur, et per manus simplicium Adolescentium circumeunt. Horum Romanensium primus inventor fuit Heliodorus Phœnix Episcopus Tricensis in Thessalia, ut enarrat Nicephorus. lib. 12. c. 34. Hic cùm talem Romanensem tempore suæ juventutis inscripsisset, cujus lectio facile poterat Juvenes impellere ad extiosos amores, Synodus Provincialis, cognito hoc periculo, eam Helio-

doro imposit conditionem, ut vel opus suum traderet flammis, vel Episcopatu renuntiaret; at ille maluit suæ dignitati cedere, quam opus suum destruere.

IX. Hujusmodi Romanenses non sunt quidem universè damnati de jure Ecclesiastico, nam in Indice (Regula 7) tantum damnantur « libri, qui res lascivas ex professo tractant, aut docent; » tamen de jure naturali, ut optinè advertit quidam doctus Auctor, *Continuator Tournely*. tom. 3. Decal. cap. 1. a. 1. sæpe sunt per se vetiti propter grave damnum, quod legentibus inferunt; in ipsis enim virus quanto minùs patet, tanto magis nocet. Scribit de hujusmodi libellis Alexander Tassoni, lib. 7. *Pensieri diversi c. 11. col leggere accidenti, è stratagemmi amorosi, particolarmente nelle solitudini, è negli ozi, si appresentano fantasmi oscenti sotto apparenza di diletto, è l'ingegno vi si abbandona*. Porro ipsi non aperta impudicitia scatent, sed animum ad profanos amores mirabiliter incendiando, illum obtenebrant, à Deo alienant, et vehemènter ad malum inclinant, ita ut occasione oblata homo facilè in infandas libidines ruat, et pertinaciùs in ipsis deinde perseveret. Et insuper hęc notandum, quòd sæpiùs Patresfamiliàs rei sunt de hoc damno, quia ipsi tenentur eripere hos improbos libellos è manibus Ætorum; et si non faciunt, intelligant se non posse à culpa excusari; et minime deinde querantur, si filii utilia studia negligant et despiciant, quia ipsi delectabili illi Romanensium lectioni assuescendo, alios profucuos libros legere postea fastidiunt, et horrent; et sic remanent rudes, et vitiosi evadunt. Joannes Gerson scribens contra quemdam Romanensem, inscriptum de Rosa, damnationem affert Cæsaris Augusti libri Ovidiù, deinde exclamat: « Oh Deus, oh præsentis temporis mores! Inter » Paganos paganus Judex et incredulus Paganum condemnat, » qui doctrinam scribit, quæ ad fatuum alliciebat amorem, et » inter Christianos tale opus sustinetur, laudatur, defenditur! »

X. Similis farinæ est liber inscriptus, *Pastor fidus* (hodie jam meritò expressè damnatus): cujus non defuit quidam insipiens, ut refert Petrus Bayle. *Dict. verb. Guar. Remarq. litt. C. pag. 1414*, qui tutelam hujus perniciosi libelli assumpsit, ineptè dicens nihil damni eum allaturum, si Puellæ à se repellant Amasios. Sed bene idem Bayle, licèt vir impius, et sine fide, sic defensorem illum insulsum exprobat (ejus verba è gallico idiomate in latinum transferimus): « Responsio hæc sophistica est, nam ipsa conditionem exigit, quam liber idem difficillimam reddit. Duas tu res » requiris, ut tuum legamus opus, et ut Amasios repellamus. Si » hæc duo simul requiris, injustus es, quia idem nostrum poema » vim repellendi nobis aufert. Illud porro amoribus nos implet, » concupiscentiam accendit, mentem deturbat: illud ad Amasiorum præsentiam expetendam nos violenter impellit. Sed dato, » quòd eos repelleremus, nonne propter hujusmodi narrationes » multis impuris passionibus expositæ ac excitatæ miserè invenimur? » Et deinde prosequitur Bayle ad exhortandum, quòd hæc librorum genera undique et omnino aboleantur.

XI. Scripsit Cicero, lib. 2. Tusculan. Quæst. « Videsne Poe-
 » tæ quod mali adferant? molliunt animos nostros.... nervos
 » omnes virtutis elidunt. » Hinc Quintilianus, lib. 1. c. 13. Pro-
 hibuit, ne unquam libri Horatii, et aliorum similium Poetarum
 pueris explicarentur; et S. Hieronymus dixit: « Dæmonis cibus
 » est Poetarum carmina. » S. Hieron. Ep. 136. Ipse Lutherus,
 quamvis moribus fœdissimus, scripsit: « Necessarium est, ut
 » libri Juvenalis, Martialis, Catulli, et Priapea Virgilii ex om-
 » nibus locis et scholis exterminentur, quia tam turpia et obs-
 » cœna scribunt, ut sine magno detrimento juventutis non possint
 » legi, Lutherus tit. de Doctis. » Similis, imò perniciosior est
 liber pestiferus Boccacii (adhuc ille, qui expurgatus dicitur, et
 circumfertur), qui meo sensu plus Juvenibus nocere potest,
 quàm opera Lutheri et Calvinii. At ibi, proferunt aliqui, selec-
 tum idioma discitur, et plura adsunt, quæ ad bonos mores ins-
 truant. Sed bene respondet huic Joannes Gerson, scribens adver-
 sùs Romantium de Rosa: « Suntne quæso propterea mala in eo
 » deleta? Ignis est periculosior. Hamus nocet pisci, si coopertus
 » sit esca. Gladius unctus melle feritne minus? » Subdit sa-
 pienter Gretserus: « At hæc bona pura et sincera in Catholi-
 » corum libris reperies; quid ergo opus divertere ad luculentos
 » illos rivos? Quis non libentiùs aquam limpida bibat, quàm
 » veneno tinctam, licèt veneni segregandi non sit ignarus? Saltem
 » enim periculo exitii caret, quisquis aquas omnis contagionis
 » expertes bibit. » Gretserus de Jure et More prohib. libros lib.
 1. etc. c. 29. Scripsit etiam S. Augustinus adversùs legentes
 Terentium, ut verba addiscant: « Non omnino per hanc turpi-
 » tudinem verba ista commodiùs discuntur, sed per hæc verba
 » turpitudine ista confidentiùs perpetratur. Non accuso verba....
 » sed vinum erroris quod in eis nobis propinatur. » S. August. lib.
 1. Confess. cap. 16.

XII. Sed ad nostrum propositum redeamus, et concludamus,
 ex omnibus dictis constare, quòd ipsius naturæ judicium sit,
 libros illos, qui Religioni aut bonis moribus officiant, omni modo
 extirandos, ut Theologi omnes docent; imò addunt, ne cum
 licentia quidem Pontificis lectionem permitti posse illius libri,
 qui subversionis occasio alicui esse posset. Juvenin. Theol. t. 6.
 p. 7. Diss. 4. qu. 1. c. 6. §. 2. Continuat. Tournely t. 2. Decal.
 c. 1. a. 1. Graveson Hist. part. 2. Colloqu. 5. Bus. l. 2. c. 4.
 dub. 3. num. 6. Habert t. 3. tract. de Virt. theol. art. 1. c. 4.
 qu. 6. Subdit autem doctissimus Sylvius apud Continuat. Tourn.
 loc. cit. neminem posse Hæreticorum Opera legere sine proximo
 periculo gravis damni, nisi tribus saltem quatuorve annis Theo-
 logiæ operam dederit. Si igitur Gentes, ut supra vidimus, ad
 suam falsam Religionem conservandam, libros huic adversantes
 aboleri necesse putarunt; quantò magis Ecclesiæ incumbere
 debet, ut veram Religionem illæsam custodiat? Necesse est
 (dixit Theodosius in l. Jubemus. C. de Summa Trinit.) « ut
 » quæ scripta vel Deum accendunt ad iracundiam, vel animos

» Hominum in perniciem et fraudem impellunt, ad nullius aures
 » perveniunt. » Et Marcianus apud Conc. Chalced. act. 3. et
 vide l. Quicumque. C. de Hæret. et Manich. dicit: « Materiam
 » subtrahetur erroris, si peccatorum et doctor defuerit, et au-
 » ditor, et pravitatis facinorosæ vestigia in flammis combusta
 » deperant. » Item Carolus V. in suo *Elicto dato Bruxellis*
an. 1550, sapienter sic protulit: « Si optimi quique cibi unius
 » tantum guttæ veneni, qua humanum corpus læderetur, infu-
 » sione suspecti sunt, omnino abjiciendi, quantum magis ea scripta;
 » quæ tantis, et tam noxiis animabus venenis passim infecta sunt,
 » non solum nobis cavenda sunt, sed etiam, ne aliis noceant, ab
 » omnium hominum memoria sunt obliteranda? »

CAPUT II.

Demonstratur, quòd sancta Dei Ecclesia usque ab initio, ex Apostolorum præcepto, pro abolitione pravorum librorum sollicita fuit.

I. Communiter Theologi tradunt, dogma esse, veritatemque Fidei, quòd Ecclesia, et pro ipsa ejus Caput Romanus Pontifex, utpote Christi Vicarius, jurisdictionem ab ipso Domino acceperit prohibendi Fidelibus lectionem librorum, sive de Religione impie tractantium, sive contra bonos mores, aut Ecclesiæ Discipulinam aliquid continentium. Suarez de Triplici Virt. Disp. 20. Sect. 2. n. 4. Card. Albit. de Inconst. in Fide cap. 30. n. 186. Charlas l. 7. c. 18. n. 3. Braschius de lib. Eccl. t. 3. c. 26. n. 6. Anonym. resp. ad Hist. de Inquis. F. Pauli p. 226. Equidem si hæc facultas penes Ecclesiam non esset, et Fideles in hoc parere illi non tenerentur, nec Fides illæsa servari posset, nec Christus satis Ecclesiæ suæ providisset. Frustra Ecclesia, bene ait Baronius ad an. 447. num. 7. « laboraret in hæresibus extirpandis, bonisque moribus fovendis, nisi unde scatet errorum, ac vitiorum colluvies, fons penitus obstrueretur. » Patet equidem, quòd cura et jus removendi è manibus Fidelium noxios libros, specialiter Ecclesiæ competit: illi nam soli datum est de Fidei et morum causis discernere, ovibusque suis bona pascua ad pascendum designare. Rectè hinc docent Doctores (Vid. Honorat. Tournely de Eccl. t. 5. qu. 5. a. 3.) quòd Ecclesiæ circa libros censura, seu judicium sit omnino infallibile: *Ecclesiæ enim*, ut ait Natalis Alexander Hist. Tom. II. ad Sec. 6. Diss. 5. p. 448. Edit. Neap. « cum sanam doctrinam ab hæretica discernere pro suo judicio datum sit à Christo, et cum quælibet doctrina libris aliquibus contineatur, operæ pretium erat, ut Ecclesia in judicio, quòd tulerit de libris, in quibus de Fidei et moralis Christianæ quæstionibus agitur, non posset deficere. » Nemo quippe Pastorem illum censebit idoneum ad oves pascendas, qui noxia pascua à salutaribus certò distinguere non posset. Ineptè igitur Ecclesiæ

Fidelium cura esset demandata, si certa scientia ad libros rectæ vel improbæ doctrinæ dijudicandos ipsi tributa non fuisset.

II. Quòd autem mos Ecclesiæ prohibendi et abolendi pravos libros sit ex traditione et præcepto Apostolorum, plura demonstrant. Primò enim constat, hanc disciplinam semper et ubique in Ecclesia viguisse, quin aliquis Pontifex, aut Concilium possit indicari, à quo ipsa initium sumpserit. Dicit Origenes: « De » his, qui diversa ab Ecclesiis docentes divinam pertulerunt ul- » tionem, si judicaretur, nonne judicarent, ut si quid scriptum re- » liquerunt, universa pariter cum ipsorum cineribus deperirent? » Origen. Hom. 9. sup. Num. Ergo jam tempore Origenis mos vigeat erronea scripta extirpandi. Sensus Ephremi, Tertulliani, et Cypriani jam supra exposuimus. Alexander Alexandrinus (qui vixit tempore Concilii Nicæni) enarratis damnis, quæ Fidei inferebant Hæreticorum libri, dicit, se scripta illa suscipere non potuisse, Alex. Alexandrin. Epist. ad Alex. C. P. apud Theodor. I. 1. Hist. c. 4. et apud Baron. ad an. 318. n. 85. Idem testantur Arnobius, apud Baron. ad an. 56. n. 302. S. Athanasius de Incar. Verb. apud Braschium, Socrates Hist. l. 2. cap. 24 et Historici omnes, recenter conversos ab hæresi nusquam fuisse in Ecclesia receptos, nisi postquam cunctos codices, quos haberent, ultro concremandos detulissent. Item Nazianzenus Orat. 18. notat, S. Cyprium non aliter receptum fuisse, nisi cum attulerat plures libros comburendos. S. Augustinus idem confirmans, de quodam Hæretico loquens, sic scripsit: « Perierat iste, nunc quæsitus, inventus, » adductus est. Portat secum codices incendendos, per quos fuerat ipse incendendus, ut illis in ignem missis, in refrigerium transeat. » S. August. in Psal. 61. in fin. Idem tradit Damasceus de quodam Theuda. S. Joan. Damasc. apud Beyerlingh, verb. Liber. Præterea in Apostolicis Constitutionibus (lib. 1. c. 6.) sic habetur: « Abstine ab omnibus libris Gentilium.... » Quid autem tibi cum alienis sermonibus, aut legibus, aut falsis » Prophetis, quæ quidem Homines à Fide recta detorquent? »

III. Constat igitur juxta receptam Augustini regulam, de Bapt. I. 4. c. 24. morem cavendi ab impiis libris, ipsosque concremandi ab Apostolis demanasse; S. Paulus enim dixit: « Rogo autem vos » Fratres, ut observetis eos, qui dissensiones et offencicula, præ- » ter doctrinam quam vos didicistis, faciunt, et declinate ab illis. » Rom. 16. 17. Idem Apostolus sic monuit Timotheum: « O Ti- » mothee, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates, » et oppositiones falsi nominis scientiæ. » 1. Tim. 6. 20. Significavit hæc Apostolus principia Gnosticorum, et falsas doctrinas Simonis, Nicolaitarum, aliorumque Hæreticorum ævi illius, admonens Timotheum, ut se et Fideles ab eis removeat. Item eidem scripsit: « Profana autem, et vaniloquia devita, multum » enim proficiunt ad impietatem, et sermo eorum ut cancer ser- » pit; ex quibus est Hymenæus, et Philetus, qui à veritate ex- » ciderunt.... et subvertunt quorundam fidem. » 2. Tim. 2. 16. Illud *devita* importat quidem cavere non tantum à sermone, sed

cavere, virus tamen rejecta monitione lethaliter absorbit. Baron. ad an. 144, n. 4. Luctuosius Henricus Bulincerus Doctor catholicus, olim piissimus, imò perfectionis cupidus, mox ad Carthusianos ingressurus, in librum incidit Melanctonis, à cujus lectione licèt Divina voce interiùs exterritus, tamen ad legendum à Dæmone impulsus, egit, et cecidit: sicque ex probo Dei Ministro infelix minister Satanæ evasit. Vide Diction. Portat. verb. Zuinglius. Hieronymus Wicleff post multos improbos suos labores in Anglia editos, donec ore docuerit, nihil pene nisi impropria reportavit, et paucissimos fecit sui erroris sectarios: at ubi nefarios suos libros diffudit, totam, quam nunquam vidit, Bohemiam perdidit, potumque venenatum et aliis tradidit: cum enim Joannes Hus Wicleffi libros à quodam Bohemo, qui Oxoniæ studuerat, accepisset, eorundem impiam doctrinam undique disseminavit: *Cocleus in Hist. Hussitarum*. Vid. etiam Bon. Blaciot. in Notis ad Thom. Waldens. ad Doctr. 6. Wicleff. Omittimus, ne longiores simus, alia similia exempla, quæ in historiis passim inveniuntur. Cæterum Eruditis cunctis patet, novas Hæreses fere semper exhaustas, et exscriptas fuisse ex libris aliorum veterum Hæreticorum.

VI. Hinc Concilia, Pontifices, ac pii Principes, et calamo, et voce, et censuris, et aliis pœnis toti fuerunt ad extirpandos libros, qui Fidem, aut mores quoquomodo inficere potuissent. Hinc Patres in suis scriptis magnopere sunt conati avertere Fideles ab hujusmodi Librorum lectione. Origenes eos, qui libros impudicos aut impios injustè revolvunt, ejusdem culpæ asseruit reos, quam qui carnes falsis Numinibus oblatas manducarent. Orig. Hom. 20. in Num. S. Isidorus scripsit, impia scripta legere, idem est ac thus immolare diabolo; additque, non licere Christianis legere figmenta Poetarum, quia per illa mens ad libidinem incensa excitatur. S. Isid. in c. Ideo 15. dist. 37. S. Hieronymus ait: « Nemo » in perforatam intrat cymbam, ut discat vitare naufragium; et » ad hæresibus plenum volumen animam diriges immunem doli, » ut ibi discas catholicam veritatem? S. Hier. Ep. ad Lætam. » Fortiùs Tertullianus: « Nemo inde strui potest, unde destrui- » tur: Nemo ab eo illuminatur, à quo contenebratur. » Ter. de Præs. c. 2. Etiam impius Lutherus Librum edidit de abolendis scriptis prævæ doctrinæ. Vid. Steidanum lib. 2. Calvinus pariter ejulabat adversus malos libros, Braschius de lib. Eccl. t. 3. c. 26. n. 5. Notum est etiam, libros Michaelis Serveti ann. 1552, unà cum impio Auctore Genevæ fuisse, Calvino instante, concrematis. Ipsi Gentiles, sola duce ratione, aut experientia, idem de malis scriptis extirpandis judicium protulerunt. Plato hinc necessarium duxit, ut Libri, priusquam ad alios pertranseant, Sapientum examini subjiciantur.

VII. Quippe apud omnes Nationes cultas mos abolendi libros noxiæ lectionis semper invaluit. Apud Hebræos Joakim, cum per Baruch librum accepisset à Jeremia transmissum, timens, ne Judæis scandalo esset, ignibus dari jussit. Vid. Bodinum lib. 2.

Dæmonomania. c. 2. Rex etiam Herodes omnes hebraicarum originum Codices concremari voluit, utpote paci publicæ adversos, Euseb. Hist. lib. 1. c. 8. Apud Syros Antiochus Epiphanes publico Edicto præcepit libros Hebræorum comburendos, I. Machab. 1. 5. Joseph. Hebr. lib. 12. c. 7. Apud Athenienses Protagoras ex Senatûs Consulto undique exterminatus est, ejusque scripta publicè igni tradita, quia in illis de existentia Deorum dubitabatur, Cicero lib. 1. de Nat. Deor. et Lactant. de Ira Dei cap. 9. Apud Græcos pariter concremati fuerunt libri Epicuri, Erasm. in Prov. Ficuln. Apud Romanos, cùm quidam Bubulcus aratrum trajiciens in arcula sepulchrali Numæ volumina reperit, ubi Numa de cultu Deorum non bene (licet verè) sentiebat, Senatus jussit illa igni tradi, Valer. Max. lib. 1. c. 1. et Plin. lib. 13. c. 13. Marcus Æmilius certior factus de multitudinè librorum, qui Romam intromittebantur, jussit ore Præconis omnia concremanda scripta, ubi novi ritus et preces continebantur. Testatur Arnobius l. 3. apud Baron. ad an. 302. n. 19. Romanos petiisse, ut extirparentur libri Ciceronis de Natura Deorum, ubi Cicero de ipsorum Religione patenter malè sentire jam videbatur. Plura item Romana jura habentur, ubi jubetur exterminandos libros improbæ lectionis, Lib. 10. §. Tantumdem, ff. Fam. ercisc. cap. 4. Ceteræ Paul. Sent. lib. 5. tit. 23. ad L. Cor. 1. Quicumque, 1. Damnato, infra laudandis. Præterea testatur Livius lib. 10. Dec. 10. apud Romanos Pontifici Maximo demandatum esse de scriptis agnoscere, eosque damnare, et comburere. Item Imperator Augustus supra duo millia combussit libros, ubi nullus Auctor, vel parùm idoneus legebatur: Sueton. in August. et Niceph. lib. 13. Idemque Cæsar cavit, ne legeretur liber de Arte amandi, ejusdem Auctorem Ovidium in exilium misit.

VIII. Et hîc maximè advertendum, quòd multo studio Episcopi et Parochi curare debent, ut removeantur à suis ovibus libri obscæni, aut de vitioso amore tractantes, quos sapienter vocat Origenes, *Calices Babylonis venena propinantes*; et S. Augustinus *Ranas ascendentes de ore bestia*. Etiam Gentiles hujusmodi putida scripta execrabantur. Plato aiebat, impudicos libros omnino à Civitatibus arcendos. Apud Lacedæmones, et per totum Spartanorum dominium, vetitum fuit legere ac retinere libros Archiloci, eò quòd obscænum quid continebant, Valer. Maxim. lib. 6. c. 13. Fama est, ut tradit quidam Auctor, Beyerlingh. Cyclop. verb. Liber, pag. 78. litt. D. Virgilium opus suum propter confictam Didonis impudicitiam, præcepisse jam morti proximum in ignem injici. Plures hujus farinae libelli, dicti Romanenses (vulgò Romanzi,) undique hodie per domos circumferuntur, et per manus simplicium Adolescentium circumeunt. Horum Romanensium primus inventor fuit Heliodorus Phœnix Episcopus Tricensis in Thessalia, ut enarrat Nicephorus. lib. 12. c. 34. Hic cùm talem Romanensem tempore suæ juventutis inscripsisset, cujus lectio facilè poterat Juvenes impellere ad extiosos amores, Synodus Provincialis, cognito hoc periculo, eam Helio-

doro imposuit conditionem, ut vel opus suum traderet flammis, vel Episcopatum renuntiaret; at ille maluit suæ dignitati cedere, quàm opus suum destruere.

IX. Hujusmodi Romanenses non sunt quidem universè damnati de jure Ecclesiastico, nam in Indice (Regula 7) tantùm damnantur « libri, qui res lascivas ex professo tractant, aut docent; » tamen de jure naturali, ut optinè advertit quidam doctus Auctor, *Continuator Tournely*. tom. 3. Decal. cap. 1. a. 1. sæpe sunt per se vetiti propter grave damnum, quod legentibus inferunt; in ipsis enim virus quantò minùs patet, tantò magis nocet. Scribit de hujusmodi libellis Alexander Tassoni, lib. 7. *Pensieri diversi c. 11. col leggere accidenti, è stratagemmi amorosi, particolarmente nelle solitudini, è negli ozi, si presentano fantasmi osceni sotto apparenza di diletto, è l'ingegno vi si abbandona*. Porro ipsi non aperta impudicitia scatent, sed animum ad profanos amores mirabiliter incendendo, illum obtenebrant, à Deo alienant, et vehementer ad malum inclinant, ita ut occasione oblata homo facilè in infandas libidines ruat, et pertinaciùs in ipsis deinde perseveret. Et insuper hîc notandum, quòd sæpiùs Patresfamiliàs rei sunt de hoc damno, quia ipsi tenentur eripere hos improbos libellos è manibus Ænorum; et si non faciunt, intelligant se non posse à culpa excusari; et minime deinde querantur, si filii utilia studia negligant et despiciunt, quia ipsi delectabili illi Romanensium lectioni assuescendo, alios profucuos libros legere postea fastidiunt, et horrent; et sic remanent rudes, et vitiosi evadunt. Joannes Gerson scribens contra quemdam Romanensem, inscriptum de Rosa, damnationem affert Cæsaris Augusti libri Ovidi, deinde exclamat: « Oh Deus, oh præsentis temporis mores! Inter » Paganos paganus Judex et incredulus Paganum condemnat, » qui doctrinam scribit, quæ ad fatuum alliciebat amorem, et » inter Christianos tale opus sustinetur, laudatur, defenditur! »

X. Similis farinæ est liber inscriptus, *Pastor fidus* (hodie jam meritò expressè damnatus): cujus non defuit quidam insipiens, ut refert Petrus Bayle. Dict. verb. Guar. Remarq. litt. C. pag. 1414, qui tutelam hujus perniciosi libelli assumpsit, ineptè dicens nihil damni eum allaturum, si Puellæ à se repellant Amasios. Sed bene idem Bayle, licèt vir impius, et sine fide, sic defensorem illum insulsum exprobat (ejus verba è gallico idiomate in latinum transferimus): « Responsio hæc sophistica est, nam ipsa condi- » tionem exigit, quam liber idem difficillimam reddit. Duas tu res » requiris, ut tuum legamus opus, et ut Amasios repellamus. Si » hæc duo simul requiris, injustus es, quia idem nostrum poema » vim repellendi nobis aufert. Illud porro amoribus nos implet, » concupiscentiam accendit, mentem deturbat: illud ad Amasio- » rum præsentiam expetendam nos violenter impellit. Sed dato, » quòd eos repelleremus, nonne propter hujusmodi narrationes » multis impuris passionibus expositæ ac excitatæ miserè inveni- » remur? » Et deinde prosequitur Bayle ad exhortandum, quòd hæc librorum genera undique et omnino aboleantur.

XI. Scripsit Cicero, lib. 2. Tusculan. Quæst. « Videsne Poe-
 » tæ quod mali adferant? molliunt animos nostros... nervos
 » omnes virtutis elidunt. » Hinc Quintilianus, lib. 1. c. 13. Pro-
 » hibuit, ne unquam libri Horatii, et aliorum similium Poetarum
 » pueris explicarentur; et S. Hieronymus dixit: « Dæmonis cibus
 » est Poetarum carmina. » S. Hieron. Ep. 136. Ipse Lutherus,
 » quamvis moribus fœdissimus, scripsit: « Necessarium est, ut
 » libri Juvenalis, Martialis, Catulli, et Priapea Virgilii ex om-
 » nibus locis et scholis exterminentur, quia tam turpia et obs-
 » cœna scribunt, ut sine magno detrimento juventutis non possint
 » legi, Lutherus tit. de Doctis. » Similis, imò perniciosior est
 » liber pestiferus Boccacii (adhuc ille, qui expurgatus dicitur, et
 » circumfertur), qui meo sensu plus Juvenibus nocere potest,
 » quam opera Lutheri et Calvinii. At ibi, proferunt aliqui, selec-
 » tum idioma discitur, et plura adsunt, quæ ad bonos mores ins-
 » truant. Sed bene respondet huic Joannes Gerson, scribens adver-
 » sùs Romantium de Rosa: « Suntne quæso propterea mala in eo
 » deleta? Ignis est periculosior. Hamus nocet pisci, si coopertus
 » sit esca. Gladius unctus melle feritne minus? » Subdit sa-
 » pienter Gretserus: « At hæc bona pura et sincera in Catholi-
 » corum libris reperies; quid ergo opus divertere ad luculentos
 » illos rivos? Quis non libentiùs aquam limpidam bibat, quàm
 » veneno tinctam, licèt veneni segregandi non sit ignarus? Saltem
 » enim periculo exitiù caret, quisquis aquas omnis contagionis
 » expertes bibit. » Gretserus de Jure et More prohib. libris lib.
 » 1. etc. c. 29. Scripsit etiam S. Augustinus adversùs legentes
 » Terentium, ut verba addiscant: « Non omnino per hanc turpi-
 » tudinem verba ista commodiùs discuntur, sed per hæc verba
 » turpitudine ista confidentiùs perpetratur. Non accuso verba...
 » sed vinum erroris quod in eis nobis propinatur. » S. August. lib.
 » 1. Confess. cap. 16.

XII. Sed ad nostrum propositum redeamus, et concludamus,
 » ex omnibus dictis constare, quòd ipsius naturæ judicium sit,
 » libros illos, qui Religioni aut bonis moribus officiant, omni modo
 » extirpandos, ut Theologi omnes docent; imò addunt, ne cum
 » licentia quidem Pontificis lectionem permitti posse illius libri,
 » qui subversionis occasio alicui esse posset. Juvenin. Theol. t. 6.
 » p. 7. Diss. 4. qu. 1. c. 6. §. 2. Continuat. Tournely t. 2. Decal.
 » c. 1. a. 1. Graveson Hist. part. 2. Colloqu. 5. Bus. l. 2. c. 4.
 » dub. 3. num. 6. Habert t. 3. tract. de Virt. theol. art. 1. c. 4.
 » qu. 6. Subdit autem doctissimus Sylvius apud Continuat. Tourn.
 » loc. cit. neminem posse Hæreticorum Opera legere sine proximo
 » periculo gravis damni, nisi tribus saltem quatuorve annis Theo-
 » logiæ operam dederit. Si igitur Gentes, ut supra vidimus, ad
 » suam falsam Religionem conservandam, libros huic adversantes
 » aboleri necesse putarunt; quantò magis Ecclesia incumbere
 » debet, ut veram Religionem illæsam custodiat? Necesse est
 » (dixit Theodosius in l. Jubemus. C. de Summa Trinit.) « ut
 » quæ scripta vel Deum accendunt ad iracundiam, vel animos

» Hominum in perniciem et fraudem impellunt, ad nullius aures
 » perveniant. » Et Marcianus apud Conc. Chalced. act. 3. et
 vide l. Quicumque. C. de Hæret. et Manich. dicit: « Materia
 » subtrahetur erroris, si peccatorum et doctor defuerit, et au-
 » ditor, et pravitatis facinorosæ vestigia in flammis combusta
 » depereant. » Item Carolus V. in suo *Elicto dato Bruxellis*
an. 1550, sapienter sic protulit: « Si optimi quique cibi unius
 » tantum guttæ veneni, qua humanum corpus læderetur, infu-
 » sione suspecti sunt, omnino abjiciendi, quantum magis ea scripta,
 » quæ tantis, et tam noxiis animabus venenis passim infecta sunt,
 » non solum nobis cavenda sunt, sed etiam, ne aliis noceant, ab
 » omnium hominum memoria sunt obliteranda? »

CAPUT II.

Demonstratur, quòd sancta Dei Ecclesia usque ab initio, ex Apostolorum præcepto, pro abolitione pravorum librorum sollicita fuit.

I. Communter Theologi tradunt, dogma esse, veritatemque Fidei, quòd Ecclesia, et pro ipsa ejus Caput Romanus Pontifex, utpote Christi Vicarius, jurisdictionem ab ipso Domino acceperit prohibendi Fidelibus lectionem librorum, sive de Religione impiè tractantium, sive contra bonos mores, aut Ecclesiæ Disciplinam aliquid continentium. Suarez de Triplici Virt. Disp. 20. Sect. 2. n. 4. Card. Albit. de Inconst. in Fide cap. 30. n. 186. Charlas l. 7. c. 18. n. 3. Braschius de lib. Eccl. t. 3. c. 26. n. 6. Anonym. resp. ad Hist. de Inquis. F. Pauli p. 226. Equidem si hæc facultas penes Ecclesiam non esset, et Fideles in hoc parere illi non tenerentur, nec Fides illæsa servari posset, nec Christus satis Ecclesiæ suæ providisset. Frustra Ecclesia, bene ait Baronius ad an. 447. num. 7. « laboraret in hæresibus extirpandis, bonisque moribus fovendis, nisi unde scatet errorum, ac vitiorum » colluvies, fons penitus obstrueretur. » Patet equidem, quòd cura et jus removendi è manibus Fidelium noxios libros, specialiter Ecclesiæ competit: illi nam soli datum est de Fidei et morum causis discernere, ovibusque suis bona pascua ad pascendum designare. Rectè hinc docent Doctores (Vid. Honorat. Tournely de Eccl. t. 5. qu. 5. a. 3.) quòd Ecclesiæ circa libros censura, seu judicium sit omnino infallibile: *Ecclesiæ enim*, ut ait Natalis Alexander Hist. Tom. II. ad Sec. 6. Diss. 5. p. 448. Edit. Neap. « cum sanam doctrinam ab hæretica discernere pro suo judicio » datum sit à Christo, et cum quælibet doctrina libris aliquibus » contineatur, operæ pretium erat, ut Ecclesia in judicio, quod » tulerit de libris, in quibus de Fidei et moralis Christianæ quæ- » tionibus agitur, non posset deficere. » Nemo quippe Pastorem illum censebit idoneum ad oves pascendas, qui noxia pascua à salutaribus certò distinguere non posset. Ineptè igitur Ecclesiæ

Fidelium cura esset demandata, si certa scientia ad libros rectæ vel improbæ doctrinæ dijudicandos ipsi tributa non fuisset.

II. Quòd autem mos Ecclesiæ prohibendi et abolendi prava libros sit ex traditione et præcepto Apostolorum, plura demonstrant. Primò enim constat, hanc disciplinam semper et ubique in Ecclesia viguisse, quin aliquis Pontifex, aut Concilium possit indicari, à quo ipsa initium sumpserit. Dicit Origenes : « De » his, qui diversa ab Ecclesiis docentes divinam pertulerunt ul- » tionem, si judicaretur, nonne judicarent, ut si quid scriptum re- » liquerunt, universa pariter cum ipsorum cineribus deperirent? » Origen. Hom. 9. sup. Num. Ergo jam tempore Origenis mos vigeat erronea scripta extirpandi. Sensus Ephremi, Tertulliani, et Cypriani jam supra exposuimus. Alexander Alexandrinus (qui vixit tempore Concilii Nicæni) enarratis damnis, quæ Fidei inferebant Hæreticorum libri, dicit, se scripta illa suscipere non potuisse, Alex. Alexandrin. Epist. ad Alex. C. P. apud Theodor. l. 1. Hist. c. 4. et apud Baron. ad an. 318. n. 85. Idem testantur Arnobius, apud Baron. ad an. 56. n. 302. S. Athanasius de Incar. Verb. apud Braschium, Socrates Hist. l. 2. cap. 24 et Historici omnes, recenter conversos ab hæresi nusquam fuisse in Ecclesia receptos, nisi postquam cunctos codices, quos haberent, ultro concremandos detulissent. Item Nazianzenus Orat. 18. notat, S. Cyrinum non aliter receptum fuisse, nisi cum attulerat plures libros comburendos. S. Augustinus idem confirmans, de quodam Hæretico loquens, sic scripsit : « Perierat iste, nunc quæsitus, inventus, » adductus est. Portat secum codices incendendos, per quos fuerat ipse incendendus, ut illis in ignem missis, in refrigerium transeat. » S. August. in Psal. 61. in fin. Idem tradit Damasceus de quodam Theuda. S. Joan. Damasc. apud Beyerlingh, verb. Liber. Præterea in Apostolicis Constitutionibus (lib. 1. c. 6.) sic habetur : « Abstine ab omnibus libris Gentilium... » Quid autem tibi cum alienis sermonibus, aut legibus, aut falsis » Prophetis, quæ quidem Homines à Fide recta detorquent? »

III. Constat igitur juxta receptam Augustini regulam, de Bapt. l. 4. c. 24. morem cavendi ab impiis libris, ipsosque concremandi ab Apostolis demanasse; S. Paulus enim dixit : « Rogo autem vos » Fratres, ut observetis eos, qui dissensiones et offendicula, præ- » ter doctrinam quam vos didicistis, faciunt, et declinate ab illis. » Rom. 16. 17. Idem Apostolus sic monuit Timotheum : « O Ti- » mothee, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates, » et oppositiones falsi nominis scientiæ. » 1. Tim. 6. 20. Significavit hic Apostolus principia Gnosticorum, et falsas doctrinas Simonis, Nicolaitarum, aliorumque Hæreticorum ævi illius, admonens Timotheum, ut se et Fideles ab eis removeat. Item eidem scripsit : « Profana autem, et vaniloquia devita, multum » enim proficiunt ad impietatem, et sermo eorum ut cancer ser- » pit; ex quibus est Hymenæus, et Philetus, qui à veritate ex- » ciderunt.... et subvertunt quorundam fidem. » 2. Tim. 2. 16. Illud *devita* importat quidem cavere non tantum à sermone, sed

etiam à scriptis Hæreticorum. Atque si Apostoli Fidelibus præceperunt, ut ne quidem *Aoe* dicerent Hæreticis (2. Joan. 1. 10.) quantò magis putandum jussisse cavere ab eorum codicibus, dum nulla pejor cum hæreticis potest esse communicatio, quàm legendo eorum scripta.

IV. Tandem quòd mos ille avertendi Fideles à scriptis impiorum hominum, ab ipsis Apostolis fuerit inductus, constat ex Actis Apostolorum, ubi legimus : « Multi autem ex eis, qui fuerant » curiosa sectati, contulerunt libros, et combusserunt coram omnibus, et computatis pretiis illorum, invenerunt pecuniam denariorum quinquaginta millium. Ita fortiter crescebat verbum Dei, et confirmabatur. » Actor. 19. 19. Valde insipienter ait Pecininus Apol. Cap. 18. n. 495. textum hunc non jam intelligi de libris hæreticis, sed de curiosis, et sortilegis. At si, respondetur, Apostoli opus esse judicabant libros sortilegos concremari, quantò magis hæreticos? Sed quidquid deliret Pecininus. S. August. testatur ut certum post. tract. in Ps. 65. n. ult. Col. 442.

Tom. IV. quòd omnes Sectarii, cùm in Ecclesia recipiebantur, ad pedes Apostolorum suos codices afferebant ut cremarent : « Nostis, inquit, in Actis Apostolorum esse scriptum, quia multi » perdit, et variarum doctrinarum Sectatores omnes codices suos » ad Apostolos attulerunt, et incensi sunt libri multi. » Ipse impius Lutherus non renuit scribere : « Est veteris exempli, et » antiqui moris, infectos et improbos codices comburendi, quemadmodum legimus in Actibus Apostolorum. » Vid. tom. 2. Epist. ad Spalat. Idem faciendum scribit S. Cyprianus de libris mordacibus : « Si quando talia quorundam calumniosa temeritate » conscripta sunt, legi apud nos non patimur. » S. Cyprian. Epist. 42. ad Corn. Idem scripsit Justinianus Imperator de libris hæreticis in suo Edicto ad Populum Constantinopolitanum.

V. Sed præstat nunc exemplis rem hanc magis elucidare. Quamvis videbatur de se permittendum Ecclesiæ Pastoribus pro necessitate et tempore libros Hæreticorum legere, ut eos confutare valerent, juxta Concilium Carthaginense IV. Can. 16. Attamen primis Ecclesiæ sæculis iidem Patriarchæ ab hujusmodi operum lectione se cavebant, vel cùm esset necessitas, non sine magno legebant timore; Ego verò (scribit Dionysius Alexandrinæ Ecclesiæ Patriarcha) « in libris, et traditionibus Hæreticorum cognoscendis operam posui : execrandis quidem illorum sententiis animam meam tantisper coinquinans; hanc tamen ex eis utilitatem percipiens, ut illos tacitus apud me refutarem, multòque magis, quàm antea, detestarer. Et cùm Frater » quidam ex Presbyterorum ordine prohiberet me, veritus, ne » fortè cum nequitia illorum et cæno commiscerer; quippe animam meam contaminatum iri aiebat, et quidem verissimè et » ipsemet sentiebam... Et visione cœlitis missa confirmatus sum. » Ita apud Euseb. Hist. lib. 7. c. 7. Attende: quamvis Dionysius Patriarcha extaret tam magnæ Ecclesiæ, et libros Hæreticorum tantùm ad eos confutandos inspiceret, tamen ex lectione animam

sum nonnihil inquinacionis, aut saltem perturbationis attraxisse fatetur. Et quod magis mirum est, licet Dionysius esset vir tanta sanctitate et doctrina præditus, ipse enim expulit Kiliastarum errores, et Nepotis Episcopi libros explosit, ipse primus Sabellii hæresim debellavit, et de ea Sixtum Papam reddidit certiozem; ipse contra Novatianos felicissimè disputavit, ac Fabium Antiochenum mox in eundem errorem prolapsurum sustinuit: ipse scriptis confutavit etiam Paulum Samosatenum, Nepotianos, aliosque Hæreticos: et tamen, his non obstantibus (ut refert Eusebius), Fideles cum novissent, Dionysium libros Hæreticorum evolvere, magnum scandalum passi sunt; imò de hoc apud Pontificem eum accusarunt, et Pontifex reprehendit eum, ac prohibuit ne Hæreticorum lectionem prosequeretur, ubi suis officiculum præberet. Præterea narrat Socrates Hist. lib. 6. c. 15., quod Theophilus ejusdem Alexandrinæ Ecclesiæ Patriarcha, vir doctissimus, cum perlegisset Origenis libros de Principiis (quos ipse omnium primus damnavit), non modò à suis objurgatus sit, sed in Concilio damnatus, ubi excusationes ab eo allatæ nequamquam admissæ fuerunt.

VI. Usque ab Ecclesiæ primordiis, hoc ipso, quòd aliquod opus ab Hæretico nosceretur conscriptum, etiam nulla emanata speciali prohibitione, illud legere (saltem generaliter loquendo) vetitum erat. Sic respondit S. Gregorius Anastasio Patriarchæ Antiocheno interroganti, an damnato quodam Hæretico, omnia ejus opera statim damnata habenda essent? Vid. Card. Petra t. 1. p. 8. in Const. Gelasii, Valdè etc. Præterea, cum in domo cujusdam Athanasii Presbyteri Monachi in Isauria inventus fuisset codex, in quo errores aliqui contra Fidem continebantur, Joannes Episcopus, damnato codice, ipsum è Monasterio expulit, transmisitque acta ad S. Gregorium, qui rem probavit, sed cum Athanasius asseruisset, se ignoranter legisse, Gregorius ei redditum ad Monasterium concessit, expressè tamen prohibens illius operis lectionem. S. Gregor. ep. ad Athanas. 64. lib. 5. s. 164. Hinc notant Editores è Congregatione S. Mauri Tom. 2. Oper. S. Greg. Epist. lib. 6. ad Epist. 66. Nota C. antiquam jam fuisse apud Romanos Pontifices libros proscribendi potestatem, et disciplinam, cui parere etiam Orientalis Ecclesiæ Patriarchæ, et alii tenebantur.

VII. Hinc etiam illud eruitur, eos, qui Hæreticorum libros legissent, vel habuissent, semper reputatos fuisse de hæresi suspectos, ac ut tales puniri potuisse. Vid. Archid. Jo. Andr. etc. in cap. Filii de Hære. l. 6. Ananiam in c. Episcopus de Hæres. Rojas Sing. in Fav. Fidei Sig. 124. Et quòd tandem in primis Ecclesiæ sæculis omnia Hæreticorum scripta fuerint igni damnata, ex eo Eruditi demonstrant, quòd cuncta sic perierint, ut omnium pene Hæreticorum ne nomina quidem hodie haberentur, nisi illorum Ecclesiæ Patres meminissent. Ubi sunt enim Arianorum innumeri libri Orientem replentes? Ubi plura Volumina Apollinaris, Celsi, Manetis, et Gnosticorum? De illis omni-

bus factum est id, quod dixerunt Patres Concil. Constantinopolitani II. cap. 1. « Hæreticorum quidem effrænatas linguas, et impiissima conscripta patri mendacii Diabolo connumerantes, illis dicemus: Omnes vos conualescere facitis flammam ignis: ambulatis in lumine ignis vestri, et per flammam quam incendistis. »

VIII. Hic etiam sedulo notandum id, quod tradunt Baronius, ad ann. 490. à n. 21 ad 47. Cardinalis Albitus, de Inconst. in Fide c. 30. n. 155. Braschius, de libert. Eccl. tom. 3. c. 26. n. 13. Ludovicus Bail, tom. 1. Summ. Concil. in Conc. Lat. II. in fin. et alii, nimirum quòd ex primis Ecclesiæ sæcularis mos fuit, ut quilibet libros suos subiceret examini et censuræ Summi Pontificis, prout fecisse testantur in Occidente Cæsarium Arelatensem, S. Honoratum, Gennadium, et alios. Fecit et Episcopus Possessor, qui cum de codicibus suis, quos ad Hormisdam pro examine et correctione direxerat, responsione non dignaretur, sic illum interpellavit: « Codicem tractatum ante hac direxisse memini continentem B. Pauli Epistolarum explanationes, pro quibus rescripto gratulari non merui. Unde simili prece depono ut prærogativam benedictionis vestræ competenti responsione merear adipisci. Epist. Possessor. ad Hormisd. inter Epist. Hormisdæ. » Fecit et Anselmus, prout constat ex ejus Præfatione ad Urbanum II. libri de Fide Trinitatis etc. Idem fecit S. August. quoad libros suos contra Pelagianos, quos ad S. Bonifacium transmisit. S. August. lib. 1. contra duas Epist. Pel. c. 1. n. 3. Idem fecerunt Orientales, prout Dionysius Alexandrinus, Joannes Orthodoxus, Photius, et alii, præsertim Eulogius Patriarcha Alexandriae, scripta sua censuræ S. Gregorii submittebat, ut apparet ex ejusdem Gregorii Epistola. S. Greg. lib. 8. Indict. 3. Ep. 35 et 42.

IX. Item inter scripta Abbatis Joachim chartula inventa fuit ann. 1200, ipsius manu subscripta, dicens: *Universis quibus, in qua ista leguntur*: « Pro angustia temporum non potui hucusque opuscula prædicta, præter librum Concordiæ, Apostolico culmini præsentare, ut ab eo corrigerentur, quia ea conditione suscepi dictanda, ut cui datum est omnimode magisterium, præsentarem. Si me contigerit prius egredi ab hac luce, quam possum, rogo ex parte Dei omnes Coabbates meos, et Priores, et ea, qua posse videor, auctoritate præcipio, quatenus præsens scriptum aut exemplar habentes secum, ac si pro testamento opuscula (quamcitus poterunt) collecta omnia, relictis in salva custodia exemplaribus, Apostolico examini repræsentent, recipientes ab eadem Sede, vice mea, correctionem, abiciens quod ipsa abjicit, suscipiens quod ipsa suscipit, etc. Apud Natal. Alexand. »

X. Item S. Julianus Toletanus Episcopus circa annum 685 subjecit examini Benedicti II. Apologiam suam adversus obtrcutores Concilii VI. universalis; Pontifex in ea nonnulla reprobat, quæ cum iterum rectè explicasset Julianus, ac iterum opus cum explicatione ad Sergium Papam transmisisset, Sergius opus

approbavit, et aliis legendum indixit Natal. Alex. Hist. ad sec. 7. c. 3. art. 22. Refert Baronius ad ann. 1186. n. 26, de quodam Gothofrido, qui fuit Notarius Conradi III. et Friderici I, ac Henrici VI, quòd iste, quamvis esset in Curia præfatorum Principum tam adversantium Ecclesiæ juribus, tamen pro certo habuit Romanorum Pontificum proprium esse libros recognoscere et approbare. Sed præstat hic ipsum audire Gothofridum, qui in Præfatione ad Opus suum chronicum, quod anno 1189. transmissit ad Urbanum III, sic scripsit : « Si quod Historiarum opus » conficitur, Ratio suggerit, ut antequam in publicum deveniat » Apostolico examini præsentetur. Quapropter hoc opusculum » ante vestrum examen protuli, ut si per vos fuerit approbatum, » ad alias Ecclesias derivetur : » Item Patres Synodi Suessionensis ann. 1121, sanxerunt, libros Petri Abelardi hoc ipso damnatos reputandos, quòd Romani Pontificis aut Ecclesiæ auctoritate commendati non apparerent. Petr. Abelard. Ep. 1. ad Amicum, inter opera Petri Abbatis. Sic etiam Nicolaus Papa, cum Scotus Erigenas circa medium Seculum IX. volumina traduxisset S. Dionysii, S. Maximi, et aliorum, sine Ecclesiæ approbatione, eum acriter increpavit dicens : « Quia juxta morem Nobis mitti, » et nostro debuit iudicio approbari. » Et ideo præcepit, ut statim scripta illa transmitterentur. Tandem ad hoc probandum unum sufficit Decretum Nicolai I, in can. 5. Romanorum Dist. 19. ubi dictum fuit : « Romanorum Pontificum decreto cæterorum » opuscula tractatorum approbantur, vel reprobantur. »

XI. Romani igitur Pontificis olim semper fuit præsidere arbitrum librorum omnium, sed ubi in immensum excrevit moles librorum, statuit Leo V. an. 1515. Constitutione probata in Concilio 5. Lateranensi, et deinde confirmata Regulis Indicis, ut non vulgarentur libri cuiusque generis absque licentia, et approbatione Ordinariorum, vel Inquisitorum, sub poena amissionis librorum, et suspensionis, ac excommunicationis pro editoribus ; qui si in excommunicatione ultra annum permanserint, erunt acriter puniendi. Et notandum, quòd præfata Constitutio Leonis jam repetitur adnotata in Archivio Regiæ jurisdictionis in Regno Neapolitano, ut refert Bartholomæus Chioccarellus, Archiv. Reg. Jurisd. Tom. 17. tit. 7.

CAPUT III.

Fusius ostenditur, Ecclesiæ præcipuum et proprium semper fuisse libros malos proscribere ; et hujusmodi jurisdictionem semper Ecclesiam exercuisse.

I. Sæculo IV. Concilium Nicænum anno 325. Arii scripta damnavit ; Nicephor. Hist. l. 8. c. 18. et deinde Constantinus præcepit morte mulctari, qui librum aliquem ab Ario confectum statim non attulisset. Apud Socrat. Hist. l. 1. c. 6. Patres etiam pseudo-Concilio in Tyro circa annum 336. Marcellum Ancyra-

num ideo deposuerunt, quia sententiæ damnationis suorum librorum noluit acquiescere, nec illos igni tradere. Socrates ibid. Theophilus Alexandriæ Episcopus anno 385. fuit primus, qui libros Origenis damnavit, prohibuitque, ne sui illos legerent, de quo eum postea Hieronymus, Epiphanius, et Damasus Papa valde commendârunt. At cum Origenis opera usque tunc ubique cum plausu perlecta fuissent, quidam Monachi in Palæstina dicebant, errata, si quæ in libris invenirentur, illa ex aliena manu in scripta Origenis irrepsisse; hinc contendebant, non propter illa etiam reliqua esse damnanda; Theophilus verò, hoc non obstante, ut refert Sulpitius Severus: Dial. 2. « Cogebat renitentes pro potestate recta etiam universa cum pravis damnare, quia satis superque sufficerent libri, quos Ecclesia recepisset; subdens, respuendam esse penitus lectionem, quæ plus esset nocitura insipientibus, quàm sapientibus profutura. »

II. S. Epiphanius pariter, coacto Concilio cum Episcopis suæ Insulæ, eisdem Origenis libros proscripsit, suosque à lectione compescuit. Denique Anastasius Papa illos pariter damnavit. Vide S. Hieron. Epist. 78. ad Pammach. Censuit Baronius ad ann. 402. n. 12. tantum Patriarchon Origenis fuisse damnatum; sed in hoc apertè ei contradicunt Severus, Palladius, Sozomenus, Hieronymus, et alii, dicentes, omnes codices Origenis vetitos fuisse. Eisdem deinde medio sæculo VI. Justinianus comburendos mandavit, de hoc ab Ecclesia requisitus, et non obstante plurimorum reclamazione, Edictum concremationis omnino executioni demandari voluit. Eodem sæculo VI. Concilium Carthaginense IV. (sed verius V.) anno 398, sic statuit: « Episcopus Gentilium libros non legat; Hæreticorum autem » pro necessitate, et tempore. » Ita refertur in c. Episcopus Dist. 37. Circa eadem tempora S. Joannes Chrysostomus Montani opera interdixit, ac igni tradidit. Vide Nicephor. Hist. l. 8. c. 18.

III. Sæculo V. Innocentius I. in sua Epistola anno. 418. Pelagii, et Cælestii opera damnavit. Præterea anno 431. Patres Concilii Ephesini, postquam libros omnes proscripserunt Nestorii, Liberatus in Brev. c. 10. prævidentes autem non defuturos homines pertinaces, qui censuram despicerent, in Epistola Synodali Theodosium Imperatorem rogaverunt, ut obtractantes sua potestate puniret: Epist. Synod. Conc. Ephes. ad Theod. Act. 2. et ideo Theodosius, ac deinde Valentinianus non solum bonorum publicatione, sed etiam capitis supplicio contumaces coercendos esse mandarunt, ut habetur in l. Damnato C. de Hæret. et Manich. et l. Jubemus C. de Summa Trin. Deinceps, cum Nestoriani curaverint circumferri libros Diodori Tarsensis, et Theodori Mopsuesteni, in quibus Nestorii errores magna ex parte latebant, Cyrillus Alexandrinus, et Acacius Metropolita Armeniæ coactis Synodis, illos proscripserunt, caveruntque, ne Fideles eos haberent. Liberatus in Breviar. c. 10. Item anno 451, Concilium Chalcedonense libros Eutychetis damnavit; Concil. Chalcedon. Act. 2.; et eodem tempore insuper mandavit

ut omnes Manichæorum libri flammis traderentur; *Platina apud Braschium loco supra cit.* ac proinde Marcianus Imperator horum Canonum contemptores damnavit pœna deportationis : atque si impia dogmata postea docuissent, pœna mortis ; Exstat in Concil. Chalced. Act. 3. et vide etiam Baron. ad ann. 418 et 419.

IV. Eodem Sæculo V. iterum S. Leo libros Manichæorum proscripsit, ut refert S. Prosper in Chron. ad ann. 443. sic scribens : « Diligentia Papæ Leonis innotuit, qui Manichæos de » secretis suis erutos, et oculis totius Ecclesiæ publicatos omnis » dogmatis sui turpitudinem et damnare fecit, et prodere, incen- » sis eorum codicibus ; multique Orientalium Sacerdotes indus- » triam Rectoris sunt imitati. » Idem S. Leo scripsit : « Curandum » esse : et Sacerdotali diligentia maximè providendum, ut falsati » codices in nullo usu lectionis habeantur. Apocryphæ autem » Scripturæ non solum interdiciendæ, sed ignibus concreman- » dæ.... Unde si quis Episcoporum apocrypha haberi per domos » non prohibuerit, hæreticum se noverit iudicandum ; quoniam » si alios ab errore non revocat, seipsum errare demonstrat. » S. Leo Epist. 15. aliàs 93. c. 15. Edit. Ven. Idem S. Leo, ut legitur in ejus Responso ad S. Turribium, scripta damnavit Apollinaristarum, et Dictinii Episcopi Asturicensis (qui tamen ab errore jam resipuerat) sic inquires : « Sed nemo hæc Catho- » licus præsumat, nec inter Catholicos censeatur, quisquis utitur » scriptis, non solum ab Ecclesia Catholica, sed etiam à suo Auc- » tore damnatis. »

V. Eodem Sæculo. V. putatur prodiisse celebre Decretum de Censura librorum, Gelasio attributum. Baronius ad ann. 69, n. 4. cum aliquibus aliis Damasum credit Decreti illius auctorem, Gelasium verò promulgatorem ; sed Personius in Vindic. Ignatian. Lib. I. c. 4. ex antiquissimo codice, in Angliam perlato à Lanfranco ex Cœnobio Beccensi, legit titulum : « Decretum Gelasii » Papæ de recipiendis, et non recipiendis libris.... quæ sunt » scripta ab eo cum 70 eruditissimis Episcopis. » Et idem confirmat Gratianus, Lupus Ferrar., aliique cum Nicol. Papa. Epist. 42 ad Episc. Galliæ. Lupus Ferr. Epist. ad Carol. Calv. in fin. Gratian. c. Sancta Rom. Dist. 15. Non obstat quidam eodex apud Baluzium, ubi Decretum illud adscribitur Hormisdæ Papæ, nam ut referunt idem Baronius, Pagius, Card. Noris, et alii, Baron. ad ann. 420. n. 21. Pagius ibi in Crit. ann. 494. n. 4. Noris in Cœnotaphiis Pisanis Diss. 4. §. I. P. Orsi Hist. Eccles. ad ann. 494. idem Hormisdæ scribens ad Professorem Episcopum, asserit, jam pridem extitisse Decretum, dicens : « Quæ essent » catholica dogmata (in illo Decreto) definiuntur, ac certa libro- » rum, etiam veterum in auctoritate recipienda. » In Decreto autem Hormisdæ legitur : Non solum repudiata (nempe Hære- » ticorum scripta), verùm ab omni Romana, et Apostolica Ec- » clesia eliminata, atque in suis Auctoribus anathematis indisso- » lubili vinculo in æternum confitemur esse damnata. » Abbas de

Fleury scribit Tom. 19. Orat. 7. sup. Hist. Eccl. n. 13. et Tom. 7. p. 64. in eo Decreto simplicem directionem ad cautelam dari, non verò præceptum prohibitionis, quia nullæ in ipso adsunt censuræ, seu pœnæ injunctæ. Sed perperam, nam verbum *eliminata* satis demonstrat, quòd scripta illa jam ab Ecclesia fuerint damnata. Quomodo autem asserere potest Fleury, in illo Decreto nullam adesse censuram impositam, dum in eo legitur, *Sub anathematis indissolubili vinculo* ? Accedit, quòd Clemens VIII in Constitutione *Sacrosanctum*, data die 17 Octobris anno 1595, testatur, Gelasium sub censura librorum illorum detentores jam damnasse. Accedit insuper, quòd Patres Concilii Tridentini, ut refert Cardinalis Pallavicinus, Hist. Conc. Trid. par. 2. c. 18 et 19, ex digestis à Gelasio arguerunt, non esse opus in prohibitione librorum, ut citentur Auctores, quorum sunt libri interdiciendi. Alius autem Auctor, nempe Van Espen part. 1. tit. 22. de Congr. Card. c. 4. n. 2, dicit, in laudato Decreto actum esse tantum de publica, non autem de privata lectione. Sed hic etiam perperam, nam in Decreto dicitur, « Cum hæc ad Catholicorum » manus devenerint ; » quis non videt, hæc etiam de privata lectione fieri sermonem ?

VI. Seculo 6, anno 536, Patres Concilii sub Menna Constantinopolitano proscripserunt libros Severi, Petri Antiocheni, et Zoaræ, dicentes : « Abjicimus et anathemate ferimus omnia ab » ipsis conscripta. » Et deinde ab Imperatore petierunt, ut sua sanctione canones pro re illa statutos roboraret. Synod. sub Menna action. 1. Eodem tempore Papa Vigilius damnavit scripta Theodoretæ adversus S. Cyrillum ; item libros Theodori Mopsuesteni, et Epistolam Ithæ ; ac deinde anno 555, libri illi in Concilio II Constantinopolitano igni traditi sunt, et omnia eorum exemplaria, si quæ postmodum invenirentur, sub excommunicatione vetita. De libris pariter Priscillianorum in Concilio I Bracharensi anni 563, sic legitur (ibi in Can. 17.) : « Si quis Scripturas, quas » Priscillianus secundum suum depravavit errorem, vel tractatus » Dictini (quos ipse scripsit, priusquam converteretur) legit, » aut defendit, anathema sit. » Pariter in Concilio Toletano III. anni 589, habetur : « Sancitum est, ut libri omnes Hæreticorum » igni comburendi darentur. » Baron. ad ann. 589. n. 44. In sequentibus seculis anno 649, in Concil. Romano sub Martino I. Can. 18 dictum fuit : « Si quis non respuit, et anathematizat » animo et ore nefandissimos Hæreticos » (nempe Theodorum Pharanitam, Cyrum, Sergium, et Paulum Pyrrhum) « cum omnibus impiis eorum conscriptis .. condemnatus sit. » Et in Act. 4. damnata fuerunt et sub anathemate prohibita scripta commentitia Mennæ, et Vigilii Papæ de unica Christi voluntate. Et in Trullano anno 692, Can. 63, proscriptæ fuerunt quædam apocryphæ Martyrum Historiæ, et flammis traditæ. Item anno 745 S. Bonifacius Episcopus Moguntinus, Sedisque Apostolicæ Legatus Concilium advocavit, cujus imperio scripta impii Adalberti combusta fuerunt. Deindeque Zacharias Papa in Concilio

Romano idem confirmans dixit : « Optimè provisum à vestra » sanctitate, ut conscripta illius omnia igne concrementur : » Apud Baron. ad ann. 745. n. 36. Item in Concilio Nicæno II. an. 787, proscripti fuerunt aliqui Iconoclastarum libri, his verbis : *Anathema illis libris, et eis qui legunt.* Ibi Act. 2.

VII. Nono sæculo Nicolaus Papa, cùm requisitus fuisset à Bulgaris, quid faciendum de libris allatis à Saracenis; respondit : « Utpote noxii et blasphemii, igni tradendi. » Nic. Papa Epist. ad Bulgar. Præterea Adrianus Papa anno 869, sic Basilio Imperatori scripsit : « Cuncta decernimus exemplaria (Photii) prorsus » à possessoribus ablata igne cremari; nec superesse apud quemlibet ex his unum apicem, nisi fortè quisquis totius nominis » Christiani dignitate, anathemate percussus, carere voluerit. » Accendatur etiam tuæ zelus pietatis etc. » Sicque prosequitur Pontifex, rogans Imperatorem, ut ipse suis etiam Edictis pœna coerceret inobedientes. Apud Beyerling. verb. Dedecus lit. f. Concilium Tullense XIV. anno 860. Can. 4 confirmavit Canonem IV. Concilii Valentini III. qui de libris Scoti Erigenæ ita statuerat : « A pio Fidelium auditu penitus explodimus, et ut talia » et similia scripta caveantur, auctoritate Spiritûs Sancti interdicitur. » Leo IX. anno 1050, in Concilio Vercellensi sub anathemate pariter damnavit librum Scoti de Corpore Christi. Honorius III. anno 1225, confirmans Acta Concilii Senonensis, proscripsit alium præfati Scoti librum de Naturis. Lanfranc. de Corp. Dom. c. 4. Præterea in Concilio Romano sub Nicolao II. anno 1059. Berengarius, ejuratis erroribus, adducere omnes suos suorumque libros coactus est, qui omnes concremati fuerunt. Lanfranc. loc. cit. In Concilio Sussionensi anno 1121, coactus est Petrus Abelardus sua scripta propriis manibus igni committere. Gaufrid. in Vita S. Bernardi l. 3. c. 5. Innocentius II. sub excommunicatione mandavit, ut qui haberet libros præfati Abelardi, et Arnaldi à Brixia, illos statim combureret. Extat in Concilio Lateranensi in fine. Idemque præceptum datum fuit anno 1140, in Concilio Senensi. Apud S. Bernard. ep. 115. ad Yvonem Card. Idem de libris Gilberti Porretani statuit Eugenius III. anno 1148, in Concilio Rhemensi, ut refert Gaufridus dicens : « Dominus Papa Apostolica auctoritate capitula ipsa damnavit » districtè præcipiens, ne eundem librum legere, vel transcribere » quis auderet. » Gaufrid. ap. Gravel. tom. 1. Hist. part. 4. Coll. 4. et ap. Nat. Alex. t. 13. p. 77.

VIII. Pariter Concilium Parisiense anno 1204, damnavit libros Davidis à Dinando : *Qui libri*, ait Rigordus, de Gestis Philip. apud Petav. in Prolog. c. 3. n. 8, et apud Natal. Alexand. tom. 16. p. 156, « jussi sunt omnes comburi; et sub pœna excommunicationis cautum est in eodem Concilio, ne quis eos de cætero » scribere, legere præsumeret, vel quocumque modo habere. »

In concilio Toletano 1229, vetitum fuit, ne Laici cujuscumque generis et statûs penes se haberent, durante hæresi, quemcumque librum sacræ Scripturæ, exceptis Psalterio, et Breviario. Concil.

Toletan. Statut. 13. apud Harduin. tom. 7. Collect. col. 178. Et quoniam Hæreticorum est sacras Scripturas in vernaculam linguam vertere, ut illas modo suo interpretantes erroneè postmodum tradant suis addiscendas, ideo Synodus Biterrensis ann. 1245, (c. 36.) interdixit omnes Scripturæ libros vulgarem in linguam traductos. Idem statuerunt Concilia Hierosolymitanum, Mechliniense, Cameracense, et alia plura, quæ observari possunt in libro edito Parisiis anno 1661, ex præcepto Cleri Gallicani sub titulo: « Collectio Auctorum, qui ex professo sacræ Scripturæ in vulgarem linguam translationes damnarunt. » De hac re adest etiam quarta Regula Indicis. Insuper Papa Clemens XI. proscripsit Propositionem 79. Quesnellii, quæ dicebat: « Utile, ac necessarium est omni tempore, omni loco, et omni personarum generi studere, et cognoscere spiritum, et pietatem, et mysteria sacræ Scripturæ. » Præterea Cancellarius Parisiensis, et Doctores regentes jussu Gregorii IX. libros Thalmudos publicè concremarunt. Nat. Alexand. Tom. 16. p. 41. Idem statuerunt Clemens IV. Honorius IV. Joannes XII. et alii, Vide Sixtum Senens. l. 2. tom. 1. p. 202, et ex sola Bibliotheca Judæorum, quæ erat Cræmonæ, combusta sunt duodecim millia exemplaria. Insuper Julius III. Constitutione 23. *Cum sicut jus*, præcepit quoscumque Codices Judæorum ex eorum domibus eruendos et concremandos: Clemens VIII. Constitut. 20. *Cum Hebræorum*, omnibus facultatem ademit, adhuc Inquisitoribus, et Legatis à Latere, imperciendi licentiam ad eos legendos.

IX. Alexander IV. Const. *Romanus Pontifex*, anno 1256. sub excommunicatione vetuit, ne quisque haberet scripta Guillelmi à Sancto Amore, mandavitque, ut intra octo dies illa comburerentur; et omnes paruerunt. Vide Guillelm. Nancium in Vita S. Ludov. ann. 1225. Pariter Petrus Tarraconensis Archiepiscopus auctoritate Alexandri V. anno 1260. sub anathemate libros Laurentii Lulli proscripsit; et cum deinde anno 1376. Gregorius XI. prohibitionem confirmasset, Petrus Aragoniæ Rex de illa mœrens Pontificem rogavit, ut opus Lulli iterum examinaretur ab Episcopo Barcinonensi: sed hoc non obstante, proscriptio stetit, et Rex humiliter illi acquievit. Item Thomas Arundelius Archiepiscopus Cantuariensis, coacto Concilio Provinciali anno 1408. Oxoniæ, prohibuit sub excommunicatione, ne quis legeret aut haberet quemcumque librum ab Academia Oxoniensi, aut Cantabrigensi priùs non probatum. Pariter Joannes XXII. in Concilio Romano anno 1513. plures libros damnavit, Episcopis curam injungens, ut omnes illi concremarentur. Vide Labbè tom. 1. Conc. par. 2. et Natal. Alexand. t. 16. p. 231. Idemque mandat renovavit Concilium Generale Constantiense anno 1415. His perspexit nequo intelligere, qua fronte possint quidam asserere, Ecclesiæ tantum esse censuram dare de pravis libris, non verò illos prohibere, et comburere.

CAPUT IV.

Respondetur inanibus Adversariorum objectionibus, quibus impugnatur librorum prohibitio ab Ecclesia indicta.

I. Diversi diversa obijciunt. Alii absolutè asserunt librorum prohibitionem per se nocuam et injustam esse. Alii concedunt quidem, ad Ecclesiam pertinere censuram ferre de libris, ad Principes verò lectionem eorum prohibere, illosque comburere. Alii demum utrumque Ecclesiæ concedunt, quòd possit nimirum libros damnare, et eorum lectionem interdicere, sed autumant prohibitiones, quæ hisce temporibus ab Ecclesia prodeunt, omnino esse irregulares, et à recto ordine aberrantes, ac proinde non posse conscientias obstringere. Singula discutiamus.

II. Obijciunt igitur I. Injustam esse librorum prohibitionem, ex illo Apostoli: « Omnia probate, quod bonum est tenete. » 1. Thess. 5. 21. Errat igitur Ecclesia Romana, temerè dicunt, librorum lectionem prohibendo, cum unicuique ex præcepto Apostoli datum sit libros lectione probare, bona in eis inventa retinendo, mala autem reprobando.

III. Id confirmant auctoritate S. Hieronymi, qui cùm argueretur ab aliis, quòd Hæreticorum opera evolveret, sic respondit: « Si quis immurmurat, quare eorum explanationes legam, quorum dogmatibus non acquiesco, sciat me illud Apostoli libenter » audire: « Omnia probate, quod bonum est tenete... » « Cur me » lacerant amici mei, et adversus silentem crassæ sues grunni- » tant? Meum propositum est Antiquos legere, probare singula, » retinere quæ bona sunt, et à Fide Catholicæ Ecclesiæ non re- » cedere. » S. Hieron. ep. ad Miner. et Alexand. Confirmant deinde exemplis, et dictis Theophili, et Dionysii Alexandriæ Episcoporum: Theophilus enim, cùm reprehenderetur, quòd scripta Origenis legeret, reposuit: « Si quid boni in illis reperio, » illud excipio, si verò spinosum quid visum fuerit, hoc tan- » quam aculeatum prætereo. » Item Dionysius pariter reprehensus de lectione Hæreticorum, rem cum Deo in oratione conferens, cœlestem vocem audivit ei dicentem: « Lege omnia, » quæ in manus tuas veniunt; valebis enim omnia expendere, et » probare. » Hinc Dionysius legit, et aliis (fortè ipsum reprehendentibus) scripsit: « Acceptavi visionem hanc, tanquam » Apostolicæ voci conformem. » Apud Euseb. Hist. l. 7. c. 7.

IV. Addunt, quòd etiam Hormisdas Papa lectionem librorum pravorum non reprobavit, imò laudavit, eo quòd aliàs non bene possent errores confutari, nec vitari; sic enim dixit: « Nec ta- » men improbatur diligentia per multa discurrens, sed animus à » veritate declinans. Sæpe de his necessaria providetur, de quo » ipse æmuli convincantur, instructio. Nec vitio dari potest nos- » se, quod fugias: atque ideo non legentes incongrua in culpam

» veniunt, sed sequentes. Quòd si ita non esset, nunquam Doctor
 » ille Gentium acquievisset nunciare Fidelibus: Omnia probate,
 » quod bonum est tenete. » Hormisdas epist. 70. ad Possessor.
 Quin et ipse Gelasius in Decreto supra laudato, eodem tempore
 quo damnata opera recensebat, sic ibidem annotavit: « Sed cum
 » hæc ad Catholicorum manus advenerint; B. Pauli Apostoli
 » præcedat sententia: Omnia probate, quod bonum est tenete. »
 Hinc Fleury, et Van Espen inferunt Pontifices, ac ipsummet
 Gelasium libros notatos damnasse, non ut eorum lectio prohibe-
 retur, sed ut illi cum præventionem, et cautela legerentur: dum
 aliàs rigorosa prohibitio (ut aiunt) non nisi perniciosa esse po-
 test, eo quòd libertinos ipsa prohibitio magis ad lectionem im-
 pellit; et contra aufert cordatis viris, ut possint errores qui ser-
 punt annotare, et confutare.

V. Respondetur. Et primò, quoad textum illum Apostoli,
Omnia autem probate, etc. communiter dictum illud explicatur à
 Commentatoribus, Estio, Cornelio à Lapide, Ugone, Natal.
 Alexand. Tirino, et aliis; nimirum quòd omnia, quæ dubia et
 incerta sunt, examine et probatione indigent, prout erant quæ-
 dam prophetiæ, de quibus sermonem fecerat Apostolus in versu
 præcedenti, ubi dixerat: *Prophetias nolite spernere*; has voluit
 B. Paulus judicari, an veræ fuerint aut falsæ; jampridem enim
 ab ipso Domino (Deuter. 13. 3.) mandatum fuit, ne Pseudo-
 Prophetæ à Fidelibus audirentur; Tertullianus autem miserè
 in hæresim impexit, quia Montani, et insanarum Mulierum
 somnia ut prophetias habuit. Non igitur, inquit Estius, de om-
 nibus doctrinis verba illa dixit Apostolus, sed tantùm de iis, quæ
 de novo proferebantur à Fratribus, et nondum probatæ erant;
 hæc enim dijudicari oportebat, secundùm id, quod idem Paulus
 præcepit Corinthiis scribens: « Prophetæ duo aut tres dicant, et
 » cæteri dijudicent. » Cor. 14. Ea verò, quæ ab ipso, aut ab aliis
 tradita erant Apostolis, non dijudicari vult, sed teneri; ut in 2. ad
 Thessal. c. 2. inquit: « Tenete traditiones, quas didicistis. Et 1.
 » Cor. 11. Laudo vos, quòd... sicut tradidi vobis, præcepta mea
 » tenetis. » Præterea dicit Natalis Alexander, probare doctrinas
 librorum, non unicuique commissum est, sed tantùm Episcopis
 quos Spiritus Sanctus Ecclesiæ Dei præfecit, et maximè summo
 Pontifici Christi Vicario, ac totius Gregis Christi supremo Pas-
 tori. Pravi autem libri non damnantur ab Ecclesia nisi post dili-
 gens examen; nullum igitur iudicium aliud de illis operibus ex-
 spectandum, quæ jam Ecclesia improbata iudicavit.

VI. Quod verò ad S. Hieronymum attinet, certum est, quòd
 ipsemet Sanctus Doctor lectionem pravorum librorum constanter
 reprobaverit, in quadam enim Epistola ipse scripsit: « Docto-
 » rum hominum tractatus lege, eorum dumtaxat, quorum fides
 » nota est; non necesse habes aurum in luto quærere. » S. Hie-
 ron. Epist. 10. ad Furiam. Hancque Epistolam animadvertens
 Marianus Victor, sic annotavit: « Ubique sanctissimus Vir
 » inculcat, ut ab Hæreticorum apocriphisque voluminibus absti-

» neamus; et improbat rationem, qua præterditur aurum ex
 » luto quæri. » In Oper. S. Hieron. t. 1. p. 10. in chol. Præ-
 » terea S. Hieron. summis celebravit laudibus Decreta Eusebii, et
 » Dionysii Alexandrini, quibus à lectione librorum Origenis Fi-
 » deles arcebantur. Præterea ipse Hieronymus auctor fuit, ut
 » iidem Origenis libri proscriberentur à Venerio Episcopo Medio-
 » lanensi, et à Pontifice Anastasio, cujus deinde Decretum undi-
 » que ipsemet propagavit. S. Hieron. Ep. 78. ad Pammach. Ipse-
 » met præterea laudat Pammachium, qui cum legisset Origenis
 » Principia, « Exhorruit, et reclusit scrinio, ne prolati in vulgus
 » multorum animos vulnerarent. » Idem Ep. 59. ad Avitum.
 » Tandem testatur, se exemplar Origenis olim à se translatum
 » nulli unquam præbuisse, ex quo notat Commentator : « Au-
 » » diant hæc qui Hæreticorum libros passim sibi legendos fore
 » » contendunt, et salubrem Parentis Ecclesiæ prohibitionem des-
 » » picunt; venenum enim aureo etiam haustum poculo semper
 » » nocet. » Marian. Vict. in præf. Epist. Scribit alibi idem Hie-
 » » ronymus hæc magni ponderis verba : « Melius est aliquid nescire,
 » » quam cum periculo discere. » S. Hieron. Reg. Monach. t. 9.
 » Edit. Col. p. 198. Alibi demum, ut alia prætereamus, sic gravissi-
 » » me monet. « Nemo ad Lupanar mittit Virgines suas, quamvis quæ-
 » » dam ibi reperiri possent de turpi corruptione lugentes; nemo Hæ-
 » » redem suum latronum turbæ committit, ut discat audaciam: nemo
 » » in perforatam intrat cymbam, ut discat vitare naufragium; et ad
 » » planum prostibulum, hæresibus plenum volumen, animam di-
 » » riges immunem doli, ut ibi discas catholicam veritatem? » Idem
 » S. Hier. apud Sixtum Senens. l. 2. t. 1.

VII. Quòd si uno illo in loco ab Adversariis objecto diversi-
 » mode S. Doctor sentire videatur, hoc nimio ejus ardori parcen-
 » dum, quo à Rufino et aliis impetebatur. Hinc non desunt, qui
 » de hujusmodi lectione Hieronymum reprehendunt. Vid. Chris-
 » tian. Lupum... Et ipsemet adhuc fatetur de tali re à Domino
 » fuisse correptum, ac etiam flagellis coercitum. S. Hieron. in
 » Reg. Monach. Scribunt alii, Hieronymum libros quoscumque
 » legisse propter Ecclesiæ necessitatem, et de licentia saltem tacita
 » Damasi, aliorumque Pontificum. Cæterùm sciendum est, quòd
 » tunc temporis magna vertebat controversia inter Episcopos, an
 » permittenda, aut vetanda foret Operum Origenis lectio? Nega-
 » bat Theophilus Episcopus Alexandriae, et Epiphanius Salaminæ
 » in Cypro, quorum tamen decreta erant tantum particularia pro
 » suis Ecclesiis. Affirmabat autem Eusebius (qui tunc Apologiam
 » de libris Origenis tradiderat), item Chrysostomus, Theotimus,
 » Cassiodorus, et alii, ac ipse Hieronymus, dummodo cautè atque à
 » paucis peritis præfati libri legerentur. Adde, quòd lectio ipsorum
 » non erat usque tunc damnata; quis dubitat, quin si ipsa ab Ec-
 » clesia fuisset vetita, Hieronymus Ecclesiæ paruisset?

VIII. Quòd autem ad Theophilum Alexandriae Patriarcham
 » pertinet, respondetur, quòd, licèt ipse immunem se diceret ab
 » omni reprehensione, quia in lectione librorum Origenis cautè se

gerebat, omnino reprobando quæ prava videbantur; attamen refert Socrates, Hist. l. 6. c. 17. Theophilum nihilominus damnatum fuisse à Concilio, nec excusationes ab eo allatas fuisse admissas. Si igitur hic Patriarcha damnatus fuit, eo quòd libros nondum vetitos legerit, quisque videre potest, qualis fuerit Orientalium sensus circa lectionem librorum jam proscriptorum. Quod verò adducunt Adversarii de Dionysio, id multò longiùs eorum causam infirmit, quàm adjuvat. Relege, benigne Lector, quæ de hoc diximus cap. II. n. 5. ubi retulimus quòd Dionysius non ausus sit legere Hæreticorum libros, nisi Divina visione, et voce confirmatus; et nihilominus adhuc à suis apud Pontificem accusatus fuit, qui non omisit eum de hoc reprehendere, prohibuitque, ne deinde hujusmodi lectionem prosequeretur. Mira res! primis illis Ecclesiæ sæculis, quando paucissimi habebantur Sacræ Scripturæ Explanatores, si vel Patriarcha opera legisset alicujus magni nominis Interpretis, qui in aliquem errorem incidisset, scandalo erat Fidelibus, et reprehendebatur, et deferebatur, et damnabatur: et hodie, cum SS. Patribus, et multis affluamus Explanatoribus, in quorum operibus doctiùs, quàm in libris Hæreticorum veritates elucidantur, inveniuntur homines Ecclesiam criminantes, quòd librorum erroribus infectorum ovibus suis lectionem prohibeat!

IX. Scripta demum ab Hormisda nobis opposita minimè obstant: non enim Pontifex ignorare potuit traditionem Ecclesiæ, Conciliorum Canones, Decessorumque Decreta, nempe Leonis, aliorumque Pontificum, et multò minùs Decretum Gelasii, quod ipsemet et Hormisdas in eadem sua commendat Epistola. Ipse insuper ibidem adnotat, Gennadii libros ab Ecclesia non recipi. Insuper ipsemet Fideles à lectione librorum Manichæorum, aliorumque Hæreticorum compescuit. Vid. Platinam in Hormisdam apud Beyerling. Verb. Dedecus. Quod autem Hormisda scripsit Possessori, nempe, « Non legentes incongrua in culpam » veniunt, sed sequentes, » illud quidem scribit sine præjudicio prohibitionis damnatorum librorum. Fervente Constantinopoli magna controversia circa Gennadii librum, bene poterat Possessor Episcopus eum legere, etsi novisset damnatum; quandoquidem Concilium Carthaginense (ut supra diximus) non diu ante celebratum, decreverat, posse Episcopos legere damnatos libros Hæreticorum *pro necessitate, et tempore*: quantò magis igitur legere poterat Possessor, tempore quo liber Gennadii nondum fuerat damnatus. Nolebat autem ipse illum legere, nimis in ea ita scrupulis indulgens; at de hoc ab Hormisda fuit exprobratus, propter illud Apostoli monitum, *omnia probate*; opus est enim, ut Pastores aliqua probent, ac deinde oves instruant de iis, quæ tenere, et quæ abjicere debeant. Dicere autem cum Adversariis, quòd stricta librorum prohibitio non potest esse nisi perniciosa, eo quòd Libertinos magis ad legendum impellat: hoc argumentum infringit omnia Ecclesiæ, imò ipsius Dei mandata. Hæc quidem est misera hominum conditio, ut vetita avidiùs patrare cupiant,

juxta vulgare illud proverbium; *Prohibitio generat appetitum*. Sed hoc non evenit, ut ait Chrysostomus, Hom. 10. in Epist. ad Rom. ob legis naturam, sed propter eorum, qui legi tenentur parere, defectum. Augustinus dixit; Auxit prohibitio desiderium, Serm 4. de Verbis Apostoli. Et alibi: « Hoc ipsum quod concupiscitur, fit jucundius, cum vetatur. » Ibidem c. 10. Sed quid inde? Numquid justa præcepta ex hoc erunt perniciosa, ac proinde permittendum erit, ut homines agant quidquid velint?

X. Præfatum hoc ridiculum argumentum primus proposuit petulans Petrus Soave; sed illud egregiè diluit Cardinalis Pallavicinus, dicens, quòd licèt lectio noxia librorum per se à natura sit vetita, tamen valde prodest ad vitandos lapsus inuncta Ecclesiæ prohibitio; « *Imperchiocchè (sunt verba Pallavicini) maggiori peccati si schifano, mentre innumerabili persone per ubbidienza rattenendosi da si fatti libri, rimangono liberi dal male, in cui le trarrebbe improvvedutamente una tal lezione. Ne si scorge bastante in pratica il rimetter ciò alla coscienza di ciascuno, il quale consideri, se un tal libro il ponga in lubrico di caduta, onde sia in obbligazione di non usarlo. Questo pericolo mal si conosce, se non tardi, ed ea rea prova. Di molte opere à molti non è nota la contenenza prima della lezione. Onde a ciò troppa è la fidanza che ha l'Uomo si del suo sapere, che del suo potere: ciascheduno si persuade, che da niun seduttore sarà ingannato, da niun vischio sarà impaniato. Le istorie che raccontano ciò che una volta fu, è le favole che rappresentano ciò che molte volte suol esserè, son piene di esempi, i quali insegnano, quanta in ciò sia la presunzione degli Uomini avanti al fatto, quanta la debolezza nel fatto; senza che la proibizione de libri cattivi porta insieme due altri salutevoli, e considerabili effetti: l'uno è che il timore di questa autentica nota ritiene molti dallo scriverli, o dal divulgarli: l'altro che ella col difficoltarne lo spaccio, ritrae gli Stampatori dall' impressione, ed i Librai dalla compera; onde la trista erba per difetto di coltiatori apoco a poco si dirada, emuore; e le penne, i torchi, et le botteghe son inoitate dall' esca dell' utilità ad impiegarsi solo in opere profittevoli. » Quamvis igitur aliquando alicui viro pio prodesse poterit legere pravum librum erroribus notatum, nihilominus (generaliter loquendo) magis expedit ab hujusmodi lectione homines remove, ut illusionum periculum vitetur, aut saltem, ne ipsorum exemplo Libertini ad legenda inducantur ea, quæ faciliè subversionis causa eis esse poterunt.*

XI. Objiciunt II. per librorum prohibitionem, ac multò magis per eorum concremationem ipsam Rempublicam lædi, et ideo plures maximam subire bonorum ac famæ jacturam; hinc illas nonnisi à sæculari Principe posse imperari, ad quem unice spectat super bona temporalia jurisdictionem exercere. Addunt, quòd Ecclesia nonnisi posterioribus hisce sæculis hujusmodi negotiis se immiscuit, quamvis enim, ait Petrus Soave, apud Pallavic. Hist. Trid. p. 2. l. 15. c. 18. Ecclesia semper libros malos dam-

naverit, eorumdem tamen prohibitio et concrematio non nisi per Principes legitur imperata, ut apparet ex prohibitione librorum Arii vetitorum à Constantino, Nestorii à Theodosio, Prophyrii à Justiniano, Eutychetis à Valentiniano et Martiano, Pelagii ab Honorio, ac tandem Lutheranorum à Carolo V. Nec nisi seculo XIII Ecclesiam hanc jurisdictionem usurpasse asserunt, tempore quo in Concilio Tolosano prima vice ipsa Fidelibus interdixit Sacrae Scripturae lectionem.

XII. Respondetur. Jam supra Cap. II et III satis evidenter ostensum est, ad Ecclesiam praecipue pertinere libros, qui Fidem vel mores offendunt, prohibere, cum ipsi Ecclesiae praecipue incumbat oves suas à venenatis pascuis remove, et hanc jurisdictionem jam à primis seculis innumeris exemplis demonstravimus semper exercuisse interdicens et concremandi libros nocuae lectionis, ipsis videntibus et comprobantibus piis Principibus. Quod si aliquando Principes libros Fidei aut moribus adverso proscripserunt, aut concremarunt, hoc fecerunt ad petitionem Ecclesiae, ut sua potestate coercerent renuentes Ecclesiae, canonibus se subjicere, prout Constantinus ex praeepto Concilii Niceni scripta Arii abolere mandavit. Reynauld. de Bon. et mal. I. p. 3. Erot. 2. n. 466. Barbosa de Off. Ep. p. 3. All. 50. Honorius libros Pelagianorum, instantibus Zozimo et Bonifacio Episcopis. Vid. Cap. III. Theodosius et Valentinianus libros Nestorii, et Porphyrii, postulante Concilio Ephesino. Ibidem. Justinianus libros Severi, petentibus Patribus Consilii Constantinopolitani. Ibidem. Basilius scripta Photii ad instantiam Adriani Papae, qui illa prius damnaverat, et ex Oriente transmissa Romae ignibus tradidit. Ibid. Ludovicus Pius librum Claudii à Sorino ex Episcoporum judicio commisit igni. Idemque fecit S. Ludovicus Rex de libris Thalmudicis judicio Innocentii IV.

XIII. Saltem omnes libri, qui à Principibus damnati fuerunt, prius ab Ecclesia fuerunt interdicti. Sic libri Eutychanorum proscripti à Marciano, antea jam à Concilio Chalcedonensi (cui Imperator interfuit) fuerunt vetiti. Libri Wicleffi damnati à Riccardo II Angliae Rege, jam prius à Gregorio XI fuerant damnati. Et idem accidit de libris Novatorum à Carolo V proscriptis. Porro ipsimet Principes fatentur, se gladium habere ad Canones Ecclesiae custodiendos; sic enim declaravit Childebertus Rex: « Quia necesse est ut plebs, quae Sacerdotis praeepta non » ita ut oportet custodit, nostro etiam corrigatur imperio. » Constitutio Childeberti in Capit. in Labbè t. 6. Concil. col. 487. Ludovicus VII Galliarum Rex; « Quare digna vox est majestatis Regnantis, Dei servum et Ecclesiae defensorem se Principem profiteri. » Epist. Ludov. VII ap. Baluz. in Addit. ad lib. de Concord. Petr. de Marca. Concedimus, alii opponunt posse Ecclesiam prohibere libros Religionem impugnantes, sed quo jure Ecclesia poterit sibi potestatem arrogare proscribendi libros de Philosophia, vel de aliis materiis tractantes? At istis sapienter respondit Cardinalis de Luca inquires: « Quamvis

» **impium** vulgus hanc prohibitionem ad solos libros, qui Fidei
 » dogmata continent restringere satagat, quasi quòd ea quæ
 » mores, vel pietatem, sive Ecclesiasticam potestatem seu liber-
 » tatem concernunt, ad Fidem non pertineant : prorsus tamen
 » erronea est hæc opinio, quæ ignorantiae et malitiæ filia est,
 » quoniam ista sunt semina hæresum, vel schismatum, vel ra-
 » dices, vel præparationes. » Card. de Luca *Theatr. Verit. et*
Just. tom. 15. p. 2. d. 19. à n. 10. Confirmatur, quòd dicimus, ex
 Decretali die 4 Mart. ann. 1755, emanata à Benedicto XIV, et
 directa ad Episcopos Regni Poloniæ (vide in Bullar. ejusd.
 Benedicti tom. 4); ibi loquens Pontifex de quodam libro edito
 à P. de Borde Congregationis Oratorii in Gallia, in quo Auctor
 « labefactat (verba sunt Decretalis) potestatem Ecclesiæ à
 » Christo Domino collatam, non solùm dirigendi, sed etiam ju-
 » bendi per leges, et contumaces exteriori judicio et pœnis coer-
 » cendi, Ecclesiasticum ministerium ita seculari Dominationi
 » subjiciens, ut ad hanc spectare pronunciet de externa omni ac
 » sensibili gubernatione cognoscere ac judicare. Hoc pravum ac
 » perniciosum systema jampridem à Joanne XXII, in Constitutio-
 » tione, » licet juxta doctrinam, « reprobatum, ac pro hæretico
 » expressè damnatum, » ut testatur, Benedictus iterum damnat,
 præfatique Auctoris propositiones, impias et hæreticas declarat.

XIV. Objiciunt III. non rarò censuras librorum committi viris
 imperitis, aut maledicis, et invidis, qui de rebus scriptis vel
 nesciunt judicare, vel quibus Auctores sunt exosi, et ideo, ipsi,
 salebras in plano quærentes, sive benè sive malè Auctor scrip-
 serit, damnandum esse volunt, ut loquuntur Raynaudus, *de bonis*
et mal. lib. p. 3. Erot. 3. n. 512. et Ludovicus Muratorius, *Buon-*
Gusto. p. 2. c. 1. Et sic opera Ven. Bellarmini fuerunt vetita.
Fulgat in Vita Bellarm. c. 11. Sic etiam scripta S. Thomæ
 fuerunt sub anathematis fulmine interdicta à quodam Episcopo
 Parisiensi, *Raynaud. l. c. n. 579.* Quapropter referunt Pium II
 Francorum Regem sic monuisse Carolum VII, Filium, ut refert
 Launojus (*Vide apud Launojum.*) « Obsecro, carissime Fili, ut
 » Doctoribus Sedis Apostolicæ semper non credas; multa illorum
 » passionibus tribuas. » Hinc dicunt, quòd ad errores fraudesque
 vitandas omnino opus est, ut in prohibitione librorum Auctores,
 vel alii pro ipsis audiantur, qui operum tueantur partes; agitur
 enim de re gravi, nimirum de fama Scriptoris, et de ejus non
 levi damno propter editionem libri jam perfectam: ideo pertinet
 ad substantiam judicii, ut reus citetur et audiatur, juxta ipsorum
 Canonum præscriptum; nam in Clementina *Pastoralis* sic dicitur:
 « Dicine ergo sententia meruit, quæ à Judice,.. in absen-
 » tem, nec citatum legitimè, ac inauditum per consequens et
 » indefensum, non maturo fuit judicio, sed præcipitio promul-
 » gata? » Idem pluries et fortiùs per Leges civiles præscribitur.
 Non potuit igitur Ecclesia Romana retractare, quòd lex Gentium
 et Imperatorum, Canones, item natura, et ipse Deus præcepe-
 runt. Nec aliter, dicunt, se gessisse Ecclesiam; in Concilio enim

Lateranensi IV. ubi de libro Joakim agebatur, qui è vivis discesserat, ejus Monachi pro ipso auditi fuerunt. In Concilio Basileensi, cum damnandus esset cujusdam Augustini liber, Auctor citatus fuit, quamvis ille ita postea non accesserit. Pariter in Concilio Tridentino, quoniam singulos Auctores citare impossibile erat, facta est generalis citatio per edictum eorum, de quorum libris agebatur : et sic in similibus casibus pariter actum est.

XV. Respondemus : Fatemur quidem, in damnatione librorum errores et fraudes intervenire posse, sicut in aliis omnibus humanis judiciis : sed quid inde? numquid ideo legitimæ auctoritati minimè parendum? Hoc unum inde deduci potest, scilicet probos et peritos seligendos esse Censores; et hoc jam ab Ecclesia præstat. Ad id firmandum oportet hîc rectum exponere ordinem, quo Ecclesia in prohibitione librorum cautissimè se gerit. Primis Ecclesiæ seculis tantùm à Pontificibus vel Conciliis, vel Episcopis scripta perniciosa proscribendi mos erat; sed ubi Hæretici excreverunt, eorumque libri latiùs diffundebantur, necesse judicatum fuit novis malis novis remediis occurrere. Ideo Ecclesia Congregationes priùs Inquisitorum, et deinde Indicis statuit, quibus Librorum examen et facultatem eos prohibendi commisit. Primus omnium Innocentius III ann. 1204. contra Albigenses Hæreticos, Tolosanam Provinciam infestantes misit Inquisitores, cum potestate in eos procedendi, eorumque libros prohibendi, ac concremandi. Idem confirmarunt postea alii Pontifices pro aliis Provinciis. Et idem obtinuit ab Alexandro IV S. Ludovicus pro Gallia, et à Pio IV Carolus V pro Hispania, aliisque suis ditionibus. Philippus II idem Tribunal Inquisitionis voluit et in nostro Regno Neapolitano constitui, sed Neapolitani, qui semper erga Romanam Ecclesiam summa fuerunt fidelitate affecti, et in Fide Catholica stabiles, ab eo tanquam nonnecessario, ac fidelitati suæ quodammodo injurioso, instantibus precibus, magnoque conatu exemptionem impetrarunt.

XVI. Paulus autem III anno 1552. in Bulla 34. quæ incipit *Licet ab initio*, statuit Romæ Congregationem Generalis Inquisitionis, cui pravos libros prohibendi curam imposuit; licèt enim damnatio librorum nunc sit Congregationis Indicis, quæ postea erecta fuit, attamen etiam nunc prævalet illi Congregatio Inquisitionis, adeo ut plures libri, quorum lectio à Congregatione Indicis permittebatur vel damnabatur, postmodum à Congregatione Inquisitionis damnati sint vel permisi. Benedictus autem XIV in Bulla, *Sollicita ac provida*, edita anno 1753 die 9 Julii (vide in Bullar. tom. 4. n. 19.) statuit Canones, vel potius antiquos (jam olim statutos, saltem æquivalenter) renovavit, circa optimum regimen in libris examinandis, et prohibendis. Primum enim in Congregatione (juxta præscripta) liber tradendus est uni ex Consultoribus, sive Qualificatoribus, qui illum expendere debet, censuramque signare, errores annotando. Deinde idem liber alteri traditur Revisori, suppresso primi Censoris nomine,

ut alter liberius iudicium suum exponat. Si Censor secundus primo assentitur, tunc liber ad singulos Consultores mittitur, ut suum quisque suffragium præbeat: sin autem, adhibetur tertius Revisor. Postea liber cum Censura, et Consultorum suffragiis ad Cardinales transmittitur, ut hi in Congregatione de re definitivè pronuncient. Demum acta omnia ad Pontificem referuntur, cuius iudicio res absolvitur. Quandoque etiam Pontifex ob rei gravitatem iudicium coram seipso habendum mandat.

XVII. Quod autem ad Congregationem Indicis pertinet, sciendum, quòd cum Novatores transacto seculo XVI Occidentem impiis libris repleverint, et eorum damnationes ad Fidelium notitiam, maximè propter bella, difficile possent pervenire, opus fuit ut vetitorum librorum Index efformaretur. Hinc Paulus IV, anno 1557, Inquisitoribus mandavit, ut hunc Indicem conficerent, qui tunc confectus fuit, et anno 1559 jussu ejusdem Pauli divulgatus. At quia in Indice illo melior methodus, aliæque declarationes, ac plurium aliorum librorum et Auctorum nomina desiderabantur; hinc Pius IV, Patribus Synodi Tridentinæ, quæ tunc celebratur, commisit novum Indicem efformandum. Concilium 18 Patres ad hoc selegit, qui opus perfecerunt, detuleruntque; at quia Patres nimium fatigati de reditu erant solliciti, et jam aliqui discesserant, rem ad iudicium Pontificis unà cum Regulis jam elaboratis absolvendam remiserunt.

XVIII. Proinde Pius IV, adhibitis pluribus doctissimis Prælati, Indicem perfecti, ac mandavit ut ab omnibus Fidelibus cum suis Regulis ubique observaretur; decrevitque, ut si quis deinde librum aliquem propter falsi dogmatis suspicionem damnatum legeret, vel haberet, ipso jure in excommunicationem incideret, et in eum tanquam de hæresi suspectum procedendum esset; qui autem libros alia de causa vetitos legeret, præter peccati mortalis reatum, Episcoporum arbitrio severè se nosceret puniendum: ita in Bulla præfati Pii IV *Dominici Gregis*, data 24 Martii 1544. Deinde Philippus II, Rex Hispaniarum, Neapolis, etc., die 15 Febr. 1569, Edictum emanavit; Edictum Phil. II exstat apud Van Espen part. 1. tit. 22. de Congr. Cardin. c. 4. n. 34. et apud Haræum in Annat. Belg. ad ann. 1560, quo præcepit Indicem Romanum præfatum, prout à Pontifici fuerat publicatus, ab omnibus suis Regnis recipi et observari; ipsumque ad omnia Concilia Regia transmitti, ut per Provincias more solito publicaretur; quod in Regno Neapolitano sine contradictione factum est.

XIX. Postmodum, cum libri perniciosæ lectionis magno in numero undique ederentur, nec Congregatio Generalis Inquisitionis sufficeret ad eos examinandos, S. Pius V (ut asserit Benedict. XIV in laudata Bulla, *Sollicita*) operæ pretium duxit novam Romæ Congregationem instituere, appellatam Indicis, quæ in id unice incumberet, ut Ecclesiam à pravis libris expurgaret; eamque confirmarunt Gregor. XIII, Sixtus V et Clemens VIII. qui Clemens insuper anno 1594 præfatum Indicem, multis libris aliquibusque declarationibus adauctum, iterum per totum

Orbem publicari mandavit; addens aliam excommunicationem contra legentes libros Hæreticorum, licet ipsi libri errorem non continerent, nisi prius approbati fuerint, et contra legentes libros Catholicorum de hæresi suspectos.

XX. Refert hic breviter adnotare Regulas Indicis, ut noscatur quàm rectæ sint et necessariæ ad commune bonum. 1. Libri omnes ante annum 1515 damnati, etiamsi in Indice descripti non reperiantur, declarantur vetiti. 2. Libri omnes eorum, qui Capita vel Duces fuerunt Hæreticorum, omnino vetantur; et etiam omnes alii Hæreticorum libri de Religione tractantes; cæteri autem Hæreticorum permitti possunt, modò fuerint examinati et probati. 3. Scripturæ, et libri controversiarum in lingua vernacula non permittantur, sine permissione autem legi non possunt. 4. *Lexica, Concordantiæ, Indices, et alia hujusmodi, in quibus pene nihil Auctoris hæretici habetur, probata permitti possunt.* 5. Libri obscena tractantes absolutè prohibentur, quamvis non inveniuntur in Indice descripti. 6. Pariter vetantur omnes libri, et scripta Necromantiæ, Geomantiæ, Hydromantiæ, Pyromantiæ, Honomantiæ, Chirromantiæ, Astrologiæ judicariæ, et omnia alia in quibus continentur sortilegia, veneficia, ac auspicia: et contra hæc legentes vel habentes procedi potest tanquam suspectos de hæresi. 7. In impressione Scripturarum, et aliorum librorum servandum est statutum in Concilio Lateranensi sess. 10, nempe ut non imprimantur, nisi ex Superiorum permissione. Tum regulæ tradantur pro visitatione Bibliothecarum et Typographiarum: item instructiones pro Episcopis, Bibliopolis, etc. Demum declaratur, quòd legentes vel habentes librum propter falsi dogmatis suspicionem damnatum, ipso facto incurrunt excommunicationem: qui autem alia de causa damnatum legerit vel habuerit, præter peccati mortalis reatum, erit severè ab Episcopo puniendus.

XXI. Congregationis igitur Indicis est, ut fusè declarat Benedict. XIV in cit. Bulla *Sollicita*, §. 1. in examen vocare libros, de quorum prohibitione vel permissione deliberari debet. In hac Congregatione plures adsunt Consultores, et Relatores selecti ex utroque Clero Sæculari et Regulari, atque plures Cardinales à Pontifice Congregationi adscripti. Antequam censura ad Congregationem Cardinalium feratur, alia Congregatio privata sive præparatoria habenda est, cui sex assistunt consultores, cum Magistro Sacri Palatii, et Secretario, cui incumbit vota Consultorum in scriptis adnotare, ut deinde in congregatione Cardinalium unà cum Relatorum censura omnia referat. Præter id novissimè præfatus Benedict. XIV, §. 9. statuit, ut cum de libro agitur Auctoris Catholici, qui sit integræ famæ et clari nominis, vel ob alios editos libros, vel fortè ob ipsum, qui in examen adducitur, et hunc quidem proscribi oporteat, præ oculis habeatur jamdiu recepta consuetudo prohibendi librum, adjecta clausula, *Donec corrigatur, si locum habere possit; ac suspensa Decreti publicatione, ut res antea cum Auctore vel altero pro eo communicetur.*

Si noluerit emendari, vel nullus compareat, Decretum edatur, si verò emendatur, priora tantum exemplaria vetentur. De cætero sequenti §. 10. declarat non esse opus Auctores in iudicium vocare, ac ideo minimè improbandas librorum prohibitiones inauditis Auctoribus indictas : optans nihilominus illud in posterum servari, nempe quod sæpe alias eadem Congregatio facere consuevit, ut quando res est de Auctore Catholico aliqua fama illustri, ejusque opus (demptis demendis) prodesse possit, vel Auctor audiatur, vel unus ex Consultoribus designetur, qui ex Officio opus patrocinetur. Subdit tamen §. 11. hanc Regulam non esse adhibendam, cum agitur de hæretico libro, in quo errores Auctor consultò tradit, vel de aliquo alio opere in quo rectæ morum regulæ labefactantur, ac vitiiis fomenta præbentur. Deinde dicit, ut ambigua dicta Catholici probatique Auctoris in æquam partem accipiantur. Loquendo autem de libris in quibus dogmata Religionis vel moribus exitiosa referuntur, absque eo, quod Auctor ea refutandi curam in se recipiat (quod novum vocat seducendi genus), mandat, ut Revisores in id diligenter intendant, ut vel hujusmodi libri emendentur, vel in Indicem referantur.

XXII. Tandem §. 22. valde exprobrat libros, in quibus « Auctores dissidentes... (verba sunt Pontificis) se conviciis præcitant, aliorum opiniones nondum ab Ecclesia damnatas censura perstringant, Adversarios eorumque... Cætus sugillant, et pro ridiculis ducunt : magno equidem honorum scandalo, Hæreticorum verò contemptu ; qui... Catholicis se mutuo lacerantibus, plane triumphant. Et si verò fieri non posse intelligamus, ut disputationes omnes è Mundo tollantur... compertum prætereà Nobis sit magnam aliquando utilitatem ex iis capi posse ; modum tamen in defendendis opinionibus servari merito volumus. » Subditque §. 23. id jam præscriptum fuisse ab Innocentio XI in Decreto, ubi dictum fuit : « In virtute sanctæ obedientiæ... præcipit, ut tam in libris... quam in thesibus etc. caveant ab omni censura et nota ; necnon à quibuscumque conviciis contra eas propositiones, quæ adhuc inter Catholicos controversantur, donec à S. Sede recognitæ sint, et super eis iudicium proferatur. » Deinde prosequitur Benedictus : « Cohibetur itaque ea Scriptorum licentia, quæ (ut dixit. S. Augustinus lib. 12. Conf. c. 25. n. 34. » Sententiam suam amantes, non quia vera est, sed quia sua est) « aliorum opiniones non modò improbant, sed... etiam notant, atque traducunt. Non feratur omnino, privatas sententias, veluti certa... Ecclesiæ dogmata, à quopiam in libris obstrudi, oppositas verò erroris insimulari. » In quam Scriptorum licentiam, præcipit Pontifex, ut Revisores librorum « pro munere suo censuram intendant, eamque Congregationis Cardinalibus cognoscendam subjiciant, ut eam pro zelo suo, et potestate coerceant. »

XXIII. Inspice igitur, benevole Lector, quàm cantè ac maturè, in hujusmodi examine, et prohibitione librorum Mater Ecclesia procedat. Ad ea verò, quæ scripserunt Raynaudus, et Murato-

rius, respondetur, hos Auctores non de legitima prohibitione locutos, sed tantum de aliqua prohibitione facta à quodam maledico Inquisitore sive Censore. Cæterum ipsi Raynaudus et Muratorius, Raynaud. de malis ac bon. lib. etc. Erotem. 2. jurisdictionem Ecclesiæ ad obligationem proscribendi libros infectos multis confirmant: « Exploratum est (inquit Muratorius) nihil magis » futurum esse cordi pascentibus gregem Christi, quam... avertere ab ovili suo quæcumque venena, quoscumque lupos. Qui » ergo ferant perniciosos libros grassari passim?... Perniciosi » autem, minimèque ferendi sunt ii omnes libri, in quibus aut » corrumpitur doctrina... aut justitia desideratur, aut caritas, » aut prudentia... In his autem omnibus locum habere debet » Ecclesiasticorum judicium, et Apostolicæ præsertim Sedis, atque Conciliorum auctoritas... Audiendi porro non sunt Hæretici, qui Ecclesiasticis Pastoribus irascuntur, et malè quotidie » dicunt propter usum istiusmodi juris; parum sanè æqui dum » Ecclesiæ ac Deo negant, quod ipsi in suis Urbibus propter temporaria commoda faciendum putant. » Contra verò mœrens de aliquibus Censoribus, qui objurgandi aliorum scripta desiderio abrepti facili et sæpe injustè libros erroribus notant, eos valde exprobrat. Protestatur tamen se non loqui de librorum prohibitionibus, quæ Romæ per sacras Congregationes emanant: de his namque sic ait: « Nobis enim jam constat, neque Pontificibus » Maximis, neque supremis aliis Ecclesiæ Magistratibus isthæc » esse tribuenda. Nonnisi sanctissimè instituta sunt Tribunalia, » ad quæ deferantur pravi libri, eorumque Auctores. Optimis » item legibus armata fuere. »

XXIV. Respondetur autem ad alia supra objecta, quòd jure merito opusculum quoddam Bellarmini traditur fuisse vetitum. Opera autem S. Thomæ, si injustè ab uno Episcopo Gallicano damnata fuerunt, jam ab Ecclesia Romana undique commendantur. Quòd si quandoque aliquis liber inconsideratè proscribitus fuerit, id Ecclesiæ auctoritati non officit, nec Fideles ab onere obediendi excusat: hoc enim rarò accidit, et valde magis expedit equidem ad commune bonum, alicujus libri lectionem aliquando non damnandam damnari, quam permiciosi libri damnandam lectionem permitti. Quòd autem Pius II Rex scripsisset, non semper Doctoribus Sedis Apostolicæ esse credendum, id iniquè asseritur: ipse enim Launojus (qui fuit multum Romanæ Ecclesiæ infestus) confitetur, Launojus Ep. 14. p. 8. Animadv. 18. n. 537. et 538 verba illa legi in una sola editione Basiliensi anno 1571 per Hæreticos elaborata; sed in aliis omnibus tam vetustioribus, quam recentioribus editionibus sic legi: « Unum » à te petimus, ut detractoribus Sedis Apostolicæ semper non » credas; multa illorum passionibus tribuas. » Valde quidem differunt verba hæc ab aliis supra relatis. Ejusmodi verò *Detractores* sunt Van Espen, Fleury, Dupinus, præfatus Launojus, et alii similis furfuris Auctores.

XXV. Quod autem subdunt Adversarii, nempe opus esse ad

justum ferendum iudicium, Auctores audire, priusquam ipsorum opera damnentur; dicimus, id nec oportere, nec expedire, ut iam olim iudicaverunt Patres Synodi Tridentinæ contra quosdam paucos Episcopos, qui omnino requirebant, ut Auctores audirentur; in huiusmodi enim iudicio non de personis Scriptorum damnandis tractatur, sed de removendo damno, sive damni periculo, cui Fideles propter librorum illorum lectionem subesse possunt. Ad quid autem requiritur citatio Auctoris, ubi ipsa scripta ejus confessionem exhibent? *Cum vitium*, ait Ludovicus Muratorius de Ingen. Moder. libro 2. capite 5, « satis apertum se dissimulari » non patitur, et excusationi locum aufert, intrepidè sententia » feratur, et inauditis quoque Auctoribus, proscribantur libri, » Reipublicæ debetur isthæc medicina. » Minimè igitur opus, nec expediens est, ut audiantur Auctores, ubi ex iisdem libris potest iudicium efformari, quòd eorum lectio noxia vel saltem periculosa aliis esse possit. Quamvis enim Auctor innoxie scripserit, et deinde in bono sensu valeat scripta sua explicare, nihilominus bene potest et debet Ecclesia librum proscribere, si iudicat, lectionem illius pernecium populis allaturam.

XXVI. Quæro, quid tunc ageret Auctor, si coram audiretur? Vel diceret, se catholico sensu fuisse locutum, vel opus non esse suum? Si primum, nihil id ei proderit ad damnationem operis vitandam, ubi aliqua propositio censetur posse aliis offendiculo esse, quamvis ipse innocens iudicetur. Si secundum, neque id prohibitionem impedire valebit, cum non Auctor damnationi subiiciendus sit, sed tantum Fideles ab operis lectione removeri debent, prohibitio enim non tam libros respicit, quam Fideles quos oportet ab eorum lectione avertere. « Nihil opus esse, inquit » Bened. XIV in Bulla cit. Sollicita, §. 10. Auctores in iudicio vocare, ubi non quidem de eorum personis notandis agitur, sed de consulendo Fidelium indemnitati, atque avertendo » ab ipsis periculo, quod nocua librorum lectione facillè incurritur. Si qua verò ignominie labe Auctoris nomen ex eo aspergi » contingat, non id directè, sed obliquè ex libri damnatione consequi. Qua sanè ratione minimè improbandas censemus librorum prohibitiones inauditis Auctoribus factas, cum præsertim » credendum sit, quidquid pro se ipso... potuisset Auctor afferre, » id minimè à... Iudicibus ignoratum... fuisse. »

XXVII. Sed quid ampliùs de hoc dubitandum, cum id semper ita fieri in Ecclesia consuevit? Ubi iudicium (regula est) de persona faciendum, oportet personas audire: ubi autem de libro agitur, liber audiatur. Imò quid obest, quin ipse Auctor ex suis scriptis, quando manifestè sunt impia, damnetur? Berengarius calumniabatur S. Bernardum, et Synodum Senonensem, quòd Petrum Abelardum inauditum damnassent; sed adversus Berengarium sapienter scripsit Natalis Alexander Hist. tom. II. ad Sec. 6. Disc. 5. « Anne ideo inconvictus, cujus errores in libris ab ipso editis ita erant manifesti? Ex scriptis itaque iudicium de personis ferri posse, et sic institutum Ecclesie iudi-

» cium indeficiens esse, Martinus I et 105. Lateranensis Concilii
 » Patres sic statuerunt : Si causæ cognitio instruat ex hominum
 » testimoniis, et instrumentis criminis, vel innocentiae probationem
 » continentibus, potest Ecclesia errare. Si de facto doctrinali quæs-
 » tio sit, et cognitio causæ instruat ex libris Auctoris, qui erroris
 » accusatur, non potest errare. » Præterea, sæculo septimo Maxi-
 » mus Aquilejensis in eodem Lateranensi Concilio sic Martinum
 » allocutus fuit : « Si placet vestræ Beatitudini, convenienter de
 » his, quæ proponuntur, cognoscere per proscripta eorum adver-
 » sùs Fidem exposita, et quæ sine accusantis persona redarguere
 » apertissimè demonstrantur, propterea enim accusatio extranea
 » superflua esse dignoscitur, quando à suis temerariis conscriptis
 » apertius accusantur. » Ita namque Dominus ait : « ex verbis
 » enim tuis justificaberis, et ex verbis tuis condemnaberis. »
 Matth. 12. 37. Item contra Theodorum, et Origenem in Synodo
 V accusator quippe nullus adfuit, sed tamen sola ipsorum scrip-
 ta ad eos damnandos suffecerunt. Cæterùm, ubi scripta sunt
 ambigua, justum est Auctores audire, priusquam ipsi Auctores
 damnentur.

XXVIII. Textibus autem allatis respondetur, nempe, quòd
 ibi non de libris, sed de personis agebatur. Sic pariter Abbatis
 Joachimi, et Augustini non sola opera, sed etiam personæ accusa-
 bantur. Et sic alii qui adducuntur, ipsi citati fuerunt, quoniam
 non in scripta inquirebatur, sed in personas, quæ de hæresi ar-
 guebantur. Citatio autem illa per edictum à Tridentino data est,
 non quidem ad legitimam reddendam hæreticorum librorum pros-
 criptionem, sed tantùm ad ipsos Hæreticos et Auctores reducidos.
 Quòd aliqui tandem fuerunt quandoque vocati, priusquam ipsorum
 libri damnarentur, hoc non necessitatem inducit, sed tantùm
 æquitatem ostendit in quibusdam casibus adhibendam, prout
 sapienter insinuat Benedictus XIV. in cit. Bulla *Sollicita*, §. 10.
 ubi dicit. « Nihilominus tamen, quod sæpe aliàs... ab eadem
 » Congregatione factum fuisse constat, hoc etiam in posterum ser-
 » vari... optamus, ut quando res sit de Auctore catholico aliqua...
 » fama illustri, ejusque opus (demptis demendis)... prodesse
 » posse dignoscatur, vel Auctorem ipsum suam causam tueri vo-
 » lentem (Congregatio) audiat, vel unum ex Consultoribus
 » designet, qui ex Officio Operis patrocinium... suscipiat. »

XXIX. Obijciunt IV. Ad valorem legis Ecclesiasticæ non suf-
 ficere, ut illa Romæ tantùm promulgetur, eam affigendo ad *Val-
 vas* Basilicæ S. Petri, vel in *Campo Floris*; sed requiri, ut per
 singulas Provincias publicetur. Hinc adstruunt aliqui nostrates
 Nebulones, quòd index Romanus in hoc Regno Neapolitano non
 obliget, utpote non publicatus, nec acceptatus. Et idem asserunt
 de Bulla Cœnæ, qua excommunicantur sub anathemate Papæ
 reservato omnes legentes, vendentes, aut retinentes libros Hære-
 ticorum, hæresim continentes, vel de Religione tractantes.

XXX. Respondetur, hanc objectionem in nostro casu prorsus
 inanem esse; nam primò habemus, ut diximus supra n. 18. tam

Pium IV, quàm Clementem VIII mandasse et curasse, ut Index per totum Orbem publicaretur. Deinde habemus, quòd Philippus II per Edictum datum die 15 Februar. ann. 1569. (Exstat hoc Editum Phil. II. apud Van Espen part. 1. titul. 22. de Congr. Card. c. 4. n. 34.) præcepit Indicem Romanum, sicut per Pium IV publicatus fuerat, recipi et observari in omnibus Regnis suæ Ditionis, et ideo ipsum ad omnia Consilia Regia transmitti mandavit, ut eorum auctoritate per Provincias more solito promulgaretur. Quod proinde præsertim in nostro Regno Neapolitano sine ulla contradictione executioni demandatum fuit. Et cum Innocentius XII conquereretur apud Carolam II quòd in Flandriis quidam libri ab Ecclesia proscripti impunè legerentur, Carolus de hac re scripsit Gubernatori (tunc Bavaris Electori), et hic Regis Epistolam Bruxellarum Senatui transmisit, qui die 13 April 1696, sic Electori respondit: « In hoc usque tempus non » audivimus, quemquam tueri voluisse scripta, et libros legitime » prohibitos. Præterquamquod et cum gaudio auxilium daturi » simus Ecclesiasticis, quibus ad hoc eo opus fuerit. » Adde quòd in Pragmatica *de Impressione librorum*; Vid. apud Rovitum, p. 276, præceptum fuit, nullo modo posse vendi, et retineri libros prohibitos. Quod verò pertinet ad Bullam Cœnæ, constat ex pluribus Scriptoribus (Vid. Barth. Chioccarell. Archiv. ad tom. 4. tit. 2. et Troyla Hist. Neap. t. 4. p. 2. c. 4. §. 2. n. 17 et 18.) oppositiones à Regis Ministris propositas adversus laudatam Bullam restrictas fuisse tantùm respectu ad aliqua peculiariora capita, quæ Regalem jurisdictionem lædere censebantur: sed non se extendisse ad alias res, quæ juribus Regis nullum afferebant gravamen. Cæterùm quamvis legentes libros ob hæresim, vel ob falsi dogmatis suspicionem damnatos excommunicationem Bullæ Cœnæ non incurrerent, saltem effugere non possunt excommunicationem inflictam in Indice.

